Sanctissimo Patri, ac Domino Nostro

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

DE SACRAMENTIS

ORDINIS,

ET

EUCHARISTIÆ


Quæstiones Scholasticæ, Dogmaticæ, Historicæ.

AUCTORE

D. FORTUNATO VENERIO

PRESBYTERO BARNABITA, &c.

TOMUS VI.





ROMÆ, M. DCC. XXXIX.
Ex Typographia Petri Rosati, & Josephi Borgiani in via Parionis.

SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO PATRI,

Ac Domino Noſtro

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

FORTUNATUS VENERIO.

Omnem felicitatem.

QUotieſcumque, BEATISSIME PATER, Te atque tua præclariſſima geſta, vel in mentem revoco, vel, quod ſæpè ſoleo, ſermonibus uſurpo, eà perfundor animi delectatione, qualis eſſe conſuevit, aut in filio, dum dilectiſ-

ſimi Patris ſui dulce nomen commemorat, aut in ſubdito, dum Principis ſui comitatem, ac liberalitatem ſibi proponit, quem procul dubio Te erga omnes, præſertim verò erga me, qui tamdiu beneficiis tuis cumulatum me ſentiam quandiu vivam, meminem arbitror ignorare. Gaudium tamen hoc, quod ex ſolius recordationis, vel etiam ſermonum frequentia percipio, incrementum non mediocre ſibi vindicat, dum ſanctiſſimis tuis pedibus humillimè provolutum me conſidero; non enim de Te ſolum cogitare, quod prohibere poteſt nemo, ſed etiam Te hilari fronte præſentem intueri, Te clementiſſimè loquentem audire, imò & pro ſummà dignatione tuà à Te audiri, quod maximum munus eſt, mihi conceditur. Quid verò futurum ſit, cum illa redit felicitas temporis, quo ſtudiorum meorum rationem, & fructum ſupremæ ac Pontificiæ Dignitati tuæ vectigal à me fieri tua poſcit authoritas, quiſque conjiciet. Fateor certè me quodammodo

modo extra me rapi, illudque albo ſignandum lapillo momentum exiſtimo, quo pro tuæ Clementiæ magnitudine exigui ingenii, atque inculti mei calami fætus tibi ſacros ac devotos eſſe voluiſti, in quibus, etſi nihil præclari, aut acceptione digni, quod non inficior, reperiretur, Hoc unum, nempè excelſum CLEMENTIS XII. nomen, ſatis ſuperque foret, quo & aliquorum invidorum hominum detrectationes obtunderentur, & cœterorum benevolentiam, imò & pretium ſibi compararent.

Id in me ipſo non ſemel, aut bis expertus ſum, SANCTISSIME PATER, nunquam tamen eà jucunditatis copia, quà inpræſentiarum afficior, dum haſce Sholaſtico-Dogmaticas Quæſtiones, in quibus de iis rebus ſermonem inſtituo, quæ potiſſimum ad Te pertinere videntur, ſummæ omnium Majeſtati tuæ reſolutas exhibeo: agitur ſiquidem de Ordinis ſacramento; de illo videlicet, in quo ſita eſt Eccleſiaſtica Hierarchia, cujus Chri-

ſtus

ſtus Te caput, ac ſupremum moderatorem tanquam ſuum Vicarium conſtituit, in quo Myſteriorum Dei diſpenſatores à Populo ſecernuntur, in quo ſervator noter luculentiſſimum meritorum ſuorum theſaurum fidelibus diſtribuendum concluſit: agitur de Venerabili Euchariſtico fidei noſtræ Myſterio; de illo nimirum, in quo divitias amoris ſui Chriſtus Jeſus velut effudit, & tranſiturus de hoc mundo ad Patrem, cum filiis ſuis uſque ad conſummationem Sæculi voluit permanere.

Atque hic eximias eas dotes, quibus mirificè ac nemini ſecundus effulges, mihi perpendendas iterum iterumque ſe objiciunt. Eccleſiaſticam Hierarchiam quantà fidelitate zeloque, non dicam cuſtodias, ſed in dies adaugeas, nemo eſt qui non videat, niſi prius aut ignoret, aut ab iis oculos velit avertere, quæ vel à Te ſancita, vel ſacris Legibus innovata fuerunt; Quam pro Clero deligendo ſedulitatem non adhibes? quam pro pa-

paſtoribus ſtatuendis vigilantiam non ſervas? quam pro ſacrorum canonum obſervatione curam non impendis? Malos coerces, bonos promoves, pœnas ſtatuis, præmia largiris, atque ita Te geris, ut omnia juxta Chriſti inſtitutionem atque Eccleſiaſtica jura peragantur, ſuoque capiti membra cohæreant.

Quid verò dicam de amoris tui divitiis, quas erga filios, veros videlicet Chriſtianæ Religionis profeſſores, velut effudiſti? Utinam nationes omnes diſſitas etiam atque barbaras huc adducere mihi datum eſſet. Inſpicite, dicerem, ſub ipſo Pontificiæ ditionis veſtibulo, flumina duo, quæ in Ravennæ Provinciâ per Agros ac Silvas debacchari minitabantur, ut cohibita placido innoxioque curſu ad mare progrediuntur: legem hanc CLEMENS XII. ſumptibus ſuis impoſuit: Inſpicite in Anconitano Portu res omnes ad certam regulam ſtatutas, mœnia tormentis bellicis munita, ad peſtis periculum evitandum ampliſſimum do-

domicilium absolutum, in mediterraneo verò sinu triremes restauratas, armatas turres, munitiones adauctas, militum copias repetitas, atque inde terrà marique commercium tutissimè restitutum: CLEMENTIS XII. opus agnoscite. Inspicite, Romam ingressi, longossimas latissimasque vias ubique faciles, atque exornatas, fontes adductos, atque insigni structuræ pretio in nobiliorem formam redactos, domus ac Palatia frequentissima vel reparata, vel à fundamentis usque ad majestatem erecta; CLEMENTIS XII. magnificentiæ hoc tribuite. Sacras ædes penetrate, & si fortasse piget omnes adire Lateranensis omnium Matris Ecclesiæ novissimam faciem perpendite, ditissimum atrium considerate, inde, quod à sinistris est, primum sacellum accedite veneraturi; Hæc CLEMENTIS XII. pietatis ac munificentiæ sunt monumenta. Quid si Capitolium intus spectandum se exhiberet? Videant, perscrutentur, obstupescant, &

tan-

tandem dicant, CLEMENTI XII. omnia elapſa tempora debere ac futura; illa quidem, quod nobiliora eorum veſtigia in unum collegerit, hæc vero, quod ſibi, quidquid ab aliis peregrino ſtudio fuerit elaboratum, ſervandum ac oſtendendum donaverit, quodve tibi Roma Conſules ac Cæſares tui diviſim temporumque ſucceſſione civium tuorum laboribus confectum dederunt, CLEMENS uno ferme die opum ſuarum profuſione tuo ſplendori, ac tuorum Civium commodo atque utilitati fuit elargitus.

Hæc hæc ſunt, inter innumera, quæ prætereo, amoris pignora, quæ CLEMENS XII. protulit, majora tamen, ſi quid majus fingi poteſt, ſi longiorem, ut mea enixè poſtulant vota, vitam dederit Deus, exibiturus, in quibus certè, donec Roma perſtiterit, ideſt uſque ad conſummationem ſæculi, apud homines permanſurum eſſe, quiſquis intelliget.

Vides igitur Beatissime Pater,

b quan-

quanta mihi exultationis ratio consurgat, & quam merito mihi ipsi gratulari debeam, cum in hoc sexto tomo Eucharistiæ Sacramentum Scholastico-Dogmaticè explicatum obsequentissimus offero, in quo dum Christi maximam vim amoris perpendo, tui etiam, qui ejusdem locum Sanctissimè tenes, profusissimus amor mihi se paucis exponendum obiecit, mihique novum argumentum datum est, quo tibi pro eximiis collatis beneficiis gratiarum actionem humillimè rependerem, quod, ut diutius peragam, me Apostolicà tuà benedictione prosequaris, exoro.

LE-

LECTORI
THEOLOGO.

IN hoc VI. ut mei moris est, brevi Tomo Quæstiones de Sacramentis Ordinis, & Eucharistiæ exhibere contendo. Istæ quidem sejungi non poterant, cum neque Eucharistia haberi possit absque iis, quos Sacra Ordinatio Ministros instituerit. nec Sacra Ordinatio, nisi ad Eucharistiam dirigatur. Ordinis Sacramentum homines ab hominibus distinguit, ut qui illo fuerint insigniti super cæteros evehantur, Eucharistia vero ita extollit, ut eos intimè Deo uniat, non gratià solum divinæ consortes factos naturæ, sed ipsum authorem gratiæ degustantes, atque in semetipsis peculiari ratione ac dignitate ferentes.

In istis, nisi mea me fallat opinio, selectiora reperies ex iis, quæ veteres recentioresque Theologi in medium protulerunt. Illos ita sequutus sum, ut quod expostulabat Scholastica disciplina, non præterirem, Istos verò tali pacto, ut quod sibi vindicat eruditio, si leges, non deerit; Ambos tamen non alià de causà, quam ut Catholicorum Dogmata magis ostenderem, firmaremque validius; Utrum hoc mihi, divino semper implorato auxilio, à Patre luminum concessum sit, te judicem constituo, dummodo quibuscumque mentis sepositis præjudiciis ferre velis sententiam, quod certè ab aliquibus, sicuti despero consequi, ita non peto. Studui, quantum

ſieri potuit, ne verborum ac quæſtionum ſuperfluitate te detinerem, ſed ne ſimul ſolidiore doctrinà te defraudatum ſentirem. Ita factum exiſtimo, ut brevius leges & utilius. Ego de Eucharistia ſcribens divini amoris tibi maximum protuli argumentum, ut mihi tu legens amorem rependas, exoro.



DON

DON JO: HIERONYMUS
G A Z O N I

Congregationis Clericorum Regularium Sanƈi P*AULI*

PRÆPOSITUS GENERALIS.

CUM Librum, cui Titulus eſt: *De Ordinibus in Communi*, *&* *in particulari nec non de Euchariſtia* : à Patre D. Fortunato Venerio Congregationis Noſtræ Presbytero profeſſo compoſitum, duo ejuſdem Congregationis Noſtræ eruditi Viri Theologi, quibus id commiſimus, accurata lectione, & gravi judicio recognoverint, & poſſe in lucem edi probaverint; Nos ut typis mandetur, quantum in Nobis eſt facultatem facimus. In quorum fidem has fieri, Sigilloque Noſtro muniri juſſimus. Datum Romæ in Collegio Noſtro SS. Blaſii, & Caroli die 14. Januarii 1739.

Don Joannes Hieronymus Gazoni Præpoſitus Generalis.

Don Valentinus Viani Cancellarius.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Ph. Epiſcopus Viceſgerens.

TRactatum hunc: *De Ordinibus in communi, & in particulari nec non de Sacramento Euchariſtiæ*: à Reverendiſſimo P. D. Fortunato Venerio Clerico Regulari Barnabità pari eruditione, ac diligentia elaboratum, jubente Reverendiſſimo P. Nicolao Ridolfi Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtro, attente legi. Nedum in eo nihil aut rectæ Fidei, aut bonis moribus contrarium; quin potiùs Fidem ipſam, Divinaque, ac Eccleſiaſtica jura ab Heterodoxorum calumniis egregie vindicata, Theologorum quoque controverſias æquâ lance expenſas reperi; atque ad illuſtranda Theologorum placita utiliſſima eſſe exiſtimavi. Quo circa digniſſimum cenſui, ut in publicam edatur lucem. In quorum fidem, &c.

D. Antonius Andreas Galli Abb. Canon. Regul. Sanctiſſimi Salvatoris, & Sac. Congreg. Indicis Conſultor.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Nicolai Ridolfi Sacri Apoſtol. Palatii Magiſtri legi librum cui titulus; *De Ordinibus in communi, & in particulari nec non de Sacramento Euchariſtiæ*: à Reverendiſſimo P. D. Fortunato Venerio Clerico Regulari Barnabita conſcriptum, eumque, utpotè cum rectà fide, & morum diſciplina mirificè conſentientem; quin imo Sacræ Theologiæ Sectatoribus tum in polemicis, tum in Scholaſticis Quæſtionibus dirimendis præſidio non mediocri futurum, ſubtileſque ſpeculationes cum Sacræ eruditionis fruge copulantem, Digniſſimum cenſeo, qui publica luce donetur.

Joſeph Carpani Soc. Jeſu Cleri Romani Examinator, & in Collegio Romano Generalis Studiorum Præfectus.

IMPRIMATUR,

Fr. Nicolaus Ridolfi, Ord. Prædic. Sac. Pal. Apoſtol. Magiſter.

IN-

INDEX
Eorum, de quibus in hoc Libro.
DISPUTATIO UNICA.
De Ordine generatim considerato.

PARS II.
De Ordinibus in particulari.

QUÆSTIO I.
De quatuor Ordinibus minoribus.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Subdiaconatu.

QUÆSTIO III.

De Diaconatu.

QUÆSTIO IV.

De Presbyteratu.

QUÆSTIO V.

De Episcopatu.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Ministro ordinationis Episcopalis.

QUÆSTIO VII.

De Episcoporum electione.

CAPUT UNICUM.

QUÆSTIO VIII.

QUÆSTIO ULTIMA.

Art.

SECTIO UNICA.

TOMI VI. PARS II.

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento.

QUÆSTIO I.

De Unitate & essentia hujus Sacramenti.

QUÆSTIO II.

De materia Sacramenti Eucharistiæ.

QUÆSTIO III.

De tempore, quo Christus hoc Sacramentum instituerit.

QUÆSTIO IV.

De præsentia Corporis, & Sanguinis Christi &c. 182.

Art.

QUÆSTIO V.

De forma Consecrationis.

QUÆSTIO VI.

De Ministro, & subjecto Eucharistiæ.

QUÆSTIO VII.

De necessitate Eucharistiæ. 237.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De Communionis effectu.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Eucharistia, ut Sacrificium est.

DE

DE SACRIS ORDINIBUS QUÆSTIONES.

PRÆCIPUUM Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſplendorem, nobilioremque Dignitatem calamo noſtro, qualiſcumque iſte ſit, quem certe rudem tenuemque fatemur, exponere ac declarare Divino implorato auxilio in præſentiarum contendimus. Si in qualibet rectè adminiſtrata Republica certi ac determinati gradus inſtituti ſunt, ut ex illis optimum regimen conſurgeret, omniſque confuſio tolleretur; Hoc potiori jure Chriſti Reſpublica, ideſt Eccleſia, ſibi vindicabat, ut non omnes in æquali eſſent ſtatu collocati, ſed quodammodo ædificaretur ſcala illa, quam vidit Jacob, ut unus alteri inſerviret, à minoribus ad majora conſcenderemus, donec tandem ad cœleſtem Jeruſalem fideles omnes perducerentur. Hoc procul dubio per ſacram ordinationem obtinendum eſſe ſtatuit Legislator noſter piiſſimus Chriſtus Jeſus, qui Sacerdotes inſtituens, ut gregem ſuum regerent, & offerent Dona & Sacrificia pro peccatis, ſicut dicit Apoſtol. ad Hebr. 5. eos, qui ad hoc munus eſſent vocati tanquam Aaron, ita diſponi voluit, ut ab uno officio ad aliud transferrentur, & ſervata omnium officiorum in variis diſtinctiſque ordinibus concordia & harmonia, fieret Eccleſia terribilis, ut caſtrorum acies ordinata; Latrant quidem, atque venenato ore peſtem ſuam effundunt Novatores Lutherani & Calviniſtæ, nullum inter Sacerdotem & Populum agnoſcentes diſcrimen, niſi quod de populi conſenſu manavit, à quo miniſterium omne vel tribui vel auferri diabolica doctrina ſibi perſuadent; Turpius nihil excogitare poterant, nihil à Chriſti doctrina magis alienum, quod jam pridem ab aliis factum eſſe ſcribit Tertullian. lib. de præſcript. cap. 1. dicens: *Ordinationes eorum temerariæ, leves,*

leves, ac inconstantes.... Alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus, nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt. Adversus horum ignaviam ac perfidiam agendum modò suscipimus. Atque in primis de Sacramento Ordinis in communi, deinde in particulari, clarè distinctèque peragemus.

DISPUTATIO UNICA.

De Ordine generatim considerato.

CAPUT I.

Quid sit Ordo, & an sit Sacramentum.

1. Nomen hoc ordinis amplissimum est, cum significet respectum quemdam inferioris, ac superioris, qui in qualibet re inveniri potest, imo sic exigente optima naturæ dispositione invenitur, quo sensu dixit Augustinus 12. de Civit. cap. 13. *esse rerum parium, disparium que unicuique sua loca tribuentem congruam dispositionem*; sumptum in sensu magis stricto significat gradum aliquem, in quo collocatur aliquis in Republica, ac communitate, & sic appellamus ordinem Senatorium, Equestrem, Popularem &c. quare si usurpetur pro ordine Ecclesiastico, ut in præsenti disputatione à nobis servatur, aliud non indicat, quam certum personarum gradum, quæ ad res sacras ac divinas sunt deputatæ. Est autem observandum, bifariam ordinem hunc Ecclesiasticum considerari posse vel activè, ut sic loquar, vel passivè; Priori modo est ipsa met ordinatio, seu ritus ille quo ministri consecrantur, eisque tribuitur aliqua moralis potestas ad sacras actiones exercendas per ordinem ad Sacramentum Eucharistiæ tanquam ad finem; posteriori modo est ipsa moralis potestas, quæ datur, & de hac sermonem nostrum modo non instituimus, sed de illa.

2. Hanc diversis descriptionibus, seu definitionibus explicarunt Doctores, quæ tamen omnes ad sequentem revocari possunt, nimirum, *esse ritum sensibilem, quo spiritualis potestas confertur alicui ad Ecclesiastica munera obeunda per respectum ad Eucharistiam*. Quas particulas explicare superfluum existimo, cum leviter in Theologia versato satis innotescant.

3. Hæc breviter dicta sint pro priori tituli parte; nunc ad secundam devenio, & inquiro, an ordo, seu ordinatio sit Sacramentum; quod non resolvo loquendo de hoc vel illo ordine, sed de aliquo; ita ut sensus sit, an detur aliqua ordinatio, quæ Sacramentum sit; utrum enim omnes Sacramenti notionem habeant, in propriis locis dicendum occurret.

Lutherus de capt. Babyl. cap. de Ordine, Illyric. in confess. Antuerpiensi cap. 11. nec non Kemnit. in secunda examinis parte petulantissimè negant; atque, ut solent, ferino more in catholicos debacchantur: Calvinus vero, quamvis in pluribus locis duo tantum asseruerit Sacramenta, idest Baptismum, & cœnam; attamen lib. 4. Institut. cap. 14. §. 20., ordinationem esse verum Sacramentum ingenuè fatetur, dicens, quod ideo alibi duo solummodo Sacramenta posuerit, quia de iis Sacramentis sermonem habuerat, quæ omnibus communia sunt: quod & factum esse à Philippo Melanchtone satis colligitur ex apologia confessionis Au-

gu-

gustanæ art. 13., idque pluribus argumentis suadet ac probat.

4. Quod Lutherus aliique perperam ac inverecundè dixerunt, semen suum adinvenit in erroribus Wicleffi, siquidem Willelmus Widefordus recensens illius errores in Concilio Constantiensi damnatos, octavum contra Sacramentum Ordinis inquit istum fuisse; *Christus ordinat quamcumque, & quemcumque, quandocumque voluerit, ita ut sequens Christum in moribus, securè possit de se ipso confidere, quod deficiente Prælato Cæsareo sit à Christo legitimè ordinatus.* Nonum fuisse hunc alium; *Conjectura probabilis est, quod talis, qui rectè vivit, est Diaconus, & Sacerdos.* Quare licet admitteret Diaconatum, & Sacerdotium; non tamen admittebat tanquam sensibilem cœremoniam à Christo institutam; sed ad gratiam internam & invisibilem rectè vivendi omnia revocabat, ut notavit etiam Waldens. tom.2. de Sacram. cap.123.

5. Dicendum; ordinationem esse verè, & propriè novæ Legis Sacramentum.

Antequam id probem ex ratione, quæ omnibus Sacramentis communis est, Conciliorum definitiones, perpetuamque Patrum traditionem placet in medium proferre; & omittendo Chalcedonense, quod act. 15. cap.2. damnat eos, qui pecuniis ordinationem vendebant, quia gratiam Dei vendere censebantur; quod & factum fuit in Bracharensi 2. cap. 3. sufficiant Florentinum, ac Tridentinum: In illo Eugenius IV. in suo decreto §. *Sextum Sacramentum* post statutas materias, formas, & ordinarium ministrum Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, inquit horum effectum esse, *augmentum gratiæ, ut quis idoneus sit Minister*: In hoc vero per plures Canones prorsus proscribitur error Lutheri, aliorumque; can.1. sic statuit sess.23. *Si quis dixerit, non esse in testamento novo Sacerdotium visibile, & externum, ... sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes, anathema sit.* Can.3. sic. *Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse verè ac propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantùm ritum quemdam eligendi Ministros Verbi Dei, & Sacramentorum; anathema sit.*

6. Dum vero Patrum traditionem producere contendimus, Lutherus ait, inter veteres Patres non nisi Dionysium à nobis posse produci, qui de Cœlesti Hierarch. cap. 5. tam præclarè altèque scripsit de sacra ordinatione, per quam gratia confertur, ut aliud nesciat hæreticus respondere, quam librum istum reprobare. Sed dum asserit, alios Patres pro nostra veritate non esse turpiter mentitur; ac se in eorum scriptis prorsus ignorantem esse demonstrat. An non in promptu est Chrysostom. qui lib. 3. de Sacerdotio sic loquitur? *Sacerdotium in terra peragitur; sed in rerum cœlestium classem, ordinemque referendum est; Atque id per quàm merito; quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem ejusmodi disposuit.* An non Tharasius in epist. ad Adrianum Papam, ut in primo Tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum, qui dicit, vendere Spiritum Sanctum, qui in sacra ordinatione datur, qui pecunia Sacerdotalem conferunt dignitatem; An non Theodoretus, qui in illud 1. ad Timot. 5. *Manus cito nemini imposueris* docet, in ordinatione Spiritum Sanctum invocari, & conferri; quod & tradunt Theophylact. & Oecumen. in illud 2. ad Timot. 1. *Admoneo te, ut excites gratiam, &c.*

7. Hæc quidem ex Patribus, quos Græcia peperit, ac enutrivit; sed disertissimè loquuti sunt etiam Patres Latini, inter istos S. Cyprianus, vel au-

thor sermonum de operibus Cardinalibus Christi, quicumque sit sub initio hæc habet. *Docemur, quæ sit Baptismi & aliorum Sacramentorum Nobilitas .... Nam Baptisma repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere: nemo sacros ordines semel datos iterum renovat*. Ex quo apparet, ordinationem inter illa Sacramenta recenseri, quæ iterari non possunt, atque baptismo æquiparari. S. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5. interrogat: *Quis dat frater Episcopalem gratiam? Deus an homo?* & respondet; *sine dubio Deus, sed per hominem dat Deus*. Et rursus. *Homo imponit manum; Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera*. Si expostulas Hieronym. & Augustinum, ille probat in Dial. contra Luciferian. ordinationem ab hæreticis datam validam esse, sicut est Baptismus, ait enim: *Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, & in fide sua Sacerdotem constitutum constituens non inquinavit*. Secundus idem asserens lib. 2. contra Parmenian. c. 13. inquit: *Ipsi* (Donatistæ) *explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti. Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est*. Vides jam, quo pacto ordinatio cum baptismate comparetur; quod valet juxta characterem, & non iterationem, Vides, utrumque Sacramentum appellari; Vides, de hac re neminem tunc temporis dubitasse.

8. Ampliora dicerem, si Summorum Pontificum placeret documenta, ac statuta producere. Omissis Innoc. I. in epist. 18. ad Alexandrum Episcopum Antioch., & Anastasio II. in epist. ad Anastasium Imperatorem. Clarè loquitur Leo Papa epist. 87. ad Episcopos Mauritaniæ dicens: *Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpatratur injuriam; cum huic magno, venerandoque mysterio, ne Divinæ quidem legis statuta defuerint?* Clarè Gregorius Magnus lib. 4. in Libros Regum cap. 5. sub initio de ordine sic loquens: *Is, qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur*.

9. Sed jam ineluctabilem rationem proferamus, quam sic propono. Quidquid ad Sacramenti constitutionem requiritur, & desiderari potest, in ordinatione reperitur; est igitur ordinatio Sacramentum. Prob. ant. Tria ea sunt, quæ ad Sacramenti constitutionem requiruntur, ac desiderari possunt, ipsis fatentibus hæreticis; nempe symbolum externum, seu sensibilis ritus, promissio gratiæ, & Divinum mandatum, seu institutio; si autem de symbolo externo, seu de sensibili ritu loquamur; quis de hoc ambigere potest, dummodo perpendat, quę in Scripturis Sanctis leguntur? Quoties enim nobis legendum non se exhibet, Apostolos manus imposuisse, ut aliquos Diaconos, aliquos Presbyteros constituerent? Plures quidem hujusmodi textus afferre possem, ut sunt illi act. 6., ubi de septem Diaconis habetur. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Et act. 13. ubi de Paulo & Barnaba scribitur: *T... c jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*: sed quia primus eludi potest dicendo; tunc Diaconos non fuisse electos ad altare, sed ad ministerium mensarum, de quo puncto alibi differemus; secundus vero, dicendo; Paulum multo ante fuisse Episcopum & Apostolum, cum ad Galat. 1. de se ipso id fateatur: *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero Matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, continuo non acquievi carni & sanguini, neque veni Jerosolymam ad antecessores Apostolos, sed abii in Arabiam*. Ideo aptius id suadetur ex epistolis Pauli; 1. ad Timot. 4. inquit: *Noli negli-*

negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. Cap. 5. ejusdem epistolæ præcipit, *Manus cito nemini imposueris*. Et 2. ad eundem cap. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Quod testimonium est aliis præferendum, cum eo utatur pro re nostra Concil. Trident. sess. 23. cap. 3.

10. Ex iisdem testibus infertur etiam, huic sensibili ritui promissam, & annexam fuisse gratiam: ideo Tridentinum post relata superiora verba addit alia Pauli, *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*, quæ gratiam ipsam comitantur.

11. Hisce omnibus plura reponere Novatores contendunt; Quid hanc manuum impositionem commemoramus, cum fuerit ritus quidam communis, quem frequentissimè usurpabant Apostoli; sive cum morbos curabant, juxta illud Marci 16. *Super ægros manus imponent*; sive cum pro aliquo orabant, eumque apud Deum commendatum habebant, quo sensu dicit Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 16. *Quid est manus impositio, nisi super hominem oratio?* Si hæc manus impositio est sensibilis ritus, quo ordinatio fiat Sacramentum; Dicamus ergo, Apostolos non fuisse ordinatos à Christo, qui manus impositionem nequaquam adhibuit.

Inanis etiam est illa gratiæ promissio, quam ipsi annexam affirmamus; gratia enim, quæ Sacramentis promissa est, esse debet gratia sanctificans & gratum faciens, non gratis data: hujusmodi autem est gratia illa, de qua loquitur Paulus in laudatis testimoniis. Manifestum est hoc, quia Paulus loquitur de gratia, quæ data est per prophetiam; Unde Hieronymus in cap. 4. primæ ad Timot. explicat gratiam hanc pro dono, vel interpretandi Scripturas, vel prædicendi futura; Chrysost. vero homil. 13. in eumdem locum, pro auctoritate alios edocendi.

12. Blacterent tamen, quantum valent, Lutherani, nihil evincent: Quod priori loco reponunt, aliud non probaret, nisi quod non omnis manus impositio fuerit Sacramentum, & hoc ultro concedimus; imposuit enim Christus manus super infantes, imposuerunt Apostoli super ægros; atque ea olim adhibita fuit vel in ordinatione Diaconissarum, vel in Virginum consecratione, in quibus impositionibus nullum Sacramentum habebatur; at illam, quæ adhibita fuit in ministrorum ordinatione, Sacramentum non fuisse, ex nullo capite potest probari, cum adhibita fuerit ad gratiam conferendam, & adhibita fuerit ritu perpetuo ac constanti; Oportet manus impositionem distinguere, hæc enim materialiter in omnibus cœremoniis, & usibus eadem est; formaliter tamen diversa; cum sit ad diversum effectum significandum, & producendum instituta. Neque obstat, in textu Græco non legi *manum imponere*, sed *manum extendere*, *seu attollere*, quod est dare signum suffragii seu electionis, ut olim fiebat in electione Ducis, & Magistratus; etenim in primis hoc admisso, quod dicimus de manus impositione quantum ad ritum sensibilem, idem diceremus de manuum extensione; deinde juxta Scripturas, & usum Ecclesiasticum, manum extendere seu attollere intelligi debet cum addito, idest super capita ordinandorum, ut patet ex Tertulliano, qui manus extensionem appellat *adumbrationem*: & Dionysio, qui eam dicit *protectionem*; & ipsi Græci non ordinant attollendo manum in signum suffragii, sed super capita ordinandorum attollendo, ut constat ex Chrysost. homil. 10. in primam ad Timot., & ex epistola Concilii Nicæni ad Alexandrinos apud Theodoretum lib. 1. hist. cap. 9.

Advertas insuper, hanc manus impositionem, de qua Apostolus, esse distinctam ab oratione, cum nullam orationis mentionem fecerit; imo dum dicit:

dicit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* manifestè ostendit manus impositionem ad orationem pertinere non posse; qui enim orat pro alio, quamvis peccatore, hujus peccatis non communicat; qui tamen ordinat aliquem indignum, utique istius peccatorum particeps fit. Quod si etiam fuisset semper orationi conjuncta, adhuc nihil contra nos; etenim diceremus, orationem illam spectasse ad formam Sacramentalem elevatam à Deo ex Christi institutione ad gratiam producendam. Quod autem Christus Apostolos ordinando, manum non imposuerit, in primis quomodo potest id certo affirmari? Multa fecit Christus, quæ nos latent, nec scripta sunt. Deinde; Christus ob supremam & excellentem potestatem signis externis alligatus non erat.

Neque verum est, per illam manus impositionem collatas fuisse tantummodo gratias gratis datas; nam licet istæ tunc etiam conferrentur; attamen ut erant conjunctæ cum gratia sanctificante, vel tanquam dispositiones præcedentes, vel tanquam subsequentes ornatus: & quidem hoc eruitur ex laudato textu; nam postquam Paulus illas recensuit, statim addit, *æmulamini charismata meliora*. Neque sine sanctificante gratia licitum esset illas desiderare, vel petere; quia non sine superbiæ argumento & impulsu desiderarentur, vel peterentur. Quod autem de gratia sanctificante Apostolus loquutus sit, manifestè apparet ex contextu, cum subdat: *Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*. Quæ omnia gratiæ sanctificantis sunt signa, ac proprietates. Quod vero dicat, *noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam*. Primo infertur quidem donum prophetiæ, non tamen excluditur gratia sanctificans; deinde per prophetiam, ut vel ipse Calvinus explicat, non intelligitur aut causa instrumentalis gratiæ conferendæ, aut effectus per manus impositionem productus; sed causa movens Paulum ad ordinandum Timotheum; ita ut sensus sit; Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, dum te Episcopum ordinavi juxta prophetiam, idest revelationem mihi factam, ut te ordinarem; Cæterum in postremo textu à me adducto n. 9. mentio tantum fit gratiæ datæ per impositionem manuum, & nihil de prophetia dicitur.

Patres productos explica juxta superius dicta; nempe intellexisse de gratiis gratis datis, sed ut connexis cum gratia sanctificante; locuti sunt autem de illis, tanquam effectibus notioribus, qui primis illis temporibus ad fidei primordia dilatanda, atque commendanda, una simul cum gratia sanctificante conferebantur.

13. Probata hujusmodi gratiæ promissione annexa illi sensibili ritui, ac cœremoniæ; non deesse Divinam institutionem, seu mandatum, compertum fit: nulla enim creatura unquam sensibilibus signis vim gratiam producendi alligavit: & cum ex alia parte Apostoli per manus impositionem, orationemque Diaconos, Presbyteros, atque Episcopos ordinaverint, quem morem semper retinuit Ecclesia, planè sequitur; hoc nonnisi Divina institutione acceptum esse, juxta id, quod ait Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 21. *Ecclesia ab Apostolis accepere, Apostoli à Christo, Christus à Deo*.

CAPUT II.

Utrum prima Tonsura sit Ordo.

14. HÆc inter Catholicos tota res est; Omnes enim quatuor Minores, Subdiaconatum, Diaconatum, ac Presbyteratum ordines esse fatentur; sed utrum septennarius numerus iste sufficiat; an vero inter ordines recensenda sit etiam prima tonsura, nec non adscribendus Episcopatus, non una est sententia; De Episcopatu suo loco

loco dicemus; nunc de prima tonsura aliquid pertractandum.

15. Communis Doctorum opinio fert, primam tonsuram nequaquam ordinem, de quo sermo noster est, esse nuncupandam. Hanc tradunt S.Thom., Bonaven., Richar., Duran. &c., & præ omnibus Scotus in 4.dist.24.quæst.unic. in fine, cujus rationem præ cæteris efficacem existimat Vasquez.

Contrarium tamen arbitrantur Canonistæ in cap. *Cum contingat, de ætate & qualitate ordinand.* ubi Pontifex Innoc. III. interrogatus an ordo Clericalis in tonsura conferatur; sic respondet: *Continget interdum, quod Laici ad Monasteria convolantes à suis Abbatibus tonsurentur; requisisti, an Clericatus ordo in tonsura hujusmodi conferatur*. Et affirmativè concludit; Hoc docent Angelus in summa verbo *Ordo*, Sylvest. in sum. qu. 1. in idem cap., & traditur à Glos. verbo *Abbati* ubi notatur, primam tonsuram idem esse quod Psalmistatus.

16. Neque rationes desunt. Primo quia per primam tonsuram acquiruntur eadem privilegia, quibus gaudent alii Clerici; unde si quis tonsuratum percutiat, incidit in pœnam canonis, *Si quis suadente Diabolo*. Secundo quia idem est Minister tonsuræ, qui ordinum minorum; nec conferri potest à simplici Sacerdote, nisi per Episcopi commissionem. Tertio quia primæ tonsuræ convenit definitio ordinis: cum enim formetur in capite corona, & capilli ex quatuor partibus præcidantur adjunctis illis verbis: *Dominus pars hæreditatis meæ &c. Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*; nec non tribuatus potestas cantandi psalmos in Choro; plane sequitur, esse signum sensibile, per quod traditur spiritualis potestas; proinde, &c. Accedit, Sixtum V. in quodam Motu proprio primam tonsuram appellare characterem.

17. Nihilo tamen minus certam existimo aliorum opinionem, qui asserunt, ordinem non esse, sed præparationem, seu dispositionem ad ordines.

Plura & diversa momenta afferunt Doctores isti ad hoc probandum. Altisiodoren. & Richardus ideo ab ordinum numero illam excludunt, quia est quidam status medius inter Laicalem & Ecclesiasticum, sicuti annus probationis in aliqua Religione medius est inter Sæcularem & Religiosum, & status Catechumeni medius inter Christianum & Gentilem; unde sequitur, esse tantummodo præparationem, seu dispositionem ad ordinem Ecclesiasticum; sicuti annus probationis est dispositio ad statum Religiosum, & status Catechumeni ad statum Christiani.

Uterque Sotus cum Durando dicunt, primam tonsuram ordinem non esse, quia per eam ad nullam actionem Clericus deputatur, quam etiam Laicus exercere non possit: quod enim Clerici ad Divinas laudes decantandas designentur, nihil est, quod etiam Laico non conveniat: ex alia parte nulla potestas tribuitur, sicut ad ordinem requiritur, ergo.

18. Hoc totum affert ingeniosissimus P. Vasquez, & refellit; Primum quidem, quia primam tonsuram esse præparationem ad ordines, non probat non esse ordinem; etenim etiam unus ordo est dispositio ad alium, & tamen simul est ordo; & quamvis sit quidem status medius inter Laicum & Ostiarium; tamen constituit statum Clericorum, qui à Laicis plane differunt. Secundum vero rejicit; quia actio laudandi Deum per Psalmos & Hymnos convenit quidem etiam Laicis, non tamen eodem modo, cum eodem apparatu, cum eadem solemnitate, in Conventu & Congregatione; & si valeret hæc ratio, neque ordines minores ordines essent, quia eorum munera exerceri possunt etiam à Laicis. Additur; Clericos per primam tonsuram ita deputari ad sacram actionem psallendi, ut ad Ecclesiastica Beneficia eligi possint;

sint : quod de Laicis affirmari non potest.

19. Hac de re laudatus Doctor aliam profert rationem, nempe, quia ordo est gradus eminens in Ecclesia, per quem aliquis ad peculiare munus in templo exercendum deputatur, & disponitur ad alium gradum eminentiorem, hoc autem per primam tonsuram non confertur; sed tantum habetur gradus infimus communis omnibus templi Ministris, proinde non est ordo, nisi latissimè sumptus, prout est parium, dispariumque unicuique sua loca tribuens dispositio; ut dictum fuit ex Sancto Augustino num.1.

20. Si quemadmodum Vasquez aliorum momenta perpendens, parum efficacia adinvenit; nos illud ejusdem ponderare contenderemus, parum firmum esse, concluderetur. Quod enim dicat, ordinem esse quemdam gradum eminentem, gratis affirmat: etenim in Republica non tantum reperitur ordo Senatorum, Equitum, ac Nobilium, sed etiam ordo Plebejorum, ac Servorum, Militum, & Satellitum, &c. & quamvis etiam concederemus, hujusmodi eminentiam necessariam esse; adhuc eam in prima tonsura inveniremus, cum per illam ordo Clericorum super Laicos extollatur. Tandem si ratiocinium Vasquii valeret, sequeretur; quod si prima tonsura in Ecclesiastica Hierarchia instituta non fuisset, sed Clericatus initium ab Ostiariatu desumeretur; Ostiariatus ordo non esset; Itaquè, &c.

21. Ego propterea omnium Theologorum rationibus obsequium deferens, non censuram imponens, aliud argumentum, quod aptius mihi videtur, proponam. Ecce. Ad ordinis, prout à nobis consideratur, constitutionem requiritur spiritualis potestas activa ad aliquem Ecclesiasticum actum exercendum; quæ potestas per formam ordinis partem explicetur vel formaliter, vel æquivalenter: atqui in prima tonsura non confertur aliqua potestas activa ad aliquem Ecclesiasticum actum exercendum, quæ per formam adhibitam in ejusdem collatione explicetur, ergo. Minor consideranti modum, quo prima tonsura confertur, manifesta est; Major autem patet ex ordinis definitione, quam nos num. 1. protulimus; & alia, quam strictius affert Magister Sententiarum in 4. dist. 23. nimirum, quod *sit signaculum quodam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato*. Et ideo, &c.

22. Atque ex hoc facilè argumenta opposita diluuntur. Etenim Innocentius in ea responsione dicit per primam tonsuram conferri ordinem Clericalem, qui tamen est ordo solum improprie & in lato sensu, prout continet cœtum hominum ad aliquas functiones Ecclesiasticas designatum; quo pacto etiam status Religiosus dicitur ordo; nec tamen est hujusmodi in illa consideratione, in qua modo nos loquimur: atque idem dicendum est de Motu proprio Sixti V., qui insigne Clericale, quod characterem appellat ab ordinibus aperte distinguit. Et ita responde Doctoribus illis, qui caput illud Innocentii pro sententiæ suæ fundamento producunt.

Quantum vero ad rationes. Prima nihil probat; illa enim privilegia potuerunt ab Ecclesia tonsuratis concedi, quamvis ipsa non esset ordo: nonne etiam omnes Laici Religiosorum illis gaudent privilegiis, nec tamen in aliquo ordine sunt constituti? etiam ex secunda nihil concluditur. Primo quia falsum est quod dicitur, ut habetur in 7. Synodo c. 14. relato in Canone, *Quodnam videmus* dist.69. Secundo quia potuit Ecclesia statuere, ut nonnisi Episcopus, qui est Ordinarius Minister ordinum, esset etiam Minister primæ tonsuræ, tanquam dispositionis ad ordines. Ad 3. patet quid dicendum; quamvis enim habeatur materia, & forma, non tamen sicut ad ordinem requiritur; ita ut tribuatur aliqua potestas, sed tantum habentur quædam verba exhortatoria,

& quæ-

& quædam preces ex psalmis desumpta. Potestas illa canendi in Choro absque aliquo sensibili ritu conferri potest, etiam sine licentia Episcopi, ut habetur in can. *Psalmista* dist. 23.

23. Adde ad assertionis nostræ confirmationem Concilium Tridentinum, quod sess. 23. cap. 2. ita loquens: *Ministrorum ordines ita distributi, ut qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent* plane ostendit; primam tonsuram ordinum numero non esse adscribendam.

CAPUT III.

De Materia, & Forma Ordinationis.

24. NON mediocriter arduam difficultatem promovemus propter tam varias Doctorum opiniones, quos multi facere procul dubio debemus; nec tamen omnibus possumus adhærere. Horum placita postea proferemus, ut quod dicimus omnibus magis compertum fiat. Interim apud omnes certum est, materiam ordinationis, quam Sacramentum esse probavimus, in aliquo signo sensibili, atque exteriori collocandam esse; formam vero in iis verbis, quæ à Ministro proferuntur, dum illud signum sensibile, atque externum subjecto applicatur; sed quodnam sit istud sensibile externumque signum, quænam sint ista verba, à nobis expostulatur. Cum autem hic de ordine generatim agamus, de materia & forma singulorum ordinum non inquirimus, de quibus in suis locis; sed tantum universim, & in genere.

25. Tota autem difficultas est de manus impositione, nec non de porrectione instrumentorum tanquam materia, & de verbis illi, istique correspondentibus tanquam forma; atque ideo non mediocriter arduam dixi propter ritum Ecclesiæ Græcæ, quæ solam adhibet manuum impositionem, nec ullo utitur instrumento, nisi post completam ordinationem, ut testantur Arcudius de Sacram. Ordinis lib. 6. cap. 3. nec non Goarius in suis notis. Ipsa etiam Ecclesia Latina per decem priora sæcula solam manus impositionem adhibuit; & apud Scriptores nulla, quibus modo utitur, instrumentorum fit mentio; Quare cum Sacramentorum materia constans debeat esse ac perpetua; nodus iste dissolvendus relinquitur.

26. Scholastici more suo in varias abjere sententias. S. Bonavent. in 4. dist. 24. par. 2. q. 4. art. 1. pro materia solam manuum impositionem assignat, & pro forma sola illa verba, quæ tunc proferuntur; ut vero aliquo pacto indicet, etiam porrectionem instrumentorum ad materiam pertinere, inquit, in manuum impositione eam implicite, ac virtute contineri, cum manus sit organum organorum, seu instrumentum instrumentorum, ut ipse loquitur. In hanc opinionem inclinat Petrus Sotus lib. de institut. Sacerd. lect. 5., Duran. in 4. dist. 24. qu. 3., eamque ex recentioribus docent Morinus de Sacris Ordinationibus par. 3. exercit. 1. cap. 1. Menardus in notis ad Librum Sacrament. S. Gregorii Papæ, Becan. de Sacram. Ordinis cap. 4., aliique.

27. Secunda sententia omnino extrema asserit, solam instrumentorum porrectionem ad materiam essentialem pertinere, & ita videntur docere S. Th. in 4. dist. 24. art. 3. in corp., Paludan. q. 2. art. 3. num. 17., Ricar. qu. 3. art. 4. Sylvest. in Sum. verbo *Ordo*, & Angelus verbo *Ordo*. Valentia disp. 19. de Sacram. Ordinis qu. 1. puncto 5., Estius in 4. dist. 24. §. 24. Ruardus Tapper art. 17. §. *De materia autem*; manuum vero impositionem vel non distinguunt ab instrumentorum porrectione, vel dicunt esse tantummodo ritum Ecclesiasticum; De hac opinione loquens P. Vasquez in 3. p. disp. 238. cap. 4. agens de materia Diaconatus, ita scribit: *Communis tamen sententia est, solam traditionem libri Evangeliorum materiam esse*

esse hujus Sacramenti, & sola verba, quibus traditur, esse formam, ut non solum notam temeritatis, sed erroris etiam inurendam esse censeam. E contrario Maldonatus par. 2. de Sacramento Ordinis qu. 3. proposit. 1. inquit: *Fide tenendum est, manuum impositionem esse partem essentialem hujus Sacramenti*.

28. Tertia sententia est, tam manuum impositionem, quam instrumentorum porrectionem censendam esse materiam essentialem, & per consequens essentialem formam consistere in verbis, quæ utrique correspondent; ita opinantur Bellarmin. lib. 1. de Sacram. Ordinis cap. 9. Vasquez, Maldonat., Hallerius, Isambert. aliique.

29. Tandem aliqui ita sentiunt, ut manus impositionem dicant essentialem, instrumentorum vero porrectionem integralem solum materiam, atque ex istis plurimos recenset Morinus lib. 8. de Pœnitent. cap. 17.

30. In tanta opinionum varietate quænam eligenda sit, non tam facile dijudicari potest. Ego quidem ad quamcumque litem dirimendam, conciliandumque ritum Ecclesiæ Græcæ cum Latina, ex cujus diversitate potissimum oritur difficultas, illorum approbo sententiam, qui dicunt, materiam & formam Sacramenti Ordinis fuisse à Christo Domino non in specie determinatas, sed in genere, Ecclesiæ suæ eas in specie determinandi libertate relicta, dummodo esset signum sensibile aptum ad exprimendam potestatem, quæ ordinato tribuitur; atque ita dicendo non propterea inferri potest, ordinem fuisse non à Christo, sed ab Ecclesia institutum, etenim Ecclesia determinando hoc signum sensibile in specie, determinavit illud, quod sub signo sensibili à Christo determinato continetur, & Ecclesiæ determinatio servat respectum ad modum, qui fuit à Christo præscriptus; Hoc ostendi potest exemplo; Remedium pro originali fuit juxta omnes Theologos à Deo institutum, non ab hominibus, nec tamen Deus determinavit aliquam peculiarem actionem, sed illam reliquit determinandam hominibus, qui in illo statu existebant. Ita res in casu nostro se habet. Et si diceres gratis à nobis asseri, Christum tantum in genere determinasse materiam formamque ordinationis, responderem, hoc haberi ex traditione, & ex praxi Ecclesiæ, quæ à Spiritu Sancto dirigitur, quæve idem signum sensibile in specie semper non retinuit, ut de facto constat; Tandem si instares ut supra num. 25. materiam & formam Sacramentorum debere esse constantem & perpetuam, dicere deberem esse hujusmodi generice loquendo, non specifice; atque in re nostra esse debet constans & perpetua in aliquo signo apto ad exprimendam potestatem, quæ traditur.

31. Admissa hac doctrina, quæ concuti non potest; opponant mihi modo, ordinationem in Ecclesia Græca semper datam fuisse tantum per manuum impositionem, in Ecclesia Latina pariter per decem priora sæcula eodem pacto fuisse collatam, postea vero per instrumentorum porrectionem, & quanti valeat hoc argumentum, manifestum est. Quamquam quod de Ecclesia Græca dicitur, si fides Morino præbenda est, falsò asseritur, solum per manuum impositionem ordinationem datam fuisse; observat enim laudatus Author par. 3. de Sacris Ordinationibus exercit. 11. cap. 7. etiam Græcos aliqua tradere instrumenta; in Lectoratu librum Apostolicum, in Subdiaconatu mantile, & maluvium, in Diaconatu flabellum, quo sacra dona ventilentur, &c.

32. Si verò velimus omittere doctrinam superius expositam, atque circa alias sententias aliquod judicium ferre.

Dico 1. Manuum impositionem non esse purum ritum Ecclesiasticum; sed materiam essentialem ordinationis: & idem, dico de verbis, quæ in illa proferuntur; quantum ad formam.

Prob.

Prob. Id statuendum est pro materia essentiali alicujus Sacramenti, quod ex Scriptura accepimus; quod Apostoli conficientes Sacramentum adhibuerunt, quod Ecclesia sive Latina sive Græca semper retinuit; Hoc autem totum de manuum impositione verum esse, facile ostendi potest: & quantum attinet ad Scripturam, afferuntur illa testimonia, quæ ex actibus Apostolorum, & Epistolis Pauli à nobis adducta sunt num.9. Hæc certe ita admittenda sunt; ut si dicamus, manuum impositionem non ad essentiam pertinere, sed ad ritum Ecclesiasticum, ordinationem Sacramentum esse adversus hæreticos non ostendemus; cum ex Scriptura nullum aliud externum & sensibile signum possit haberi: & pari ratione dici poterit etiam aquam in Baptismo, & vinum in Eucharistia non esse de essentia: & adverte per manuum impositionem collatam esse gratiam; nulli autem ritui Ecclesiastico gratia promissa est; igitur ex Scriptura, & Apostolorum usu id habemus, quod probandum assumpsimus.

33. Sed hoc etiam amplius uberiusque declarabimus; si ad utriusque Ecclesiæ praxim perpetuam deveniamus. Prius vero Concilia producemus; & omissis Nicæno 1. can. 9., Antioch. can.10. & 17. Carthag.4. can.2.3. & 4. clarissimè loquitur Meldense can.44., præcipiens Chorepiscopis, ne *Ecclesiasticos ordines, qui per impositionem manus tribuuntur, agere non præsumant*. Colon.1. par. 1. cap. 1. dicens: *Manus impositionem esse ostium, per quod intrant, qui Ecclesiarum gubernaculis admoventur*. Moguntinum cap.35. afferens: *In collatione ordinum, quæ cum impositione manuum veluti visibili signo traditur*. Præ omnibus vero Concilium Tridentinum, quod loquens sess. 14. cap.3. de Ministro Extremæ Unctionis, hæc habet: *Ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti Ministros esse Ecclesiæ Presbyteros. Quo nomine eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt; sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis recte ordinati per impositionem manuum Presbyterii*. Et sess.23. cap.3. probans, ordinem esse verè ac propriè unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, profert textum Apostoli: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*.

34. Post Concilia Summorum Pontificum dicta omnino non prætereamus. Inter istos sufficiant duo; S. Leo ep.1., olim 87. ad Episcopos Africanos explicat illud Pauli: *Manus cito nemini imposueris*; Et dicit: *Quid est manus cito nemini imponere, nisi Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Supponit ergo honorem Sacerdotalem per manuum impositionem conferri. Gregorius Magnus in fine Registri, decreto 5. inquit: *Quia ordinando Episcopo Pontifex manum imponit; sicut Pontificem manum non decet, quam imponit, vendere, ita Ministrum &c.*

35. Tandem plurimi Patres non desunt; Si de Græcis loquamur. Isti ordinationem vocant absolute *Manus impositionem*. Si vero Latini expostulentur. Occurrunt Hieronym. in illud Isaiæ 58. *Si abstuleris de medio tui catenam* dicens: *Plerique nostrorum, idest ordinationem Clericorum, quæ non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manuum, ne scilicet, ut in quibusdam vidimus, vocis imprecatio clandestina Clericos ordinet nescientes, sic intelligunt, ut assumant testimonium Pauli scribentis ad Timotheum, Manus cito, nemini imposueris*. Ubi observa, quod etsi aliorum sententia loquatur, attamen hanc non improbat, & ex alia parte ex propria sententia dicit, ordinationem manuum impositione adimpleri; Ambrosius lib. de Dignitate Sacerdotali cap.5. ait: *Homo imponit manus, Deus largitur gratiam*. Denique S. Augustinus lib. de gestis cum Emerito, dicit manus impositione Sacer-

cerdotes ordinari, & lib. 5. de Baptismo contra Donatiſ. c. 20. probat à Deo exaudiri homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur; Ex quibus omnibus certo certius manifeſtum eſt, manus impoſitionem ad eſſentiam ordinationis pertinere. Dicere enim, ut optimè adnotat Bellarminus, Concilia, Pontifices, & Patres loqui de accidentaria cœremonia, ridiculum eſt, cum nuſquam ponant aliam cœremoniam, & ſic ſæpe ex profeſſo tractantes de ritu ordinationis, nunquam id, quod ad eſſentiam Sacramenti ſpectat, attigiſſent: quod non eſt dicendum.

36. Hiſce de manuum impoſitione pertractatis, ſupereſt de inſtrumentorum porrectione quidpiam reſolvamus; quod nonniſi inviti facimus; cum Doctores illos, qui eam eſſentialem arbitrantur, aut ad ritum ordinationis, qui ſemper fuit in Eccleſia Græca, & per decem priora ſæcula in Eccleſia Latina, non attendiſſe, aut eum ignoraſſe, dicendum ſit. Qua propter, ſi noſtram licet proferre ſententiam, illos Doctores ſequimur, qui illam tantum acceſſoriam & integralem affirmant.

37. Dico igitur ſecundo, inſtrumentorum porrectionem acceſſoriam & integralem eſſe ordinationis materiam; & idem dico de forma conſiſtente in verbis, quæ proferuntur.

Ratio ex dictis facillima proponitur. Illa enim eſt materia alicujus Sacramenti eſſentialis, quam ex Scripturis colligimus, & cujus uſus ſemper fuit in Eccleſia tam Latina, quam Græca; aliter dicendum foret, quod tunc temporis quo non fuit adhibita non fuiſſet verum Sacramentum: atqui inſtrumentorum porrectio ex Scripturis non colligitur; neque ejus uſus fuit olim in Eccleſia Latina; imo nec modo eſt in Eccleſia Græca: ergo inſtrumentorum porrectio non eſt eſſentialis ordinationis materia; aut concludamus neceſſe eſt, olim in Latina non fuiſſe veram ordinationem, nec modo eſſe in Eccleſia Græca; quod temere ac prorſus abſurdè affirmaretur: Hoc præſertim aſſeramus oportet, ſi advertamus, Eccleſiam in Concilio Tridentino legitime congregatam definiiſſe; ſe in iis, quæ ad ſubſtantiam Sacramentorum ſpectant, nullam poteſtatem habere; Quod igitur eſſentiale alicui Sacramento fuit, ſemper fuit; & quod ſemper non fuit, nunquam fuit; Si itaque fuit vera ordinatio in Eccleſia Latina, & modo etiam eſt in Eccleſia Græca abſque inſtrumentorum porrectione; hanc eſſentialem affirmare non poſſumus.

38. Erit propterea tantùm acceſſoria & integrans, quatenus clarius exprimit, quæ per ordinationem tradita eſt, poteſtatem; neque licite omitti poterit, cum ritum ab Eccleſia Latina præſcriptum, & qui per tot ſæcula obſervatus fuit, contineturque in Ordine Romano, omnibuſque Ritualibus, præſertim poſt Concilium Florentinum, omittere ac violare nemini conceſſum ſit. Quod vero ſuperius num. 31. dictum eſt, nempe & Græcos aliqua adhibuiſſe inſtrumenta, intelligendum eſt, non ad poteſtatem dandam, ſed poſt datam poteſtatem, ut notat idem Morinus, juxta quem id diximus quod ibi diximus. Neque vero à me quæras, quo tempore uſus inſtrumenta tradendi in Eccleſia Latina initium acceperit, ingenuè enim fateor, hoc prorſus incertum eſſe; atque idem reſpondet Arcudius de Sacram. Ordinis cap. 4. Atque ex iſtis falſam exiſtimo conjecturam laudati Morini, qua ductus dicit, Græcos ſolummodo manus impoſitionem adhibuiſſe; quia cum Apoſtolis Judæos imitati ſunt, qui manus impoſitionem in ſuis benedictionibus, atque actionibus uſurpabant: Latinos vero, qui Romæ præſertim verſabantur, imitatos eſſe Romanos, qui Magiſtratus, Duceſque creare ſolebant, quædam verba adhibendo

bendo, nec non aliqua symbola & instrumenta tradendo; etenim primum utique concedi potest, nequaquam tamen secundum; alioquin eadem ratione semper instrumenta Latini tradidissent.

39. Juvat modo ea argumenta perpendere, quibus vel manuum impositionem essentialem non esse; vel etiam hujusmodi esse instrumentorum porrectionem, probari videtur. Primo autem se opponit, quod tradit Eugenius IV. in decreto pro Armenis, ubi, nulla mentione manuum impositionis facta, inquit, ordinationis materiam esse instrumenta, quæ ordinatis tribuuntur; ergo manuum impositio non est hujusmodi essentialis materia, aut à fortiori etiam instrumentorum traditio essentialis est nuncupanda.

40. Aliquibus Theologis respondere placet, parum roboris argumentum desumere ex hoc decreto, quod non est factum toto approbante Concilio; sed postquam jam Græci discesserant: Nos tamen istis non subscribimus, etenim in primis, quæ in Florentino Concilio post Græcorum discessionem peracta sunt quantum ad Armenorum unionem, peracta sunt ipsis consentientibus Græcis; unde in eodem decreto dicitur: *Sacro approbante Concilio, & ipsis etiam oratoribus consentientibus, data Armenis instructio quædam sub compendio orthodoxæ fidei*. Deinde, quamvis hoc traditum non esset à toto Concilio; attamen fuit instructio data à Summo Pontifice, cujus authoritas summa est, ac infallibilis, accedente præsertim totius Ecclesiæ consensu.

Dicendum itaque est, Eugenium præsupposuisse tanquam certum, manuum impositionem esse materiam essentialem, quod patet, quia decretum suum remittit ad Pontificale Romanum, ubi manus impositio tanquam essentialis præscribitur, nec opus erat illius mentionem faceret, quia jam apud Armenos erat in usu; præscripsit propterea tantùm materiam accessoriam, & integralem juxta Ecclesiæ Romanæ ritum, quem dumtaxat Armeni desiderabant, utpote qui eo carebant.

41. Neque instes, alibi à nobis dictum esse, Summum Pontificem materias & formas essentiales Sacramentorum in hoc decreto docuisse, ac designasse, siquidem hoc est verum de iis Sacramentis, in quorum materia & forma non est praxis in contrarium, & quam ut hujusmodi semper tam Ecclesia Latina, quam Græca retinuit; quod non valet in casu. Si quis verò confundere vellet instrumentorum porrectionem cum manus impositione, quatenus per eamdem actionem & instrumenta porriguntur, & manus imponitur; brevitatis gratia me non opponerem; sed tantum dicerem, instrumentorum porrectionem esse materiam essentialem non secundum se, sed prout continet manus impositionem; proinde pro opposita sententia nihil evinceretur.

42. Dices; In Pontificali Romano qui manus impositionem receperunt vocantur ordinandi, post vero porrectionem instrumentorum dicuntur ordinati; ergo quia manus impositio non est materia essentialis; est vero instrumentorum porrectio.

Sed contra; post manus impositionem appellantur ordinandi, non quia essentialia ordinis non susceperint, sed quia adhuc ipsis deest tota perfectio & integritas ordinis juxta usum & præscriptum Ecclesiæ Romanæ; post vero instrumentorum porrectionem nuncupantur ordinati, quia ipsis nihil deest, etiam ex iis, quæ ad integritatem ordinis pertinent; Quod si res secus esset, nunquam igitur Græci essent ordinati; quia ipsis instrumenta non porriguntur.

43. Secundum, quod opponitur, habetur ex Innoc. III. cap. *Pastoralis* de Sacramentis non iterandis, nec non Gregorio IX. ibidem cap. *Presbyter* ubi dicunt, *iterandam non esse ordinationem factam sine manus impositione, sed suppleri*-

plendum esse, quod omissum est. Et additur; *Manus impositionem esse ritum ab Apostolis introductum*, ergo manus impositio non est essentialis. Illatio tenet; nam si manus impositio essentialis esset, sine ea ordinatio fuisset nulla, ergo iteranda, non esset ab Apostolis introducta, sed à Christo, qui omnia essentialia Sacramentorum instituit, sicut ipsa Sacramenta.

44. Si placeret strictè subtiliterque respondere diceremus, ordinationem factam absque manus impositione non iterari; non enim iteratur, quod nullo modo factum est, sicut esset illa ordinatio. Aliter tamen respondet Bellarminus inquiens, mentem Innocentii, & Gregorii esse, non esse repetendas cœremonias rite peractas, sed suppleri quod omissum est, possunt enim illæ cœremoniæ dividi, & suum nihilominus effectum habere. Addo tandem, sic esse Pontifices intelligendos, ut si omissa sint essentialia, & adhibita reliqua; illa sunt supplenda, non ista; si omissa reliqua, & essentialia adhibita, hæc non sunt repetenda, sed illa; Quod ostendi potest exemplo Baptismi; Si enim hic privatè in casu necessitatis collatus est quantum ad essentialia, hæc non repetuntur; sed tantùm supplentur alia ad solemnitatem pertinentia; Si vero publice collatus esset cum omnibus cœremoniis, & aliquo defectu non fuissent essentialia; hæc supplerentur, non illæ. Quod vero Gregorius dicat, manuum impositionem introductam esse ab Apostolis, non sic debet usurpari, ut Apostoli ritum illum instituerint; sed quia ipsi à Christo edocti ritum illum adhibuerint primi.

45. Nonnulla alia subdemus, ubi de duplici potestate, quæ Sacerdotibus confertur, sermo continget.

CAPUT IV.

De Auctore, & Ministro Ordinationis.

46. DE priori puncto nihil dicendum occurrit; Toties enim dictum est juxta Tridentinum, Christum Dominum omnium novæ Legis Sacramentorum fuisse institutorem; quod & ratione probatum fuit; nunc igitur tantum addimus ejusdem Concilii pro re nostra definitionem sess. 23. can. 3. dicentis: *Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, vel &c. anathema sit*.

47. Ut vero secunda pars tituli resolvatur, colligenda sunt quæ diximus de Ministro ordinario, & extraordinario, & quia res hæc per plura definienda est. Ideo

§. I.

An solus Episcopus sit Minister Ordinarius Sacramenti Ordinis.

48. NOvatores Lutherani & Calvinistæ ordinationis Ministerium ad omnem populum pertinere contendunt; quamvis manus imponere solummodo pastoribus concedatur; non quia in populo authoritas & potestas desit; sed ut confusio evitetur. Ita Calvin. lib. 4. Institut. cap. 3. §. 15. Hoc prius tradidit etiam Wiclef. inter alia dicens: *Confirmationem juvenum, Clericorum ordinationem, locorum consecrationem reservari Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis*. Quem errorem sess. 8. Concilium Constantiense damnavit.

49. Dicendum; Solum Episcopum esse Ministrum Ordinarium.

Veritas hæc pluribus momentis à nobis est ostendenda. Et primo ex Scripturis, in quibus solis Episcopis ordinis collatio adscribitur. Legatur de actibus

bus Apostolorum cap. 6., habetur de septem Diaconis electis à populo; *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Et cap. 14. de Paulo & Barnaba scribitur: *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt*. Legatur epistola 1. ad Timot. cap.3. & ad Tit.1. In ea post descriptas eas dotes, quibus Episcopus præfulgere debet, inquit: *Hæc tibi scribo .... ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari*, & deinde cap.5. ipsi præcipit, ne cito alicui manus imponat, nisi prius ejusdem mores, vitæque probaverit sanctitatem. In alia vero ait Tito. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, ut constituas per Civitates Presbyteros; sicut & ego disposui tibi*. Denique idem Paulus 2. ad Timot. cap. 4. dicit: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterii*. Ideft Episcoporum, ut explicant Theodoretus, Oecumenius, Theophylac. præsertim vero Chrysost. dicens: *Non de Presbyteris hic loquitur, sed de Episcopis; neque enim profecto Presbyteri ipsum ordinarunt*. Clarius vero c. 1. dixerat: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum meorum*. Igitur Scriptura Sancti solos Episcopos ordinationis Ministros agnoscit.

50. Quod secundo perpetua etiam traditione declaratur; ex qua, licet ex Scriptura satis manifestè non inferretur, dubitandi locus non relinquitur. Extat autem primo loco quidam Canon ex iis, quos Apostolicos appellamus, & in quibus trium priorum sæculorum disciplina continetur; in eo sic legitur: *Episcopus à duobus vel tribus Episcopis ordinetur; Presbyter ab uno Episcopo, & Diaconus, & reliqui Clerici*. Hoc adeo persuasum semper fuit; ut Novatianus, qui Romanum Episcopatum ambierat, tres Episcopos, homines agrestes ac rudes in fraudem adduxerit, & cum circiter horam decimam ipsos ebrios ac crapula oppressos viderit, imaginaria quadam, ac vana manuum impositione sibi Episcopatum dare coegerit; Rem narrat Cornelius Papa in epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib.6.Histor. cap.43. Pro quarto sæculo testes habemus Chrysost. & Hieronym. Ille, præter superius testimonium, hom. 11. in primam ad Timot. dicit de Episcopis: *Sola ordinatione superiores illi sunt; atque hoc tantùm plusquam Presbyteri habere videntur*; Iste vero in epist. ad Evagrium ait: *Quid facit Episcopus excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?* Mitto Epiphanium, qui Aerium rejicit, & cum hæreticis damnat eo quia pares in ordinandi jure Episcopis Presbyteros judicaverit; & dicit, per Episcopos gigni Patres ordinationis virtute, per Presbyteros verò filios dumtaxat Ecclesiæ virtute Baptismi; En illius verba hær.75. *Siquidem unus ordo* (idest Episcopalis) *ad gignendos Patres præcipuè pertinet, hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio; Alter, cum Patres non possit, filios Ecclesiæ lotionis regeneratione producit; non tamen Patres aut Magistros*.

51. Hanc traditionem duo Concilia antiquiora absolvant. Primum erit Alexandrinum ex Ægypto, Lybia, Thebaide, & Pentapoli congregatum sub Osio an.319. Refert Athanas.ap.2. contra Arianos, Ischyram quemdam, ab Arianis seductum, fuisse sui accusatorem; Hic à Collutho simplici tantùm Presbytero ordinatus fuit; accusaverat autem Athanasium, quod Sacrificii tempore calicem sacrum fregisset; Quid vero Concilium, ut Athanasium purget? Duo declarat, nec ab Athanasio calicem confractum esse, nec Ischyram, utpote à simplici Presbytero ordinatum, esse verum Sacerdotem. Alterum erit Concil. Hispalense 2. an. 619. quod cap. 5. irritam affirmat ordinationem illam, in qua Presbyter verba formæ

mæ pronuntiaverat, & Episcopus, qui præ oculorum dolore legere non poterat, manus imposuerat.

52. Videant igitur hæretici, quam merito Eugenius IV. in decreto pro Armenorum instructione dixerit; *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus*. Et quam juste Tridentina Synodus sess. 23. cap. 4. docuerit per hæc verba; *Sacrosancta Synodus declarat, Episcopos Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent*; necnon aliter sentientes anathemate damnaverit can.7. per hæc alia; *Si quis dixerit, Episcopos non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; anathema sit*.

53. Opp. 1. Aaron fuit ordinatus Sacerdos à Moyse, qui tamen non erat Sacerdos; cum Sacerdotium pertineret tantùm ad Aaronem, ejusdemque filios.

Respondeo; Sicuti si cum Sacrificiis veteris Legis Sacrificium nostrum comparare vellemus, ineptissimè loqueremur; ita valde dispar est ratio inter illius ac nostræ Sacerdotes; Illius una fuit institutio, istius altera. Illud tantum legale erat statutum in Aarone, ejusdemque successoribus; Si tamen à nobis negaretur, Moysem Sacerdotem non fuisse, suffragaretur Leo Papa in epist.88. juxta illud psal. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*.

54. Opp.2. Cui conceditur potestas major, concedenda & minor; atqui Presbyteris conceditur potestas major, quam sit ordinem impertiri, cum concedatur conficere corpus & sanguinem Domini Nostri Jesu Christi; ergo etiam concedenda potestas ordinem impertiendi.

Resp. argumentum hoc in physicis esse falsum; Major est facultas generandi hominem, quam formicam, & tamen cui illa conceditur, negatur ista; à fortiori igitur falsum esse in moralibus, & quæ ab institutione, & perpetua praxi dependent; Hoc autem contingit in nostro casu; proinde &c. Quanquam si argumentum concederetur; Novatores nihil evincerent, qui contendunt, hoc ad totum populum pertinere; siquidem conficiendi corpus & sanguinem Christi toti populo non conceditur.

55. Opp. 3. Act. 6. legitur, quod convocata multitudine electi fuerunt septem; prius tamen quam eligerentur, placuit sermo coram omni multitudine: igitur populus in primitiva Ecclesia habuit jus suffragii in Ministrorum electione; atque idem innuit Sanctus Cyprianus epist. 33. & 69. Non itaque ad solos Episcopos spectat ordines conferre.

Resp. dato absolutè antecedente nihil concludi; etenim electio illa, ut patet ex textu, erat ad ministrandum mensis, quod certe munus ex populi consensione potest committi. Est tamen observandum, tria in ministrorum ordinatione contingere, videlicet, electionem, ordinationem seu consecrationem, & vocationem seu missionem. Electio nihil est aliud, quàm designatio alicujus certæ personæ ad Ecclesiasticam Dignitatem; Ordinatio est cœremonia sacra, qua Ministri pro tali dignitate consecrantur; missio verò & vocatio jurisdictionem tribuit, & verè Ecclesiasticum Pastorem constituit: Concedimus autem, ad populum pertinere posse jus eligendi, quod etiam nostris hisce temporibus concedi conspicimus; negamus solum jus consecrandi; Quare ex citato loco nihil in nos, & hoc pacto intelligendus est Sanctus Cyprianus.

56. Opp.4. Etsi fortasse Presbyteris seorsim sumptis ordinandi jus convenire non possit; saltem ipsis una simul cum Episcopo negari non potest: ergo. Prob. ant. Presbyteri in ordinationibus simul cum Episcopo manus imponunt, ut ex antiqua & hodierna praxi manife-

stum

stum est, ergo; atque hoc indicare videtur illud Pauli 1. ad Timot. 4. toties adductum: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii.*

Resp. ne. ant. ad prob. dico quod illa manus impositio, quam adhibent Presbyteri simul cum Episcopo purè cœremonialis est, nequaquam Sacramentalis; denotat tantùm fraternitatem, consensionem, & societatem, quam cum Presbyteris de novo consecratis ineunt; nullum tamen effectum producit: quod patet ex eo, quod sic manum imponentes, nullum proferunt verbum. Præterea pro manibus Presbyterii intelligi debet cœtus Episcoporum, ut diximus num. 49., & certè tunc agebat Paulus de consecratione Episcopi, in qua, ut perpetua docet disciplina, plures Episcopi manus imponere solent.

57. Opp. 5. Nicænum 1., quod in epistola synodica ad Ecclesiam Alexandrinam, ut legitur apud Socratem lib. 1. hist. cap. 16., statuit; ut qui fuerint ordinati à Meletio Schismatico, tanquam Clerici in Ecclesiæ sinum reciperentur; si tamen ejusdem schismati adhæsissent, privarentur suffragio nominandi, ac alios ordinandi; secus illi, qui ad nullum schisma declinasse comperti fuerint; En verba. *Illi autem, qui Dei gratia ad nullum schisma defecisse comperti sunt, & se intra Catholicam Ecclesiam impollutos continuerunt, jus habeant & ordinandi, & eos, qui digni Clero fuerint, nominandi.* Existimavit igitur Concilium, apud Presbyteros tunc temporis jus ordinandi fuisse.

Resp. facultatem, quam hisce Clericis concedit Concilium, non esse propriè ordinandi, ideſt consecrandi; sed impropriè, ideſt suo suffragio cum cœteris eligendi, designandi, & approbandi; & ratio deducitur ab opposito, nam sicuti illis, qui Meletiano schismati adhæserant, adempta fuit facultas designandi, & eligendi; ita aliis hæc fuit concessa; proinde &c.

§. II.

An Minister extraordinarius, seu delegatus ordinationis esse possit aliquis præter Episcopum.

58. Ut clarius difficultas proposita resolvatur, distinguendi sunt ordines minores, & majores; nec non varia Doctorum placita referenda, ut quid eligendum vel reprobandum sit secernere valeamus. Et quidem si de minoribus ordinibus sermo fiat; vel isti dicuntur instituti ab Ecclesia, vel à Christo Domino; de quo modo non disputamus: si primum, etiam Laicos ex Summi Pontificis commissione esse posse eorum Ministros est satis communis sententia; eorum enim collatio pendet ab Ecclesiæ institutione, nec est nisi extrinseca deputatio ad quædam officia; quam Ecclesia committere potest cuicumque sibi subjecto, sicuti committere potest facultatem alios excommunicandi: Si vero secundum, affirmant omnes, Clerico Presbytero inferiori demandari non posse, quidquid dicat Glos. can. *Pervenit* dis. 95., quæ concedit à Diacono ex Pontificis commissione conferri posse Diaconatum, quia, inquit, *potest ei demandari, ut conferat ordinem quem habet, non quem non habet*; Fundamentum autem hoc negandi est; quia facultatem hanc alicui non Presbytero concessam esse, nunquam legimus; & ex alia parte juxta Divinam institutionem potestas in corpus Christi misticum supponit potestatem in corpus Christi verum; quod non nisi Presbytero convenire manifestum est.

59. E' contrario hujusmodi facultatem concessam esse Cardinalibus Sacerdotibus per respectum ad eos, qui ad eorumdem familiam pertinent, affirmant Archidiacon. in cap. *Nullus Episco-*

scopus de temp. ord. in 6. Silvester verbo *Ordo*: dubitat tamen Azorius instit. moral. par. 2. lib. 4. cap. 3. qu. 2., ait enim de jure communi non competere; De privilegio non constare; consuetudinem nullam esse, ut à pluribus fide dignis, & in Romana Curia non mediocriter versatis se accepisse testatur; esse tamen hujusmodi consuetudinem, asserit Bonacina disp. 8. de Sacram. Ordinis q. unic. puncto 5. num. 3.

60. Dubitari tamen non potest de Abbatibus, quibus annuli, mitræ, & baculi pastoralis insignia delata sunt; ut colligitur ex c. 1. dis. 69. & ex c. *Cum contingat de ætate & qualit. &c. Abbates de privil. in 6.* quod privilegium confirmavit etiam Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 10. dicens; *Abbatibus, ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis, non liceat in posterum ...... cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre.* Utrum autem hoc extendatur ad omnes ordines, vel tantum ad duos priores dubitare merito possem, quamvis ad omnes affirment Bonacina laudato loco, & Marchin. de Sacram. Ordinis tract. 1. par. 2. cap. 10. num. 5., qui dicit; facultatem ad omnes minores ampliatam fuisse Abbatibus à Concilio Tridentino supra; dubitare inquam merito possem; etenim in Synodo 7. Gener. can. 14. ita legitur: *Lectoris autem manus impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio Monasterio solummodo faciendi*; ex alia parte in Concilio Tridentino factam fuisse hujusmodi ampliationem, non video; etenim solummodo disponit, Abbates conferre posse tonsuram & ordines, quod intelligi debet de illis ordinibus, ad quos de jure habent facultatem, & ex alia parte facultatem hanc limitat tantum ad regulares sibi subditos; Si autem dicas consuetudinem esse contrariam, vel alia privilegia; non me opponam.

61. Difficultas igitur potior est de Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu.

Qua in re prima sententia de omnibus absolute negat; Hæc tribuitur S. Th. in 4. dist. 25. qu. 1. orat. 1. ad 3. Bonaven. qu. 1. art. 1. Richardo, & Capreolo, qui contrariam opinionem appellat erroneam, & oppositam Ecclesiæ determinationi; Ratio autem Sancti Thomæ est, quia Summus Pontifex non potest alicui non Episcopo ea committere quæ immediatam relationem habent ad verum Christi corpus; nam supra hoc non est major potestas in Papa, quàm in simplici Sacerdote: atqui prædicti ordines habent immediatam relationem ad verum Christi corpus: ergo.

62. Secunda opinio prorsus opposita de omnibus affirmat. Hæc tribuitur Aureolo apud Capreolum in 4. dist. 25. qu. unica art. 2. §. *Contra eandem conclusionem.* Angelo in sum. verbo *Ordo*. Et fundamentum desumitur ab Innocentio IV. in cap. *Quanto de consuetudine*, & Glossa in can. *Manus* de consecr. dis. 5. verbo *Irritum*, ubi inquit, *ex demandatione Papæ potest quilibet conferre quod habet; ut ordinatus ordinem quem habet, & confirmatus confirmationem.* Idem docet Panormit. cap. *Quanto* de cons. num. 9.

63. Tertia opinio id tantum de Subdiaconatu concedit. Ita Bellarm. lib. Cleric: cap. 17. Suarez in 3. par. tom. 3. disp. 11. sect. 3. & Coninch. disput. 20. de Sacram. Ord. dub. 9. conclus. 4. aliique.

Quarta demum excepto Presbyteratu etiam ad Diaconatum talem facultatem extendit. Pro hac citantur Gabr. in suppl. in 4. dist. 25. qu. 1. art. conc. 2. Major in 4. dis. 7. qu. unica §. *Secundo arguitur*; & præcipuum momentum habetur ex quadam Bulla Innocentii VIII. an. Domini 1489., quam in Bibliotheca Collegii Complutensis Societatis Jesu servari, & se legisse testatur Vasquez 3. p. disp. 243. cap. 4. Bulla autem sic habet: *Ne Monachi dicti Ordinis* (Cisterciensis) *pro suscipiendis Subdiaconatus & Diaconatus ordinibus,*

extra

extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi & successoribus tuis, ut quibuscumque tui ordinis Monachis, aliis vero quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum successoribus, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus, ac Diaconatus ordines hujusmodi alias rite conferre libere ac licite possitis, & possint, auctoritate Apostolica & ex certa scientia tenore præsentium de specialis dono gratiæ indulgemus.

64. In tam variis tot Doctorum placitis quid à nobis proferri potest? Nihil certe ab Ecclesia definitum fuit & quidquid asseratur, contra fidem nihil asseritur; Quare id tantum, quod nobis probabilius videtur, superest asserendum.

Atque primo si de Subdiaconatu sit sermo, pendet potissimum resolutio ex eo, quod statuatur; Utrum Subdiaconatus sit Sacramentum, & ordo à Christo Domino institutus; si enim dicamus, ab Ecclesiastica dispositione derivasse, planè ejus ministerium sub Ecclesiæ facultate esse, negari non potest. De hoc autem puncto in proprio loco petractabimus. Si vero de Diaconatu & Presbyteratu quæstio movetur.

65. Assero, probabilius esse, simplicem Sacerdotem, idest non Episcopum, non posse etiam ex delegatione Summi Pontificis esse Ministrum.

Ratio hujus est, quia sicut in parag. anteced. declaravimus, nec Scriptura nec traditio alium Ministrum horum ordinum assignat præter Episcopum; ex alia parte nusquam legimus, præsertim circa Presbyteratum, alicui concessam fuisse ordinandi facultatem; quod est maximum pro re nostra argumentum: si enim Christus dispensandi facultatem reliquisset, ea aliquando Ecclesia usa esset, cum plures sese exhibuerint occasiones; tum persecutionum temporibus, quibus Episcopi latebant in cryptis, & quærebantur ad necem; tum etiam Constantini tempore, quo pax reddita est; profecto enim potestatem hanc executioni mandasset, præsertim in remotis regionibus, ubi nulli adhuc erant Episcopi, & in quas nonnisi magno cum labore ac discrimine poterant mitti. Quod vero de illa Bulla dictum fuit, infra expendetur.

66. Huc accedunt duo testimonia alibi producta. Unum Chrysostomi, alterum Hieronymi. Inquit primus, *sola ordinatione Episcopi Presbyteros videntur superare, & antecedere.* Dicit secundus. *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Hoc autem falsum esset, si ex delegatione possent Presbyteri ordinare; siquidem ita se haberent ad ordinationem, sicut ad confirmationem, quam ex Pontificis commissione conferre posse, suo loco probatum est: si igitur sola ordinatione Presbyteros excedunt Episcopi; consequens fit, ut neque ex delegatione ordinare Presbyteri possint; aut non tenent horum Patrum exclusiva testimonia. Verum assertio nostra magis per argumentorum solutionem fiet manifesta.

67. Opp. 1. plures historias. Novatus Presbyter, teste S. Cypriano ep. 49. Felicissimum Satellitem suum Diaconum constituit, nec ordinationem istam irritam censuit Cyprianus. Refertur à Cassiano collat. 4. cap. 1. Paphnutium Presbyterum Danielem discipulum suum ordinasse primo in Diaconum, postea in Sacerdotem: Sub Valeriano & Gallieno Scythæ ex Romana ditione plures Clericos captivos abduxerunt, ex istis, qui morum sanctitate, ac sincera prædicatione multos Barbaros ad fidem adduxerant, fuit Ulphila quidam, qui ab Eusebio nondum Episcopo consecratus fuit: Valente etiam imperante Orthodoxi Episcopi exules facti sunt; & tunc plures Presbyteri, præsertim Flavianus ac Diodorus gregis curam susceperunt, & ubicumque opus fuit, Ecclesias Episcopis regendas commiserunt, quos certè ipsi ordinarunt; cum ad

ad alios Episcopos confugere nequaquam possent. Denique Cato Presbyter Episcopalia munera obivit absque alia ordinatione, sibi sufficere ratus Presbyteralem inaugurationem. Primum refert Philostrogius in Eclogis lib.2. cap.5., secundum Epiphan. hæresi 73., tertium Gregor. Turonens. lib.4. hist. Franc. per plura capita.

68. Hæc quidem probant, non solum à Presbyteris ordinari posse Diaconos, & Presbyteros; sed etiam Episcopos, & quidem non solum ex delegatione, sed proprio jure contra id quod dicit Paulus ad Hebr. 7. majorem non esse à minori benedicendum; Cum tamen ex hoc à fortiori impugnetur assertio nostra; sicut nos à fortiori dicimus Episcopos à Presbyteris ordinari non posse; ideo diluenda sunt argumenta. Quod attinet ad Novatum, res ita se habuit, ut Novatus non ordinaverit felicissimum Diaconum; sed ordinari tantum ambitione curaverit, & procul dubio per Evaristum Episcopum, qui ejusdem parti adhæserat; & de quo dixit Cyprianus, *de Episcopo nec Laicus remansit, Cathedræ & plebis expers, & de Ecclesia Christi exul*. Argumentum hoc dicendi aliud Novati nobis præbet exemplum; cum enim vellet Novatianum Romæ Episcopum constitui; suis eum manibus ordinare non præsumpsit; sed tres temulentos Episcopos, quibus ordinaretur accersivit; & sic eum ordinasse dicitur, quia ordinari curaverit. Idem dicimus de Paphnutio, nempe obtulisse Danielem Ecclesiæ Præsulibus, qui super eum manus imponerent. Philostrogio nulla fides est adhibenda; Arianus erat, qui ut ostenderet Gothorum Ecclesiam fuisse ab Arianis institutam atque fundatam, refert Ulphilum, qui muneribus illectus ad Arianam hæresim Gothos perduxit, Episcopum prim... fuisse, quod tamen falsum esse, habetur ex Socrate lib. 2. hist. cap. 41., qui narrat Theophilum Gothorum Episcopum Nicæno adfuisse Concilio, atque illi subscripsisse: Insuper Philostrogius narrat, Constantini temporibus hoc evenisse, & tamen Sozomenus lib.6. cap. 37. Theodoretus lib.4. cap. 37. nec non Socrates lib.4. cap.33. ad Valentis imperium referunt, Neque verum est, Presbyteros illos, de quibus Epiphanius, quempiam in Episcopum ordinasse; eligebant quidem quos dignos existimaverant, sed illos Episcopis ordinandos offerebant; qui etiam Episcopi ad Ecclesias, quas Pastoribus noverant viduatas, per diuturna itinera pergebant, ut Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos ordinarent; sicut de Sancto Eusebio Samosatensi narrat Theodoretus lib.4. hist. cap.13. Tandem de Catone dicendum est, munera, quæ propria Episcoporum sunt, nequaquam obivisse.

69. Opp.2. Juxta Concilium Ancyranum can. 13. Chorepiscopi ex facultate Episcopi poterant Diaconos vel Presbyteros ordinare; sic enim legitur apud Gentianum Hervetum; *Chorepiscopo non licere Presbyteros, vel Diaconos ordinare; sed neque Urbis Presbyteros, nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit, in aliena Parochia*. Idem etiam habetur ex Concilio Antiocheno can.10. ubi sic legitur: *Non Presbyterum nec Diaconum ordinare audeant absque Urbis Episcopo cui &c.* Igitur adveniente Episcopi facultate poterant Chorepiscopi Diaconos ac Presbyteros constituere: Chorepiscopi autem erant simplices Sacerdotes; ergo.

70. Resp. argumenti hujus solutionem pendere ex iis, quæ dicemus, ubi de Chorepiscopis aliqua resolventur. Interim sciendum est, fuisse plures Chorepiscopos, qui antea fuerunt veri Episcopi; ut constat ex laudata Synodo Ancyrana can. 17., ex Antiochena can.18., & ex Nicæna 1. can.8. De istis sermo est in adductis locis; non de aliis, qui tantum erant Sacerdotes.

71. Opp. 3. S. Leo Magnus Rustico Narbonensi, qui interrogaverat, qui.

quid agendum foret de Presbytero, vel Diacono, qui se Episcopos mentiti sunt; & de his, quos ipsi Clericos ordinarunt, epist. 92. respondet; quod si ordinatio peracta fuerit cum judicio & consensu præsidentium, haberi possit ut rata; ergo.

Resp. 1. ex vi interrogationis & responsionis probari tantum de Clericis; hoc autem nomine plerumque indicantur illi, qui sunt in minoribus ordinibus constituti; non vero Presbyteri, vel Diaconi. Secundo; Illi, quos Rusticus mendaces Episcopos, seu Pseudo-Episcopos appellat, fuerunt hujusmodi; non quia characterem Episcopalem non habuerint; sed quia contra canones absque Metropolitani consensu, aliisque Comprovincialibus Episcopis fuerant ordinati.

72. Opp. 4. Ex ipso Concilio Florentino inferri potest, & debet extraordinarium Ministrum ordinationis esse simplicem Sacerdotem; inquit enim Ministrum ordinarium hujus Sacramenti esse Episcopum; quo dicendi modo concedit, Ministrum extraordinarium esse quemcumque Sacerdotem; & sicuti infertur, simplicem Sacerdotem esse Ministrum extraordinarium confirmationis, ex quo dicat, Ministrum ordinarium esse Episcopum; ita in re nostra. Et observandum, Concilium Tridentinum sess. 23. can. 7. eodem modo dicere confirmandi & ordinandi facultatem propriam esse Episcoporum, nec Presbyteris communem.

73. Resp. in eorum sententia, qui dicunt, omnes ordines etiam minores esse Sacramentum; allatum ratiocinium nihil probare; dici enim posset, ideo Eugenium dixisse Ministrum ordinarium hujus Sacramenti esse Episcopum, quia quantum ad ordines minores etiam simplex Sacerdos potest ex delegatione esse Minister. Neque pari modo loquitur de confirmatione, ac de ordinatione; siquidem quantum ad illam asserit esse exemplum, quo ab aliis, præter quam ab Episcopis, fuerit administrata; Unde cum in re nostra nullum exemplum afferri possit, infertur, &c.

74. Quantum attinet ad Concilium Tridentinum, fatemur sess. 7. can. 3. ita definire, *si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis Ministrum ordinarium non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit*. Sed quid inde? ita se gessit, nihil definire volens circa Ministrum extraordinarium hujus Sacramenti, de quo Theologos inter se contendere non ignorabat, ne diversis sententiis præjudicium aliquod inferret, & ideo consulto apposuit *ordinarium* cum qua particula de extraordinario affirmari poterat, vel negari. Fatemur etiam sess. 23. can. 7. sic statuere. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. anathema* Sed nunquid utriusque potestatis eandem esse rationem declarat? Minime profecto. Attende quæso, quo pacto loquatur, dum de Sacramento confirmationis sermonem habet; ibi absolutè dicit, simplicem Sacerdotem Ministrum ordinarium non esse; dum vero de ordinis Sacramento differit, solis Episcopis facultatem attribuit, ordinarii vero Ministri nec verbum facit; imo simplicibus Sacerdotibus omnem denegat facultatem. Ecce ejusdem verba sess. 23. cap. 4. *Proinde Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum ordinem successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, eosque Presbyteris superiores esse &c. Ministros Ecclesiæ ordinare; atque alia pleraque peragere posse; quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent*.

75. Dices; atqui extat exemplum, quo innuitur, facultatem saltem Diaconos ordinandi aliis, qui non erant Episcopi, concessam fuisse: ergo sicut lo-

qui-

quimur de confirmatione; ita de ordinatione loqui debemus.

Jam jam te audio afferentem Bullam, quam inquis Abbatibus Cisterciensibus concessam ab Innoc. VIII. de qua supra; cujus quidem præter Vasquez ibi laudatum meminerunt etiam Navar. lib. 5. Consiliorum, cons. 13. Morinus parte 3. de Sacris ordinibus exercitat. 4. cap. 3. Major in 4. dist. 7. qu. unica? Henriquez in summa, in additionibus ad lib. 10. de ordine; quod etiam privilegium concessum fuisse Abbatibus Benedictinis, nec non Guardianis ex Ordine S. Francisci in India, plures testantur.

76. Optimè sane. Scio, Amicum disp. 23. de natura & institutione Ordinis sect. 2. num. 11. sic loqui: hoc privilegium negare imprudentis animi esse; affirmare vero Pontificem in eo concedendo errasse, effrontis esse temeritatis. Sed si ita est, hujusmodi nota afficiantur Hallerius sect. 5. de Ministro Sacræ ordinat. ar. 2. §. 2. num. 21., ubi ait, probabilius esse, privilegium hoc esse suppositititium, nec unquam alicujus memoria Cistercienses illo usos fuisse; Sylvius in supplem. S.Thom. qu. 38. art. 1. idem affirmans, & ipse Navarrus loco nuper laudato illud vocans exorbitans. Ad minus igitur privilegium illud dubium est; igitur & dubia illatio ex eodem deducta. Et revera si fuisset; cogitari ne potest, quod Concilium Tridentinum Sacram ordinationem Episcopis reservans, & Abbatum privilegia restringens, nullam ejusdem mentionem fecisset? cogitari ne potest, nec in Bullario, nec in publicis monumentis, in quibus Pontificum Constitutiones continentur, inveniri?

77. Demus tamen, Bullam istam à Pontifice emanasse; In ea nihil aliud conceditur, nisi quod Abbates Cistercienses nulla habita Diæcesum ac Provinciarum ratione, litteras dimissorias suis Monachis dare possent, quibus quilibet Episcopus Monachos istos ordinare posset ac promovere. Ita interpretatur Benzonius lib. 2. de Anno Jubilæi cap. 23., & dicit sic fuisse expositam à S.Conc.Trident.Congreg. ann. 1592.

78. Verùm, bona hujus aliorumque venia, hujusmodi explicatio prorsus inanis, & irrationabilis est; siquidem in Bulla dicitur: *Ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus & Diaconatus ordinibus extra claustra hinc inde discurrere cogantur*, quod juxta dictam explicationem locum non haberet.

79. Fundamenta secundæ sententiæ num. 62. omnino vana sunt, nec unquam Innoc. IV. hoc docuit, quod manifestum est ex illa Gloss. ibi adducta, qua admissa hoc maximum sequeretur & inauditum absurdum; nempe quemlibet confirmatum posse ex commissione conferre confirmationem: Reliqua verò rejecta sunt.

Hæc à nobis dicta sunt; concludemus tamen cum Vasquez judicium relinquendo lectori.

§. III.

Utrum Episcopus hæreticus, excommunicatus, degradatus possit validè ordines conferre.

80. Omnia sub uno titulo placet examinare, quamvis singillatim ea resolvemus. Partem negativam docent Gratianus & Palea causa 9. qu. 1. aliique, quos Gloss. ibi citat in can. *Nos* nec non Magister Sententiarum in 4. dist. 25. litt. C. qui post adducta pro utraque parte Patrum testimonia, concludit: *Qui vero in schismate vel hæresi positi ab eis ordinati & inuncti fuerint, illo jure carent, ideoque cum ordinare volunt, vulnus potius infligunt, quam gratiam conferant.* Hoc autem dicunt de illis Episcopis, qui nunquam fuerunt Catholici; etenim de aliis, qui aliquando fuerunt in Ecclesia, deinde fuerunt præcisi, inquit Gratian.

Ordi-

Ordinationes eorum ab Ecclesia misericorditer tolerantur. Fundamentum desumunt ex quibusdam canonum sanctionibus, nec non Pontificum Sanctorumque Patrum testimoniis, quæ inferius producemus.

81. Affirmativa sententia communissima est apud Doctores Scholast. in 4. dist. 25., & Summistas verbo *Ordo*. Ex illis sunt S. Th. qu. 1. art. 2., Scot. qu. 2. §. *De secundo articulo*. Bonavent. q. 1. art. 2., Ric., Palud. &c. ex aliis Sylvest., Angelus &c. Fundamentum desumitur ex eo, quod in iis, quæ pendent à potestate, quam tradidit Christus, nihil adimi vel impediri potest propter defectum fidei, & excessum improbitatis in Ministro, vel per Ecclesiæ prohibitionem, quæ in iis quantum ad valorem jus nullum habet; hujusmodi autem est ordinis collatio; proinde si Episcopus hæreticus vel excommunicatus, &c. omnia requisita ad ordinationis valorem adhibeat, valide confert ordinationem: quod quidem aliorum Sacramentorum paritate potest confirmari; quare ea omnia, quæ diximus de Baptismo, hic de ordine dici possunt, nec placet iterum dicere; Ad hanc rem facit, quod habetur in can. *Quod quidem*, 1. quæst. 1. ubi sic legitur: *Aliud est prorsus non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere. Quidquid non habetur, dandum est, cum opus est dari; quod vero perniciosè habetur per correctionem depulsa pernicie, agendum est, ut salubriter habeatur; Quod si non correxerit, manabit ad pœnam usurpatoris quod datum est, vel ejus, qui illicitè dedit, vel ejus, qui illicitè accepit; non tamen pro non dato habetur*. Agitur autem in hoc canone de Baptismo, & Ordine. Urbanus etiam Secundus epist. 17. ad Lucium, quod dicimus tradit, & hanc quæstionem resolvit.

82. Solummodo in Pœnitentiæ Sacramento talem potestatem habet Ecclesia, ut ejusdem effectum possit impedire; sed nihil mirum, cum ad Sacramentum hoc requiratur jurisdictio in Ministro, quam dare & auferre potest Ecclesia. Hoc etiam dicendum est de ordinum minorum collatione in eorum sententia, qui asserunt non esse Sacramentum, sed ab Ecclesia institutos; posset enim Ecclesia illos conferendi potestatem auferre; nunquam tamen auferre voluit, cum incertum sit, utrum fuerint à Christo instituti; & sententia tam affirmativa, quam negativa probabiliter tantum defendatur.

83. Hac ratione ducti existimarunt aliqui; quod si Episcopatus non sit ordo, dum aliquis ab Ecclesia degradatur, omnem etiam facultatem Episcopalem deperdat: etenim juxta hanc sententiam Episcopatus est potestas quædam jurisdictionis proveniens à Summo Pontifice; omnis autem potestas jurisdictionis ab eo, à quo datur, auferre potest; & cum degradatio significare videatur privationem gradus & potestatis antea collatæ, inferri potest, Episcopum degradatum potestate Episcopali omnino carere, ac proinde ordinationem ab eo factam irritam esse & prorsus nullam.

84. Nihilo tamen minus idem, quod de Episcopo hæretico & excommunicato diximus; etiam de degradato sentimus: Hoc procul dubio dicendum est, si asseramus, consecrationem & potestatem Episcopi à Divino jure descendere, quod suo loco pertractabimus; quod enim hujusmodi est nullo facto, vel jure Ecclesiastico potest auferri; Si autem concedamus, ab Ecclesia institutam esse; adhuc ab Ecclesia degradato non aufertur; quod ex S.Th. sic potest ostendi; Potestas, quæ cum aliqua consecratione & benedictione confertur, tolli non potest perseverante re, quæ fuit consecrata, & in qua manet consecratio, atqui Episcopalis potestas confertur cum aliqua consecratione; ergo auferri non potest, permanente re, &c. Neque obstat, potestatem hanc jure Ecclesiastico introductam esse; nam quamvis hoc transf-

transmittatur, adhuc ab Ecclesia semel collata adimi non potest: sicut licet voti solemnitas in sola benedictione Ecclesiastica voventis consistat, attamen per Ecclesiæ dispensationem votum solemne relaxari non potest, quia quod semel benedictum ac Deo consecratum est, non potest non esse benedictum & consecratum; ut loquitur S. Th. 2. 2. q.88. art.11. Sed in hac re idem dicere possumus, quod supra de potestate conferendi ordines minores.

85. Nunc oppositæ opinionis momenta perpendamus. Non memorabo autem Cyprianum, qui in epist. contra hæret. can. 70. 1. qu.1. sic habet: *Ergo omnia quæcumque faciunt hæretici, carnalia sunt, & inania, & falsa: ita ut nihil eorum, quæ illi gesserint, à nobis probari debeat*. Etenim in hac re nihil ponderis habet authoritas Cypriani; utpote qui docuit, etiam Baptismum collatum ab hæreticis nullum esse, in quo erravit. Primo itaque opponitur Innocentius I., qui in epist.18. ad Alexandrum Episcopum cap. 3. inquit; Arianos, aliosque hæreticos ad fidem conversos, per Pœnitentiam, ac manuum impositionem recipiendos esse; non tamen Clericos ab eis ordinatos in aliquo Ecclesiastico gradu; rationem hanc reddit; *Quoniam cum à Catholica Fide eorum authores desciscerent, perfectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt; neque dare eis plenitudinem possunt, quæ maximè in ordinibus operatur, quod per impietatis suæ perfidiam perdiderunt*. Et superius dixerat: *Quoniam quibus solum Baptisma ratum esse permittimus, &c.* censuit igitur Innocentius, solum Baptisma ab hæreticis valide dari posse, non vero ordines. Huic Innocent. sententiæ adhæsit etiam Urbanus II. in can. *Daibertum* 1. q. 7. ubi sic loquitur: *Beati Innocentii Papæ sententia constat declaratum; quod Nezelon, quem constat ab hæreticis ordinatum; quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit. Nos igitur tanti Pontificis authoritate firmati, & Damasi Papæ testimonio roborati, qui ait, reiterari oportet, quod male actum est; Daibertum ab hæreticis corpore, & spiritu digressum ex integro Diaconum constituimus; quod non reiterationem existimari censemus, sed integram tantùm Diaconii dationem; quoniam, ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit*.

86. Resp. Innocentium non negare, ordines collatos ab hujusmodi Episcopis validos esse; sed tantum Clericis ab ipsis ordinatis non esse concedendam Clericalem dignitatem etiam post actam Pœnitentiam; Quod si plenitudinem spiritus dare non possunt, quia eam perdiderunt; non miror; plenitudo enim spiritus non datur nisi per licitam administrationem & susceptionem, in quo sensu etiam in Baptismate ab hæreticis collato, & scienter recepto plenitudo spiritus non datur, & tamen ab Innocentio validum existimatur. Neque obstat, dici, *solum Baptismum ratum esse permittimus*, nam ideo hoc dictum est, quia baptizati ab hæreticis post Pœnitentiam & manuum impositionem tanquam Laici Catholici recipiebantur; non sic ad Clericalem honorem recipiebantur ordinati: & in hoc sensu ordinatio rata non erat; ratum verò erat Baptisma; Cœterum ex testimonio Innocentii sic argumentor; Hæretici dare non poterant quod perdiderunt; sed characterem & ordinem non perdiderunt; ergo hunc poterant dare.

Eodem pacto explicari potest Urbanus II. prout Innocentii innititur authoritati; prout vero Damasum adducit, dicendum cum Glossa intelligendum esse vel de ordinatione facta præter formam Ecclesiæ; vel collata ab Episcopis hæreticis, qui revera non erant Episcopi; sicut de Chorepiscopis Damasus sensit.

87. Opp.2. Ex Concilio Placentino relato can. *Si qui* 1. qu. 1. sic statuitur: *Si qui à simoniacis non simoniacè ordinati*

nati sunt &c. talium ordinationes misericorditer sustinemus. Qui vero scienter se à simoniacis consecrari, imo execrari permiserint, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus. Igitur Episcopus simoniacus invalidè ordinaret.

88. Resp. pariter in hoc decerni, ordinationem istam irritam esse quantum ad executionem, & dignitatem; non quantum ad valorem; hæc est explicatio Nicolai II. can. sequenti, quem confirmavit Alex. II. in epist. ad omnes Episcopos in qua fatente ipso Gratiano, in tribus pervetustis Codicibus manuscriptis, continentur hæc verba. *De cœtero statuimus, ut si quis in posterum ab eo, quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, & consecrans & consecratus non disparem damnationis sententiam subeant; sed uterque depositus pœnitentiam agat, & privatus propria dignitate persistat.* Eodem modo explicandum est etiam Concilium Chalcedon. cap. 2. relatum can. 8. *Si quis Episcop.* quod ex eodem Canone manifestum fit; sic enim habetur. *Si quis Episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & sub pretio redegerit gratiam, quæ vendi non potest &c. is, qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subjacebit; & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione proficiat; sed sit alienus à dignitate, vel solicitudine, quam pecuniis acquisivit.* Et in Concil. Constant. sess. 43. sic statutum fuit; Nos volentes de cœtero, ut possumus, attentius providere, Sacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati simoniacè ab executione suorum ordinum sint eo ipso suspensi.

89. Opp. 3. ex Leone in epist. 38. ad Anatolium cap. 2. relata in can. *In Ecclesia* 1. qu. 1. *Extra Ecclesiam Dei nec rata sunt Sacerdotia, nec Sacrificia vera.* Ex Gregorio Magno lib. 3. epistolarum epist. 20. ut in can. *Nos consecrationem*; & can. *Excommunicati*; nec non ex Damaso Papa ep. 4. ut in can. *Per illicitam* quibus in locis consecratio ab excommunicatis facta dicitur nulla; ergo.

90. Resp. ex istis omnibus nequaquam probari invalidas esse hujusmodi ordinationes: Quod ad Leonem spectat, pro ratis Sacerdotiis, & veris Sacrificiis intelliguntur Sacerdotia & Sacrificia Deo grata & accepta; qualia rectè ea non sunt, quæ dantur, & offeruntur ab hæreticis, excommunicatis, & degradatis: Manifestum est hoc, quia ibi Summus Pontifex sermonem habet de Episcopis ordinatis à Catholicis, qui propter metum hæreticis consenserant; quorum ordinationem veram esse, nemo dubitavit. Quantum ad canones ex Gregorio Magno, in illis dicitur consecratio, ab excommunicatis facta, nulla; non quia irrita sit; sed quia illicita, nec sine gravi peccato; quod patet, quia in eadem epistola præcipit, ne tam ordinans, quam ordinatus audeant ad Altaris officia accedere. En verba. *Quia igitur sine ullius exempli forma violasti talem, tantamque Sacerdotii dignitatem, præcipimus, ut nullatenus tu, ordinatoresque tui attentare quidpiam præsumatis Sacerdotalis officii; neque usque ad rescriptum nostrum ad cultum sacri Altaris accedere.* Pro ultimo Damasi, superius dictum est, ibi sermonem esse de ordinatis à Chorepiscopis, qui non erant Episcopi; unde mirum non est, si ordinationes illas nullas esse declaraverit.

§. IV.

Expenduntur quædam facta ad superiorem assertionem spectantia.

Quamvis juxta ea quæ dicta sunt num. 86. & 88. omnia, quæ ex aliquibus factis, quæ assertioni nostræ opposita esse videntur, satis superque resolvi possint; attamen ea prorsus omittere non existimavimus; ut non solum veritati, sed etiam legentium eruditioni consulamus.

Primo occurrit perpendendum, quod Paulo I. è vivis sublato an.767.legimus evenisse. Constantinus adhuc Laicus suorum fratrum ambitu ac præpotentia Romanam Sedem invasor obtinuit: non multo post, ideſt post unum annum & mensem, à Sede pulsus in Monasterio fuit inclusus, à quo per vim deductus, semivivus erutis oculis jacuit in platea. Hic Episcopos octo, totidem Presbyteros, ac quatuor Diaconos consecravit. Quid vero de hisce ordinationibus senſit Stephanus Papa IV. in Concilio Romano ann. 769.? sensit nullas esse, atque iterandas. Rem totam & acta Concilii refert Anastas. Bibliothecarius; quorum summa ad hoc revocatur, quod Episcopi illi, si prius erant Presbyteri aut Diaconi in pristinum honoris sui gradum reverterentur; & si accepti essent coram populo Civitatis suæ, denuo eligerentur, ad Apostolicam Sedem venirent, & à Stephano Papa benedictionis reciperent consecrationem; atque eodem modo de aliis, qui vero à Laicali statu ad gradum Ecclesiasticum transierunt, in religioso habitu cunctis vitæ diebus permanere deberent.

Secundo occurrit quod in Concilio Svessionensi 2. sub Leone IV. ann. 853. fuit judicatum; Ebbo Rhemensis sub Ludovico Imperatore ac Francorum Rege, cui infensus erat, depositus fuit; atque huic malè facti conscientia ductus consensit; ita ut accedente etiam Sergii Papæ confirmatione in Laica communione detineretur: Lotharii Imperatoris opera suæ Sedi postea restitutus plures habuit ordinationes; sed eo iterum ab Episcopis Gallicanis dejecto Hincmarus suffectus est; Iste omnes Ebbonis ordinationes irritas declaravit affirmans, nihil præter damnationem ab illo receptum esse, quod in laudato Concilio fuit approbatum act.4. & 5.

Tertio occurrit factum Photii Patriarchæ Constantinopolitani: Hic non minus ingenio ac doctrina, quàm nobilitate conspicuus, ambitione tamen valde major, Constantinopolitanam Sedem, à Gregorio Syracusano deposito ordinatus, occupavit: à 4. Concilio Constantinopolitano ann.869. depositus fuit, & can.4. ordinationes ab ipso factæ declaratæ sunt nullæ. Legitur autem sic in dicto canone: *Photium nunquam Episcopum fuisse, nec nunc ulla ratione esse, justo decreto declaramus: nec ab illo creatos in eo Sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti sunt, permanere.* Hoc idem ante laudatum Concilium dixerat Nicolaus I. ep. 9. ad Michaelem Imperatorem sic scribens: *Gregorius, qui canonicè ac synodicè depositus, & anathematizatus erat; quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere; ratio nulla docet. Igitur nihil Photius à Gregorio perecepit, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.*

Eadem etiam fuit sententia Adriani Papæ II. in epist. ad Ignatium, ubi præ cæteris ordinationem Photii comparat ordinationi Maximi Cynici: hanc autem irritam ac nullam fuisse declaravit Concilium Constantinopolitanum 1. an.381. can.3.

Quarto occurrit Formosus Pontifex an.890. Hic Joannis Papæ VIII. timore Episcopatum Portuensem reliquit; & quia à Joanne revocatus redire noluit, anathematizatus fuit; & tandem usque ad Laicalem habitum degradatus, juravit deinde, se non amplius Romàm intraturum, nec unquam suæ Urbis Episcopatum aditurum: sed à Marino Joannis successore fracto Sacramento Episcopatui fuit restitutus, & postea Romanæ Ecclesiæ Papatum suscepit, Rem narrat Sigebertus in Chronico ad ann.90.

Hujus successor fuit Stephanus VI. vel VII., qui in Formosum ita se gessit, ut eum exhumari jusserit, & tanquam si adhuc viveret judicari, ac condemnari; tribusque digitis, quibus benedicere solebat, abscissis in tiberim pro-

projici, omnesque ejus ordinationes iteravit; ita ex Luitprando Ticinensi Diacono lib. I. Historiæ cap. 8.

Respondemus hæc omnia non probare de ordinationis valore, sed tantum de licita ordinatione, atque ordinum executione, &c. sicut superius dictum fuit. Atque ut hoc ostendamus, singula expendemus.

Quod attinet ad factum Constantini. Ex eodem laudato Concilio Romano inferri potest, ejus ordinationes quo ad substantiam quidquid requiritur, habuisse; cur enim Laici debuissent postea in habitu religioso permanere, si nihil, quod ad religionem pertinet, comparassent? sed quod præcipuum est; idem Concilium tanquam ratum approbavit confirmationis Sacramentum à Constantino collatum; cur non igitur & ordinationem, cum non magis ad illud, quàm ad istam Episcopalis potestas necessaria existimetur? In hoc igitur sensu tantum ordinationem rejecit, quod ista ad aliquarum functionum exercitium statuta est: è contrario confirmatio absolutè approbata, quia nulli functioni Ecclesiasticæ est addicta. Neque deterrere debent illa verba, quod ad Sedem Apostolicam venire deberent, atque à Papa benedictionis consecrationem recipere; etenim hujusmodi consecratio non erat ad ordinandum instituta, sed ad reconciliandum; quod manifeste habetur in Concilio Toletano IV. can. 28. atque juxta hæc inquiit Baronius ad an. 769. *Quod ad Episcopos spectat, ne eos existimes iterum consecratos; sed accepisse dumtaxat, more majorum, benedictionis mysterium, quod auctor* (idest Anastasius) *nominat benedictionis Sacramentum, ritus illos solemnes adhiberi solitos in reconciliatione schismatici, vel hæretici &c.*

Quod de Ebbone Rhemensi ac Hincmaro dictum est, mirificè nostram assertionem confirmat. Omnia, quæ in eo Svessionensi Concilio peracta sunt, à Nicolao I. improbata fuerunt, ac rescissa; ejus jussu congregatum fuit aliud Concilium Svessionense, quod est tertium; Clericos illos ab Ebbone ordinatos dignos pronuntiat, qui suis gradibus restituantur, & definitivo judicio reservato Summo Pontifici Nicolao I. qui datis epistolis tum ad Patres Concilii, tum ad Hincmarum, Clericos injustè depositos, & Ebbonem immeritò dejectum affirmat; Hincmari vero fraudem & versutias reprimit, durèque reprehendit. Nicolao successit Adrianus II., qui scribens ad Synodum Tricassinam id omne confirmat, quod prius à Nicolao actum erat.

Pari modo ex facto Photii nihil probatur præter id, quod ultro concedimus. Iste nec unquam Episcopus fuit, nec tunc erat; quia illicitè ordinatus, neque ad Ecclesiastica munera idoneus: non quia ordinationis substantiam non recepisset, sicut etiam in epistola Synodica Concilii Constantinopolitani 4. dictus fuit minime christianus, non quia Baptismi characterem non haberet; sed quia res christiano indignas præferebat; Nihil, inquis, ipsi Gregorium contulisse, quia nihil habebat; at certe Gregorius ordinationem, quam acceperat, habebat; non habebat autem jus, & ordinationis exercitium; ergo tantummodo hoc dare non potuit, nec Photius recipere, atque in hoc sensu Photius vocatur Laicus, atque ipsi etiam sacerdotii vestigium negatur: Quod vero additur de Maximo Cynico, cujus ordinationi illa Photii comparatur, nobis non ambigimus suffragari; Valida enim fuit illa, & tantum irrita quantum ad officia & functiones; quia in Laica domo ab aliquibus Episcopis fuerat per fraudem ordinatus.

Cœterum validam fuisse Photii ordinationem, & solummodo Episcopi honoribus ac officiis privatum ostenditur ex epist. 7. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, ubi cap. 1. inquit: *Sit omni Sacerdotali honore, & nomine alienus, & omni Clericatus officio prorsus exutus.*

tus. Atque eodem pacto asserendum esse de ordinationibus ab ipso factis, ex cap.3. colligitur, ubi ita scribit: *Quoniam manifestum est, eos in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensisse, atque ei post invasionem communicasse, omni Clericali officio eos privamus, & Apostolica Auctoritate sequestramus*. Quid Formosus Papa respondens Styliano Neocæsareæ Episcopo, qui scripserat ad Stephanum prædecessorem, sed è vivis sublatum, ab illis petiit, quos Photius ordinaverat? nihil aliud, nisi quod libellis supplicibus veniam peterent fatentes se peccasse, & amplius se non peccaturos pollicentes; quod vero ordinatio iteranda esset, nec verbum facit; Igitur &c.

Quid tandem nobis opponunt factum Stephani Papæ adversus Formosum, cum non ex justitia id actum esse sed ex ira, odio, invidia, barbarie, ac ulciscendi libidine compertum sit? Audiatur Baronius ad ann. Christi 897. Ecce: *Furore percitus homo, non quod jure liceret; sed quod æxestuans rabies suasit, implevit. Non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto*. Et infra ait, quod nisi à majoribus Summorum Pontificum catalogo adscriptum invenisset, eum inter Romanos Pontifices numerare non auderet, cum primus & solus fuerit, qui nefando & inaudito sacrilegio Petri Sedem adeo deturpaverit. Qui saniori pollebant consilio tanquam ratas ac validas Formosi ordinationes habuerunt; ut testantur Sigibert. ad ann. 900. & Luitprandus lib.1. cap.8.: Unde & Joannes Papa IX. in Concil. Ravennatensi & Romano ann. 904. quidquid à Stephano contra Formosum ejusdemque ordinationes attentatum fuerat, rescidit, damnavit, abrogavit; Romanæque Synodi acta sub Stephano flammis ultricibus tradidit. Quod si Sergius ann. 908. iterum quæ facta fuerunt à Stephano rata habuit ac confirmavit, quæ vero à Joanne IX. rescidit; jam notum est, Sergium istum non legitimum fuisse Pontificem, sed invasorem, audacter ingressum, turpissime egressum, ut ait Baronius ad ann.908.

Vides itaque ex hisce omnibus, aliisque similibus nostram amplius assertionem confirmari.

§. VI.

De conditionibus requisitis ad licitam ordinationem.

91. Conditiones hujusmodi considerari possunt vel ex parte Episcopi ordinantis, vel ex parte illius, qui ordines debet recipere, vel ex parte temporis, vel tandem loci; De secundis hic nihil proferemus; cum de istis occurret sermo, ubi de ordinationis subjecto pertractabitur. Rem autem absolvemus de aliis per nonnulla postulata,

92. Quæres 1. an à quocumque Episcopo possit licitè recipi ordinatio.

Responsio est negativa, ita ut nemo licitè possit ordinari nisi à proprio Episcopo, vel ex Episcopi proprii facultate. Hoc expresse præceptum fuit in Concil. Trident., quod sess.23. de reformat. cap.8. ita loquitur: *Unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur; Quod si aliquis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, aut cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur; si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus*.

93. Hoc multo ante traditum & præscriptum erat in aliis Conciliis. In Concilio Niceno can, decimo sexto leguntur hæc verba: *Si quis ad alium pertinentem audacter invadere, & in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discessit is, qui re-*

regulæ mancipatur; ordinatio hujus irrita comprobetur. Et in Concil. Sardicen. decimo nono hæc alia. *Ut quicumque ex alia Parochia*, ideſt Diæceſi, *voluerit alienum Miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius, & ſua voluntate ordinare; non ſit rata ordinatio ejus: Quicumque autem hoc uſurpaverit, à fratribus, & Coepiſcopis noſtris & admoneri debet & corrigi*.

94. Pro hac re afferri etiam poteſt Concilium Chalcedonen. act. 11. can. 6. Calixt. I. in ep. 2., & refertur 9. qu. 2. can. *Nullus*. Nec non Concil. Antioch. can. 13. & 22. Primus habetur in can. *Nullum Epiſcoporum*: ſecundus in can. *Epiſcopum* 9. qu. 2. ubi ab illa Synodo decernitur pœna depoſitionis; Obſerva tamen, hanc pœnam, quæ mitior per Tridentinum pro Epiſcopis effecta eſt, nequaquam contrahi; niſi ſcienter, & ex affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito ordinatio conferatur; ut ſtatuit Gregor. X. in cap. *Eos*, qui de tempore ordinationis in 6.

95. Quare autem hujuſmodi lex ſtatuta ſit, plures rationes afferri poſſent. Primo, ut concordia ſervetur inter Epiſcopos, & nemo ſibi uſurpet, quod ſuum non eſt: Epiſcopus eſt Paſtor rector, ad ipſum ſpectat ſuas oves agnoſcere, & ad iſtas pertinet illius vocem audire; Ipſe eſt, qui invigilare debet ſuper gregem, & uniuſcujuſque mores, probitatem, ſcientiam, & merita æqua lance librare, ut dignos promovere poſſit, & indignos arcere; Inſoleſcerent etiam Clerici, atque in Epiſcopos ſuos commotiones pertentarent; ſi abſque ipſorum facultate poſſent vel abſolute ordinari, vel ad ulteriores gradus, ac dignitates promoveri: atque ideo hac lege firmata in officio ſuo facilius continentur, atque ab obediendum promptiores redduntur, atque alacriores.

96. Excipi tamen debent aliqui caſus, ſi quod olim ſervatum eſt, ſervari permittatur. 1. Poterant Clerici ad alios Epiſcopos ſe transferre, ut ulterius promoverentur; Si Eccleſiæ, quibus prius addicti erant vacantes fierent, & devaſtatæ forent Provinciæ, in quibus erant ordinati: ita legitur in Concilio Chalcedonen. can. 20., æquum enim non videbatur, ut hujuſmodi Clerici vel in ſuſcepto munere otioſi detinerentur, vel ſemper acephali permanerent. 2. Quando proprius Epiſcopus aut expreſsè conſentiebat, aut ſaltem conſentire præſumebatur; alienus Epiſcopus ordinare poterat: Sic Epiſcopi Paleſtinæ ordinarunt Origenem, cujus morum ac vitæ Epiſcopi proprii commendatrices epiſtolas viderent; nec non refertur, hoc pacto plures alterius Diæceſis Clericos à Sancto Epiphanio fuiſſe ordinatos.

97. Quæres 2. Quinam ſit proprius Epiſcopus, qui licite poſſit ordines conferre.

Reſp. Poſt Bonifacium VIII. can. *Nullus. De tempor bus ordinationis* in 6, in triplici claſſe eſſe proprium Epiſcopum, videlicet, Originis, Domicilii & Beneficii. De Epiſcopo proprio Originis non idem eſt jus vetus, & novum; Si enim de illo fiat ſermo, ille cenſebatur Epiſcopus proprius Originis, qui eam tenebat Eccleſiam, in qua quis fuerat baptizatus; & merito quidem, quia tunc ſolum adulti baptizabantur, quare contingebat ut alius eſſet Epiſcopus juxta nativitatem carnis, alius juxta ſpiritus regenerationem; & cum ordines eſſent conferendi juxta tantummodo vitam poſt Baptiſma peractam, quia prior erat per Baptiſmum deleta, hinc Epiſcopatus originis proprietas à loco Baptiſmi, non à loco nativitatis deſumebatur. Poſtea quam vero quivis ab infantiæ initio baptizari cæpit; ille cenſetur Epiſcopus originis, qui in illa Diæceſi Epiſcopatum obtinet, in qua quis natus eſt.

98. Hic verò aliqua difficultas oritur; à quo origo deſumenda ſit; Qua in re certum eſt, non ſufficere, ejus aſcendentes natos eſſe in aliquo loco eidem

dem Episcopo subjecto. Sed quæstio est, an satis sit, Patrem natum esse in tali loco, ut filius, quamvis alibi natus, gaudere possit privilegio originis in eodem loco, & ab Episcopo ejusdem loci filius ordines recipere. Non una est Doctorum sententia. Aliqui dicunt originem paternam nequaquam sufficere; Ita Jacobus de Graffis par. 2. decis. lib. 3. tit. de Clericis circa ordines cap.23.num.4. Henriquez lib. 10. cap. 22. Quaranta, verbo *Ordo* aliique. Aliqui distinguunr, docentes, originem paternam ante factum approbandam non esse, post factum tamen tam ordinantem, quàm ordinatum nullam pœnam incurrere. Ita præsertim Canonum professores in laudatum Canonem *Nullus*. Aliqui vero originem paternam sufficientem affirmant, & est communis opinio, Panormitani in c. fin. de Parochis; Barbosæ de officiis, & potestate Episcop. par. 2. allegat. 4. Comit. lib.6. resp.Moral. qu.45. Riccii in praxi for. Eccl. resol.257. nu.4. Dianæ, aliorumque; atque hanc existimo esse tenendam juxta l. *assumptio* §. 1. ff. ad mancip.

99. Hic tamen duo advertenda sunt. Primum est, Patrem non esse natum in aliquo loco transeunti modo, & fortuito, nam sicut in hoc casu Pater ibi non haberet originem, ita nec filius. Secundum est, quod si Pater in illo loco, ubi natus est filius, tandiu, ac eo animo permanserit, ut ibi verè domicilium de jure contraxerit; tunc non Patris origo, sed domicilium filii attendi debet; ut constituit Innoc.XII. in ea, quę incipit, *Speculatores domus Israel* ann. 1694. pridie nonas Novembris. Insuper observanda praxis cujuscumque Nationis; etenim in Gallia paternæ originis ratio penè pro nulla habetur.

100. Episcopus domicilii ille censendus est, sub cujus subjectione, seu in cujus Diæcesi aliquis commoratur; Non sufficit tamen commoratio utcumque, sed requiritur, ut ibi domicilium habeat una cum animo ibi perpetuo manendi; Qua de re qui ad aliquam academiam proficiscuntur, ut in scientiis erudiantur, domicilium habere non dicuntur. Hinc & in lege civili cap. *De Incolis* legitur: *In eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum profectus est, peregrinari videtur, quod si redit, peregrinari jam destitit*. Dixi, *cum animo ibi perpetuo permanendi*. Etenim si quis domicilium cum tali animo figeret; deinde mutaret sententiam, & illud in alium locum transferret, dubitant Doctores, an adhuc prioris loci incola foret, & ab ejusdem Episcopo posset ordines recipere; existimo cum Sanchez lib.3. de Marrimonio, disp. 23. nu. 16. Marchino tract. 1. de Sacram. Ordinis in comm. par.5. cap.7. Rosignolo par. 1. qu.2. art.4. num.8., incolam adhuc censeri posse; Quantum vero temporis requiratur, ut quis dicatur domicilium habuisse; communiter decem annorum spatium designatur; & ita statutum fuit in Concil. Mediol. 4. an. 1576., & in Aquensi an.1585.; Aliqui vero etiam triennium sufficere arbitrantur.

101. Fieri autem potest, aliquem duplex sub duobus Episcopis Domicilium habere; & tunc inquiritur, an ab uno, vel altero Episcopo ordinari possit.

Dicendum, quod si ex consueto & per se æquali anni parte in utroque commoraretur; posset ab uno vel altero ordines accipere; sicuti uterque esset Episcopus domicilii: Si tamen unus Episcopus aliquem ordinem majorem alicui contulisset, vel titulo beneficii requirentis residentiam, vel etiam titulo patrimonii ob suæ Ecclesiæ necessitatem, pro aliis ordinibus hic ad illum esset remittendus.

102. Episcopus beneficii ille dicitur, in cujus ditione aliquis gaudet beneficio: sed insurgit difficultas, qualo debeat esse hujusmodi beneficium; an sufficiat quodcumque tenue, vel requiratur

ratur congruum pro sustentatione; an simplex, vel affixum residentiæ.

Quantum ad hoc postremum communior sententia cum Henriq., Garzia, Barbosa aliisque sufficere simplex affirmat. Quantum vero ad primum, sufficiens esse quodcumque beneficium, sentiunt præfati Doctores, cum utrobique sit eadem ratio: ideo enim sufficit beneficium simplex; quia textus in c. *Cum nullus de tempor. ordin. in 6.* loquitur indefinite: sed hoc probat etiam secundum: ergo. Imo Barbosa lib. 1. de jure Pontif. cap. 39. affert quandam declarationem Sacræ Congregationis in una Januensi die 18. Martii an. 1628. ubi dicitur: *Promotum ad ordines cum collatione beneficii duorum scutorum annuorum gaudere privilegio fori.* Nunc tamen sententia hæc prorsus rejicienda est, requiri enim beneficium congruæ sustentationi sufficiens, ita ut neque per patrimonium suppleri possit; statutum est ab Innoc. XII. in sua Constitutione superius adducta num. 99., ubi etiam præcipitur; ut beneficiarius ordinandus literas testimoniales sui Episcopi domicilii debeat deferre.

103. Quæres 3. Utrum Episcopus possit suum familiarem ordinare, quamvis non sibi subditum.

Responsio affirmativa, sed conditionata colligitur ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 9. sic dicente: *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus; & beneficium quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.* Requiritur igitur primo, familiarem per triennium tali Episcopo inservisse, & cum eo commoratum esse; Triennium hoc debet esse completum, quia cum sit in præjudicium Episcopi proprii, stricte est accipiendum. Secundo, non sufficit utcumque servitia præstasse, puta Episcopi negotia in aliis regionibus præstando; sed necessarius est actualis præsentia & famulatus; ita ut ejus mores, vitæque honestatem dignoscere possit. Tertio, debet illi ab Episcopo, cujus familiaris est, statim re ipsa beneficium congruum conferri quacumque fraude cessante: Sic autem res ista se habet, ut juxta Constitutionem Innoc. XII. laudatam debeat familiaris, si ab alio prius ordinem aliquem acceperit, iste deferre litteras testimoniales sui Episcopi vel originis, vel domicilii; & Episcopus ordinans saltem intra mensem à die ordinationis beneficium conferre, & in ordinationis testimonio tam familiaritatem, quam præfatas testimoniales litteras exprimere. Hoc quod dictum est ad Episcopos tantùm titulares non extenditur, ut constat ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. Dixi, *quacumque fraude cessante*: quia si aliter contingeret, puta ut eum absque proprii Episcopi licentia ordinaret; illicitè ordinaret, pœnasque statutas incurreret.

104. Ex his alia dubia oriuntur. 1. An si Episcopus ordines conferre velit alicui familiari etiam minores, & primam tonsuram, debeat etiam illi beneficium præbere, vel hoc debeat intelligi pro ordine Subdiaconatus. 2. An si Episcopus conferret beneficium antea completum triennium, posset statim ordinare. 3. Quare Concilium Tridentinum statuerit, ut statim post ordinis collationem beneficium daretur, non autem antea. 4. An Episcopus possit familiarem suum triennale titulo pensionis, vel patrimonii ad ordines promovere. 5. An sicuti promovere potest familiares suos, possit etiam sub iisdem conditionibus suorum familiarium famulos promovere.

105. Ad 1. Id dicendum esse etiam de collatione primæ tonsuræ, & ordinum minorum; Ratio est, quia illa beneficii collatio requiritur, ut qui ordines suscipit, ipsi subditus constituatur; sed esse subditum requiritur non solum pro collatione Subdiaconatus, sed etiam pri-

primæ tonsuræ & minorum: ergo. Et si dicas, priùs esse ordinis collationem quam beneficii; proinde prius est ordinari quam subditum esse; dicam, hoc esse privilegium speciale Episcoporum, ut titulo familiaritatis per collationem intra mensem futuram ad hunc effectum jurisdictionem acquirant; & si prius beneficium conferretur, quam ordo; possent Episcoporum famuli ordinari etiam ante triennium; quia fierent Episcopi ratione beneficii; & ex hoc resolvitur secundum.

Ad 3. ita statuisse Concilium Tridentinum, ut generatim omnes ordines complecteretur; & ut faveret Episcopis, qui possent post triennium suis familiaribus ordines impertiri cum solo onere conferendi postea beneficium; & quia aliqui esse possent, qui non essent in aliquo ordine, vel in prima tonsura constituti, proinde incapaces beneficii; ideo concessum fuit, ut prius ordinare possent, quam beneficium largirentur.

Ad 4. sentio negativè; siquidem pro conferendis ordinibus requiritur subjectio in recipiente; per pensionem autem, & patrimonium quis Episcopi subditus non constituitur; saltem ut præcipitur in cit. cap. *Nullus*: ergo.

Ad 5. Sanchez in opuscul. lib. 7. cap. 1. dub. 20. num. 24., Diana par. 4. tract. 4. resol. 144. si familiarium famuli vivant expensis Episcopi, cum & ipsi dicantur familiares, sentiunt affirmative. Cum tamen privilegium hoc à jure communi valde recedat, arbitror non esse extendendum.

Quod dictum est de hisce Episcopis pro conferendis ordinibus; potiori jure de iisdem dicendum est, pro dandis litteris dimissoriis.

106. Et cum hujusmodi litterarum mentio facta sit; Quæres 4. ad quos pertineat litteras dimissorias dare. Quæstio non procedit de propriis Episcopis, quos nullum impedimentum afficiat; certum enim est, quod sicuti isti per se ipsos ordines conferre possunt, ita aliis possunt jurisdictionem suam committere. Primo igitur inquiritur, an Episcopi excommunicati nominatim, suspensi & degradati possint hanc facultatem alteri præbere.

Resp. si de valida ordinatione sit sermo affirmativè est sentiendum; dictum enim superius est, hujusmodi Episcopos valide ordines conferre; ergo etiam per ipsorum dimissorias valida erit ordinatio: imo ad ordinationis valorem neque istæ requiruntur. Si autem de licita, negativa pars est tenenda; commissio enim, quæ fit per litteras dimissorias non est actus ordinis, sed jurisdictionis: Episcopus autem nominatim denuntiatus & excommunicatus &c. nullam habet jurisdictionem, juxta c. *ad probandum de re*: ergo. Hinc Episcopus ordinans, si conscius esset ejusmodi excommunicationis pœnas contraheret à lege statutas; secus vero si vel conscius non esset; vel alius Episcopus esset toleratus.

107. Quid vero sentiendum; si litteræ datæ essent ante contractam excommunicationem; & exhiberentur post? posset ne Episcopus eorum virtute licitè ordinare?

Resp. affirmativè. Quemadmodum enim per mortem physicam Episcopi non pereunt hujusmodi litteræ, & generatim gratiæ ab illo concessæ, ut docent omnes Doctores, ita non pereunt per mortem moralem, qualis est excommunicatio, suspensio, degradatio: ergo sicuti valent post ejusdem physicam mortem; ita post &c. Hoc autem habetur in c. *Si super gratia* de offic. delegat. in 6., & c. *Cui nulla de præbendis* in 6. ratio autem est; quia persona, cui gratia concessa est, jus ad illam rem acquisivit; quod jus auferri non potest.

108. Secundo inquiritur, an litteras istas dare possit Vicarius Capitularis Sede vacante.

Responsionem dat Conc. Trident. sess. 7. de reform. cap. 10. cujus verba sunt ista: *Non liceat capitulis Ecclesiarum*,

rum, sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu Reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere: si secus fiat; capitulum contraveniens Ecclesiastico subjacet interdicto. Si tamen quis, ut ab alieno Episcopo ordinaretur, à Romano Pontifice obtinuisset; posset Capitulum etiam intra annum litteras de vita & moribus dare ordinando; quas litteras necessarias esse, decernit Concilium *sess.* 23. de reform. cap. 8. Quare autem Ecclesia decreverit, pro illo anno litteras dandas non esse; est, quia annus ille vocatur luctus ac sterilitatis, non lætitiæ & propagationis.

109. Tertio inquiritur de Superioribus Regularium; atque istos dare posse ac debere litteras dimissoriales subditis suis, extra controversiam omnino est; ut constat ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 10., ubi prohibentur Abbates aliique, ne subditis suis Sæcularibus dimissorias concedant. Totum autem, quod ad hoc punctum pertinet, continetur in declaratione Sacræ Congregationis Concilii edita jussu Clem. VIII. die 15. Martii ann. 1596. quæ sic habet.

Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse suo subdito identidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere; ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is regularis positus fuerit; & si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam; & dummodo ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel absuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes: Verùm, cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel ordinationem ab eo non habendam exprimendam esse; quod qui non fecerint, officii, ac dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, ac passivæ privationis, & alias arbitrio Sanctiss. D. N. Papæ pœnas reservatas incurrent &c.

110. Quantum ad temporis, quo conferri licitè possunt ordinationes, conditionem; hæc sunt observanda. 1. Primam tonsuram quacumque die tam mane quam vespere conferre posse: docet hoc consuetudo, & colligitur ex c. *Consultationi de temp. ordin.* 2. Minores ordines juxta cap. *de eo de tempor. ordin.* etiam extra tempora Dominicis aliisque solemnibus diebus; dummodo tamen ordinandi tot non sint, ut celebrem ordinationem constituere videantur: & quamvis in eodem capite dicatur, duos, vel unum promoveri posse, attamen non est iste numerus tam strictè accipiendus, ut etiam ad alios extendi non possit, ut notat Glos. juxta tamen rigorem juris, si justa causa non desit, posse Clericos ad hosce ordines quacumque die promoveri, innui videtur in c. *quando* dist. 75., & quamvis Canonistæ, ut illi à prandio conferantur æquum non esse affirment; attamen contrarium docet consuetudo: imo eadem die pro Episcopi arbitrio omnes recipi posse, certissimum est; non solum ex c. *de eo*; ubi est indeterminatio, quæ proinde ad omnes refertur, sed etiam potissimum ex c. *cum lator*, de eo, qui fur. ordin. susceperat, ubi cum delatum esset ad Cœlestin. III. quemdam eadem die ordinatum esse in quatuor minoribus, & simul Subdiaconatu; præcepit Episcopo Diœcesano, ut illi in minoribus ordinibus tantum ministrare permitteret, quod factum non esset: si omnes eadem die præberi non possent.

111. Non ita tamen de aliis ordinibus, quos majores vocant, loqui nobis conceditur; isti enim dari non possunt, nisi præscriptis temporibus, ideft Sabbato omnium quatuor temporum, ante Dominicam passionis, & ante Dominicam Paschatis; ita ut si quis absque speciali dispensatione extra hæc tempora promoveretur, suspensus esset in suscepti ordinis exercitio, ut habetur in extravag. Pii II. *Cum ex sacrorum*, quam pœnam à Romano Pontifice tantum relaxari posse, ajunt Barbosa de offic. & potest. Episcopi allegat. 17. num. 14., & Bonacina de cens. disp. 5. punct. 5. n. 6.; Rursus dari possunt dumtaxat mane & in Missæ celebratione; & Marchin. oppositum sentiens in hoc juste reprobatus fuit.

112. Quantum autem temporis transire debeat inter unius & alterius ordinis susceptionem, definitum habemus in Conc. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 11. ubi sic loquitur: *Hi vero non nisi post annum à susceptione posteriori gradus minorum ordinum, ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud expostulet.* Cap. 13. sic: *Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Ex quibus apparet in hac re posse ex justa causa Episcopum dispensare; imo si dicta lex non servaretur, nulla reperitur imposita pœna nec ex parte suscipientis, nec conferentis.

113. Non ita vero dicendum est, si quis eodem die in duplici ordine sacro constitueretur; tunc enim pœna suspensionis latæ sententiæ & ipso facto incurrendæ contraheretur, ut statutum est in c. *litteras de tempor. ordin.* & in cap. *innotuit de eo, qui furtivè ordines suscepit*, nec eam remittere posset, nisi Romanus Pontifex; legitur enim in priori laudato capite. *Tandiu volumus remanere suspensos, donec de illis aliter disponamus.*

114. Utrum autem super interstitiis dispensare ad Episcopum ordines conferentem, vel ad remittentem suos subditos cum dimissoriis, ut ordinentur, pertineat; existimo ad primum; Ratio est, quia dispensandi facultas conjuncta est ordinum collationi; ille igitur dispensat, qui confert; Neque refert, tantum Episcopo remittenti Ecclesiæ suæ utilitatem, aut necessitatem, quæ ex Tridentino sunt causa justa dispensationis, innotescere; siquidem, etiam Prælatis Regularibus tantum nota est propriarum Ecclesiarum utilitas, vel necessitas; nec tamen ipsi dispensare possunt: & quemadmodum sine alterius Episcopi dimissoriis Episcopus ordinare non potest; ita neque potest sine illis Prælatorum Regularium.

115. Sed cum hoc dictum sit; dubitatur, utrum interstitiorum legibus Regulares subjiciantur.

Resp. ex vi privilegiorum veterum legibus istis non subjici, sicut enim eorumdem vigore possunt ordinari tribus diebus festivis sibi immediatè succedentibus; ita etiam possunt &c. si tamen hæc privilegia non subsistunt; oppositum sentiendum est; cum lex interstitiorum sit generalis, nec limitetur ad solos Clericos Sæculares, quod etiam innuit Sixt. V. in Constitut. ann. 1588. nonis Januarii, quæ incip. *Sanctum & salutare*.

116. Pauca tandem subdemus de conditionibus ad locum spectantibus, Concilium Trident. sess. 23. de reform. cap. 8. sic loquitur: *Ordinationes sacrorum ordinum statutis à jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibus ad id Ecclesiæ Canonicis, publicè celebrentur; Si autem in alio Diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur*: Quæ tamen Concilii dispositio intelligenda est de majorum ordinum publica & solemni collatione, ut patet ex verbis laudatis; atque ideo si de aliis ordinationibus sermo sit, possunt ab

Epi-

Episcopo conferri in quacumque alia Ecclesia, imo & in proprio Sacello; non tamen in Ecclesiis Regularium, si isti non consentiant; quia ordinatio est actus jurisdictionis, quam in Ecclesiis exemptis exercere non potest.

Nonnulla alia inquiri possent, sed, ut inquiunt, lipis & tonsoribus manifesta sunt.

CAPUT V.

De subjecto Ordinationis.

117. Sicut Minister ordinationis, talis esse potest & valide tantum, & simul licitè; ita etiam subjectum, & sicuti non omnes ordines conferre valent, ita non omnes recipere; Quapropter etiam expositum caput per plures paragraphos operæ pretium est expendere ac resolvere.

I. §.

An solus Homo Viator & Baptizatus capax sit Ordinationis.

Paucissima pro hoc puncto dicturi sumus; cum ea, quæ diximus de Sacramentis in genere ad hoc æqualiter revocentur. Certe ille solus capax est ordinationis, cui conferri potest facultas à Christo Sacramentorum institutore donata; solus autem homo viator iste est, ut patet ex textibus ibi productis, quibus addimus alium Pauli ad Heb. 5. dicentis: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis*: quæ omnia de homine tantum viatore affirmari posse luce clarius apparet.

118. Quantum vero attinet ad Baptismum tanquam necessariam conditionem ad ordinationis capacitatem; tempore Innoc. Papæ III. mota fuit hæc quæstio de quodam, cui Sacerdotii gradus collatus fuerat, quin secundum statutam à Christo formam esset baptizatus. Pontifex vero, ut habetur in jure Canonico cap. *Veniens. De Presbytero non baptizato* ad Episcopum Ferrariensem ita respondit. *Quia vero, in Concilio apud Compendium legitur constitutum, quod si quis in Presbyterum ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur: nos circa latorem præsentium in hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes, mandamus; quatenus ipsum per singulos ordines usque ad Sacerdotium promovere procures, & permittas eum in Sacerdotio ministrare; quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.....* deinde addit rationem dicens: *Certè de illo, qui natus de christianis parentibus, & inter christianos est fideliter conversatus, tam præsumitur esse baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.* Ex quibus primo ex Canone Compendiensi infertur; quod si quis baptizatus non esset, esset baptizandus, & iterum ordinandus: ergo sine Baptismo ordinatio non valet; secundo; si dubium de Baptismo alicujus à fidelibus parentibus nati, & inter fideles conversati oriretur, dubium hoc esse velut inane propellendum, nisi evidentissime demonstraretur oppositum.

119. Itaque juxta Innocentii responsionem habetur; tantum hominem baptizatum ordinationis capacem esse; quod & docet perpetua Ecclesiæ praxis, ac traditio; juxta quam illi, qui inter Clericos erant adscripti, nec rite prius baptizati, iterum baptizabantur, ac ordinabantur, quod de Paulianistis agendum esse, præcepit Concilium Nicænum 1. can. 19. Ratio desumitur ex quo, ut ait Eugenius IV. in decreto, *primum* om-

omnium Sacramentorum locum tenet Sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ; quæ quidem ratio simillima est illi, quam attulit S. Th. 3. par. qu. 72. art. 6. nempe in Baptismo haberi spiritualem nativitatem: sicut ergo qui corporaliter natus non est; nullius actionis aut passionis est capax secundum corpus: ita qui spiritualiter regeneratus non est, nihil potest agere vel recipere secundum spiritum.

120. Neque dicas, sine Baptismo haberi posse fidem infusam, per quam sicut evadimus membra Christi, ita sumus apti ad recipienda Sacramenta Christi; & præterea; hominem non baptizatum esse capacem Eucharistiæ, & Matrimonii, proinde etiam ordinationis; etenim per fidem evadimus quidem internè & invisibili modo membra Christi, non tamen Ecclesiæ visibilis, in qua solum Sacramenta conferuntur, & recipiuntur; capacitas vero, quæ recipiendæ Eucharistiæ est in non baptizato, est tantum ad Eucharistiam sumptam materialiter, non verò prout est Sacramentum nutritionem afferens spiritualem: sicut etiam homo non baptizatus est capax Matrimonii, prout est contractus civilis ad propagandam humanam speciem institutus, non prout est Sacramentum.

§. II.

An Infantes, amentes, aliique rationis usu destituti possint validè ordinari.

121. Hæc omnia, quæ proposita sunt, singillatim sunt expendenda: & quamvis plures Doctores, qui res, minus quam par est, examinant; nulla interjecta difficultate pro parte affirmante concludant; attamen plura non mediocris ponderis perpendenda esse, patebit.

Primo loquendo de infantibus, fuit aliquorum sententia, quos ante Sanctum Thomam antiquitas edidit, dicentium, parvulos ante rationis usum hujusce Sacramenti incapaces esse; atque istos suppresso nomine memorat S. Doctor in 4. dis. 25. qu. 2. art. 1. ad 2. Hanc postea ex instituto tradidit Durand. in 4. dis. 25. qu. 2. num. 8., atque adhærere videtur Petrus de Soto lib. de Sacerd. instit. lec. 5. de Sacram. Ordinis §. *Secundo etiam*, & §. *Cæterum est &c.* limitat tamen, & dicit, hoc valere de majoribus ordinibus; nam si sermo sit de minoribus, etiam pueris collatos veros esse non ambigit: si vero de Sacerdotio, inquit, sub conditione esse repetendum; quia res valde dubia est existimanda.

122. Pro Durandi opinione non levia proferri possunt momenta. Primum est, quod ad validam alicujus Sacramenti susceptionem requiritur aut propria suscipientis voluntas, ut in adultis, aut aliena, seu interpretativa, ut in parvulis: at in istis ex una parte nequit esse voluntas propria; ex alia per respectum ad ordines non est voluntas aliena, idest parentum: quia hæc sufficit quidem quantum ad ea, quæ sunt necessaria absolute ad salutem, sicuti se habet Baptismus; non autem ad alia, sicut se habet Ordo: ergo. Præterea nequit esse voluntas Ecclesiæ; cum hæc hujusmodi ordinationes prohibeat.

123. Secundum est; quod in parvulis nequit esse vera forma ordinationis; in ea enim dicitur, *accipe potestatem &c.* nulla autem potestas accipitur sine accipientis consensu: & observandum potestatem hanc conferri per respectum ad exercitium aliquarum functionum, quarum parvuli sunt omnino incapaces: rursus in sacris ordinibus annexam esse legem continentiæ, ac cœlibatus; cui legi subdi non possunt infantes; & quam si nollent observare, maxima confusio ac perturbatio nasceretur in Ecclesia.

124. Ter-

124. Tertium denique est, quod neque in Scripturis, neque in tota Ecclesiæ traditione ullum sit exemplum, quo probari possit, ordinationes collatas infantibus esse; imo plurimi Canones conditi sunt, quibus præscribitur, non esse ordinandos, nisi in tali ætate constitutos, ac consentientes; quos si velis explicare de licita tantùm ordinatione, gratis explicas; cum nullum fundamentum afferas vel ex Scriptura, vel ex traditione.

125. Contrarium tamen docuerunt S. Th. in 4. dis. 25. qu. 1. art. 1., Bonavent. qu. 2. art. 2., Ric., Scot. qu. 2. §. *His breviter*, cæterique Scholastici etiam recentiores, suamque sententiam hisce rationibus muniunt.

Primo, ex cap. *Unico de Clerico per saltum promoto*; ubi Innoc. III. consultus ab Episcopo Bonon. quid agendum esset de Clerico, qui minoribus ordinibus infra annos discretionis receptis, postea prætermisso Diaconatu ordinatus erat in Sacerdotem; respondet, promovendum esse ad Diaconatum, nulla mentione facta aliorum ordinum: ergo existimavit, validè fuisse collatos; aliter una cum Diaconatu & illos repetendos esse præcepisset; Unde & Gloss. ibidem in verbo discretionis, subdit: *Infra annos discretionis bene recipit quis sacros ordines, licet conferri non debeant*.

126. Secundo affertur ratio S. Th. Sacramenta, quæ non in actu, sed in potestate consistunt; conferri possunt absque aliquo suscipientis actu & consensu: atqui ordo consistit non in actu, sed in potestate; ut patet ex illius definitione: ergo. Prob. maj. Potestas præcedit actum, atque ab illo est independens, sicut causa præcedit effectum, nec ab effectu dependet; ergo Sacramenta, quæ non in actu, sed in potestate consistunt &c., atque ideo Baptismus & Confirmatio sine aliquo actu parvuli baptizandi aut confirmandi dari possunt: quod non valet de Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonii, quæ secundum suam essentiam per actus constituuntur.

127. Ex hoc habetur argumentum tertium: nimirum, quod sicuti parvuli capaces sunt Baptismi, & Confirmationis; ita etiam capaces sint ordinis; cum æqualiter character per istum sicut per illa imprimatur.

Argumentis itaque pro priori opinione respondent. Ad primum, negando requiri hujusmodi intentionem, seu voluntatem vel propriam vel alienam; & si admitteretur necessariam in parvulis esse alienam: ergo saltem parvuli possent ordinari accedente voluntate parentum: ergo absolute parvuli sunt ordinationis capaces.

Ad 2. negatur, in parvulis veram non esse formam ordinationis, etiamsi admitteretur, consistere in illis verbis *Accipe potestatem &c.* atque hic sapienter advertit S. Bonaventura qu. 2. art. 2. ad 2. per verbum illud, *Accipe* magis significari dantis imperium, quam recipientis executionem; neque Minister tantum potestatem offert; ad quod requireretur alterius acceptatio, sed confert; ad quod satis est pura capacitas passiva: neque requiritur, ut potestas statim exerceatur; sed quod suo tempore possit exerceri.

Quod vero Sacris Ordinibus annexa sit lex continentiæ & cælibatus; hoc est tantum ex Ecclesiæ institutione; unde ad valorem ordinationis non spectat, in hac hypothesi qui ordinatus esset, ad castitatem servandam obligari non posset, ut docent passim Theologi.

Quod tandem additur, nihil ex Scripturis, nihil ex traditione posse proferri: in primis protulimus responsionem Innocentii III. deinde ex hoc probatur, neminem voluisse tales ordinationes conferre; quia semper fuerunt illicitæ: non tamen non potuisse, quia fuissent invalidæ.

128. Non inficiamur tamen, etiam argumenta posterioris sententiæ posse aliquo modo confutari; nam quantum atti-

attinet ad Innocentium III., dici posset, per annos discretionis non intelligi parvulos quocumque rationis usu destitutos; sed eos dumtaxat, qui ad eam ætatem nondum pervenerunt, in qua habetur perfecta discretio: Rursus, ideo minores ordines conferendos non esse, existimasse; quia putaverit, eos esse tantum Ecclesiæ cœremonias, quæ ad Diaconatum necessario non exigerentur.

Ad 2. negant maj. & ad probationem dicunt, potestatem illam esse connexam cum actu, seu cum capacitate ad actum, quæ in parvulis nulla potest excogitari: & quod additur de Baptismo & confirmatione, nihil probat. Primo quia sequeretur, quod sicuti Baptismus semper licite; & confirmatio & Eucharistia olim licitè conferebantur parvulis, ita licite fuisset collata ordinatio; Secundo est manifesta disparitas, quia illis Sacramentis nulla Ecclesiastica functio, nullum exercitium per respectum ad alios annexa sunt; è contrario in ordinatione.

Hac de re, si quod sentio in medium proferre permittatur; dicam posteriorem opinionem solum extrinsecè esse probabiliorem, nimirum ob majorem copiam Doctorum, quos celebriores profiteri debemus.

129. Juxta hæc resolvenda res est de amentibus, qui licet materialiter adulti sint; formaliter tamen pro parvulis sunt computandi. Sed quia aliqui possunt amentes esse, qui tamen aliquando rationis usum habuerunt; ideo distinguendum de istis est: vel enim antequam in amentiam inciderent, contestati sunt, se nunquam velle ordines suscipere, vel istos petierunt, vel neque petierunt, nec renuerunt. Si de primis fiat sermo, procul dubio tenendum est, neque valide posse ordinari, quia sicuti habuerunt positivam oppositam intentionem, ita censendi sunt habere; & si hoc dici debet de Baptismo, à fortiori de Ordine: si de secundis, affirmative est concludendum propter oppositam rationem: si denique de postremis, Cajetanus sentit, ordinationem valere; quia in cap. *Majores de Baptismo & ejus effectu* §. *Item quæritur*, leguntur hæc verba: *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*: atqui in iis, qui nec petierunt, nec renuerunt, non invenitur obex voluntatis contrariæ obsistens: ergo. Communior tamen Doctorum sententia est; nullam in hac hypothesi futuram esse ordinationem; quia dementes isti non debent absolutè considerari, ut parvuli; sed cum adultis sunt computandi, in quibus propterea aliquis actus positivus esse debuit: & de hac re satis in quæst. de Sacram. in genere.

130. Cum vero generatim dictum sit, infantibus validè conferri posse ordinationem; proinde ipsos appellari posse Diaconos, Sacerdotes; quæri potest ulterius, an possint etiam ordinari in Episcopos; Negare videntur S. Th., & Bonavent. superius laudati; Ratio primi est, quia in Episcopatu traditur potestas in corpus Christi mysticum, quæ sine pastorali cura esse non potest; & hæc sine acceptantis actu nequit intelligi. Ratio secundi est, quia per Episcopatum contrahitur spirituale Matrimonium inter Episcopum & Ecclesiam, ad quam consecratur; Matrimonium autem spirituale est suo modo, sicut carnale, quod sine contrahentis consensu nullum est; Nihilominus dico, idem sentiendum esse de Episcopatu, quod de Sacerdotio; neque verum est annexum essentialiter esse pastorali curæ, vel à spirituali Matrimonio dependere; & si infans in Episcopum ordinatus esset, liberum ei post usum rationis foret, vel Episcopatui renuntiare, vel si in eo permanere voluerit, curam pastoralem suscipere, & leges spiritualis Matrimonii servare, quod tantum ex rationibus S. Th., & Bonaventuræ probatur.

§. III.

§. III.

An Mulieres sint ordinationis capaces.

131. Huic difficultati locum aperit id quod legimus de gentilibus mulieribus, quarum aliquas Sacerdotio insignitas fuisse tradit Tacitus de moribus Germanorum: tum quod de hæreticis apud Sanctos Patres invenitur; S. Irenæus id fatetur de Gnosticis lib. 1. adversus hæres. cap. 9., Tertullian. de præscript. cap. 41. præsertim vero S. Epiphan. hær. 49. de Quintilianistis, Montanistis, Pepuzianis, Cataphrygis, qui diversis nominibus istis fuerunt appellati, quamvis inter se non differrent; nec non Colloridianis, quorum fœminæ panem in Sacrificium Beatissimæ Virgini offerebant. Hisce veteribus addi possunt Novatores, qui Christianos omnes cujuscumque conditionis, ac sexus Sacerdotes esse docent; quippe qui non aliud, quàm gratiarum actionis, precationum, ac laudum Sacrificium agnoscunt.

132. Dicendum; Mulieres esse incapaces ordinationis.

Hoc primo suadet naturæ lex, juxta quam ita condita mulier est, ut conveniens non sit ejus verecundiæ, levitati, inconstantiæ, ac subjectioni, publicè in Ecclesia ministeria habere, aut Sacris Altaribus adstare; virum natura statuit caput mulieris, non mulierem viri; illa de viro sumpta est, non vir de illa, hanc oportet ediscere, non edocere; nec vir productus est propter mulierem, sed mulier propter virum.

133. Hæc omnia consideravit Apostolus Paulus, easque protulit sententias, quæ nostrum dogma confirmant. *Mulieres*, inquit 1. ad Corint. 14. *in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia.* Idem ad Timot. 1. cap. 2. dicens: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio; Adam enim primus formatus est, deinde Eva: & Adam non est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Denique ad Eph. 5. ait: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput Ecclesiæ:* Hæc autem omnia non servarentur, si capaces essent ordinationis, per quam quis in gradu eminentiori constituitur, aliisque præficitur.

134. Et profecto si res ita non esset, Ecclesia injuste omnes prorsus fœminas ab hoc munere prohibuisset; Quæ enim incommoda, quæ pericula ex ipsarum ordinarione secutura fore pertimescere posset, si Christus, qui omnia noverat, muliebrem sexum ordinationis capacem judicasset, ac statuisset? & tamen res ita peracta est, ut à mundi constitutione usque ad præsentia tempora soli viri fuerint Sacerdotes, & Levitæ. Perpende legem naturæ, Abel, Enoch, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob Deo sacrificia obtulisse leguntur, de ipsorum uxoribus, aut filiabus nunquam hoc leges; Perpende legem scriptam, solos viros ex Aaron Levitas ac Sacerdotes invenies; quamvis fuerint peregregiæ mulieres, quæ & exercitus duxerint, & politicè populo præfuerint, ut Debbora; pluresque quæ prophetaverint, ut inter cœteras Anna filia Phanuelis; nullæ tamen fuerunt, quibus sacrificium commissum sit. Perpende tandem Legem Evangelicam; Christum solos viros, ideft Apostolos ordinasse, istos solis viris manus imposuisse perspicies: Certe siqua fuit omnibus etiam viris major, ac dignior, fuit Beatissima Virgo clementissima Domina, ac dulcissima Mater mea; nec tamen ipsi tantus honor delatus est, qua ratione utitur S. Epiphan. hæresi 79. Firmum igitur argumentnm habetur; ita à Christo institutum fuisse ordinis Sacramentum, ut nullam mulierem voluerit ad hoc assumi

sumi posse: quæ incapacitas non ex ipsa natura rei, sed ex Christi voluntate est intelligenda.

135. Et quidem si de Diaconatu, ac Sacerdotio sermo sit; id tanquam fidei dogma tenendum est; cum licet, nulla in hac re Ecclesiæ definitio habeatur; attamen Sancti Patres hæreticorum erroribus absolutè id tribuunt. Utrum tamen idem etiam dici possit de Subdiaconatu, quatuor minoribus, nec non prima tonsura; non ita certum est. Omnes illi, qui existimant, hæc omnia Sacramenta esse, idem de omnibus concludere debent; ideo Paludanus existimans minores Sacramentum esse, non ita primam tonsuram; censet mulieres jure divino non esse ejusdem incapaces, sed tantum jure Ecclesiastico: atque ideo Pontificis dispensatione Clericali posse tonsura insigniri, quod & Almainus affirmare videtur.

136. Nihilominus censeo, quod etiamsi minores ordines, ac prima tonsura non essent à Christo Domino instituti, sed ab Ecclesia, de quo puncto alibi pertractabitur; attamen horum etiam mulieres incapaces esse, nec ullam excogitari posse Ecclesiæ dispensationem; Primum argumentum desumo ex laudatis verbis Apostoli, siquidem per minores ordines, quamvis à Christo instituti non essent, confertur aliquod munus, & potestas in Ecclesia, quæ cum illis textibus conciliari non possunt: per primam vero tonsuram licet Clericus ad peculiare ministerium inter januas Ecclesiæ non determinetur; attamen ad inserviendum in templo aliquo modo deputatur. Secundum argumentum est; quia ad minus sunt præparationes ac dispositiones ad ordines majores; qui autem jure divino incapax est formæ, incapax quoque censeri debet dispositionis, ac praparationis ad formam.

137. Quid verò sentiendum est de hermaphrodito? Censeo, hunc ab ordinibus esse repellendum; Si tamen prævalet sexus virilis, ordinationis esse capacem. Ita Navar. lib. 1. Consil. consil.8. Henriq. lib. 14. de irregularitate cap.8., Sanchez &c. Ratio est, quia credi non potest, Christum ab ordinum capacitate illos exclusisse, qui in civili Republica ad munera & virorum dignitates admittuntur, tales autem sunt hermaphroditæ, ex l. *Quæritur* §. *De statu hominum*. Si vero prævalet sexus fæmininus, oppositum est concludendum: Quid vero si neuter sexus prævaleret? Suppositum negaretur juxta Aristot. lib. 4. de generat. anim. cap. 4. ubi docet, non posse utrumque sexum eidem æqualiter convenire, quamvis exterius id appareat; ideo impossibile censet tale monstrum, quod omnia necessaria ad generandum, & concipiendum habeat; Data tamen hypothesi, dico cum laudatis Doctoribus incapacem esse; etenim juxta sexum virilem deberet præesse, juxta muliebrem subesse, nec dici posset absolute vir, cum æquali modo esset fœmina. Quod si ipsi tribuitur facultas eligendi quem statum voluerit, ita ut tamen nequeat in posterum ab electione recedere; hoc valet quantum ad aliqua externa, non quantum ad omnia; & revera Matrimonium contrahere non posset.

§. IV.

Rejiciuntur argumenta contraria.

138. Opp. 1. Tam in veteri, quam in novo testamento legimus fuisse aliquas fæminas prophetiæ dono insignitas. Id num. 12. de Maria Moysis sorore, de Anna filia Phanuelis Luc. 2. &c. Cur igitur etiam ad sacros ordines promoveri non poterunt?

Hoc sibi proponit S.Th. in 4. dist. 25. qu. 2. art. 1. & respondet: *Prophetia non est Sacramentum, sed Dei donum; unde ibi non exigitur significatio, sed solum res; & quia secundum rem in his, quæ sunt animæ, mulier non differt à viro; ideo donum prophetiæ, & alia hujusmodi potest*

potest recipere, sed non ordinis Sacramentum. Disparitas autem colligi potest ex iis, quæ diximus; etenim per prophetiam, aliaque dona nulla traditur potestas, nulla gradus eminentia, propter quam alios sibi subditos efficiat; è contrario per ordinationem, ideo sexus ille excludi debuit, qui non ad dominium, sed ad subjectionem conditus fuit. Cæterum, in his rebus non alia ratio quærenda est, quam Divina voluntas.

139. Dices; atqui mulieribus convenire potest jurisdictio, atque dominium, cum eas persæpe reginas pacem & bella ferentes, leges promulgantes atque hujusmodi legamus, & audiamus; ergo. Neque juvat reponere, id tantum verum esse de jurisdictione civili ac politica, non sic Ecclesiastica. Contra enim; ex monimentis Monasterii Fontis Ebraldi in Gallia habetur, Abbatissam tanta pollere etiam in viros potestate, ut sui ordinis Monachis benedictionem impertiatur; vota eorum excipiat, atque obedientiam ab illis exigat: ergo etiam jurisdictio Ecclesiastica mulieribus convenire potest; Adde, mulieres Ecclesiastica beneficia possidere, instituere Clericos in beneficiis, lectiones publicè in Ecclesia recitare, psallere in Choro, imo & missam cantare, quæ munera propriè Clericorum sunt: itaque &c.

140. Resp. ut supra; ad impugnationem, ea omnia, quæ de potestate illius Abbatissæ legi possunt aliud non inferre quam æconomicum dominium, non jurisdictionem Ecclesiarum propriè dictam, & alicujus ordinationis virtute ipsi communicatam; aliter posset etiam excommunicare, suspendere, aliasque censuras erga personas sibi subditas inferre, quod falsissimum est; atque in hac re præterire nolo, quod Honorius III. in cap. *Dilecta de majoritate, & obedientia* scribit ad Abbatem de S. Michaele Abradensi his verbis: *Dilecta in Christo Filia Abbatissa de Brubrige transmissa nobis petitione monstravit, quod cum ipsa plerumque canonicas suas, & Clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientias & culpas eorum officio, beneficioque suspendat; iidem confisi ex eo quod eadem Abbatissa eos excommunicare non potest, suspensionem hujusmodi non observant; propter quod eorum excessus remanent incorrecti. Quocirca mandamus, quatenus dictas Canonicas, & Clericos, ut Abbatissæ Prælatæ obedientiam & reverentiam debitam impendentes, ejus salubria monita, & mandata observent, Ecclesiastica censura compellas.* Ex istis vides, mulieri concessum non esse excommunicationem ferre; & ita suspendere, ut inducatur irregularitas, sed hoc Abbati commissum esse, & solam præcipiendi facultatem in Abbatissa fuisse.

141. Quod vero Ecclesiastica beneficia possideant; tantum probat, Ecclesiam illis ex bonis suis largiri potuisse: Quod vero lectiones recitent, in Choro psallant, & in Missa concinant; Quid inde? Primo id tantùm privatè facere censentur, non tanquam publici Ministri in Ecclesia: Secundo quamvis etiam id publicè fieret, nihil probari posset: siquidem, ut testatur Philo Hebræus lib. de vita contemplativa, alternis choris cantabant viri, ac mulieres in Ecclesia Alexandrina, nec mulieres illæ aliquam acceperant ordinationem: quem ritum posterioribus sæculis in Sabellio & Pelagio damnavit Ecclesia, ut legitur in Hieronymo lib. I. adversus Pelagianos, eumque reprobavit in sanctimonialibus Innoc. II. in Conc. Rom. can. 17., *ne*, scilicet, *sanctimoniales simul cum Canonicis, vel Monachis in Ecclesia in uno Choro conveniant ad psallendum:* quem canonem citat Gratian. caus. 18. qu. 2. cap. *Perniciosum*. Igitur ex laudum & lectionum recitatione & cantu ordinatio non infertur. Certe etiam laici plerumque recitant, cantant, & Presbytero celebranti inserviunt; nunquid igitur ordinati? Minime.

142. Opp. 2. Plures Doctores Catholici scriptis suis tradiderunt, inter Leonem IV. & Benedictum III. sedisse olim in Ecclesia Romana mulierem quamdam, quæ fuit in Papissam ordinata; Id referunt Martinus Polonus ex insigni Prædicatorum ordine; Sigibert. in Chron. ad ann. 854., S. Antonin. par. 2. Chronici; Platina in vitis Pontificum; & primus omnium Marianus Scotus, cujus verba in Chronico Francofurti sunt ista. *Leo Papa obiit Kalendis Augusti; Huic successit Joanna Mulier, &c.*

Totum hoc confirmat statua quædam marmorea, quæ posita erat ad viam in qua Papissa pepererat, preferens mulierem cum infante, quam post tot Pontifices, qui illam intactam reliquerunt, Sixtus V. dejiciendam præcepit. Simile simulachrum inter Romanorum Pontificum statuas Senis in majori templo collocatum fuit, & perstitit usque ad Clem. VIII.

143. Resp. Si hæc omnia vera essent; maximus error contigisset; decepti fuissent Electores & Episcopi illam consecrantes, & masculum judicantes, sed nihil in ordinatione contulissent; decepta etiam fuisset illa mulier, quæ sexum mentiens, nihil recepisset; Sed revera ficta ac fabulosa illa narratio judicanda est.

Primo. Quia, inter Leonem IV. & Benedictum III. nullum Romanam Sedem obtinuisse omnes Scriptores antiqui, & coævi tradiderunt; Legantur Lupus Ferrarien. epist. 103. ad Benedictum III. Ado Vien. in Chronico ad ann. 855., Anastasius Bibliothecar. in vita ejusdem; Annales Bertiniani ad ann. 855., atque ut alios plures præteream, Hincmarus Archiepiscopus Remensis epist. 26. asserit, se misisse aliquos legatos ad Leonem IV., qui cum audiissent in itinere, eum obiisse, iter perfecerunt, & à Benedicto ejus successore rescripta obtinuere.

Secundo. Nullus ex illius sæculi authoribus hoc referunt; credi autem potest, rem adeo novam fuisse silentio prætermittendam?

Tertio. Ipsi Romanæ Ecclesiæ, & Romanorum Pontificum hostes infensissimi Benedictum III. Leoni IV, immediatè successisse fatentur. Putandum autem est, quod si hoc veraciter potuissent opponere, linguæ & calamo pepercissent? Ipse Blondellus Minister Calvinianus in dissertatione, quam de hac re habuit, fabulam eam vocat.

144. Quid igitur in causa fuit, laudatos Scriptores id protulisse? Quid isti scripserint, incertum omnino est, etenim si de Martino Polono inquiramus, in Codice manuscripto Bibliothecę Vaticanę non reperitur, ut testatur Leo Allatius, pariter in quodam Codice, qui servatur in Anglia solum in margine aliena manu descripta ea narratio legitur, quæ si admittatur, alia quam plura risu excipienda admittenda erunt, ut, puellam hanc Athenas petiisse, ut litteris vacaret, ibi biennio docuisse, & postea communi suffragio in Pontificem fuisse electam, & ab uno ex suis familiaribus gravidam effectam esse: Verius igitur dicendum superest, ipsius Codicem fuisse interpolatum, corruptum, pluribusque falsitatibus immixtum.

145. Idem de Sigiberti opere judicium ferendum est, quod & de Sancto Antonino, qui deceptus fuit, atque ita dubitavit, ut dixerit, *si verum fuit, quod vulgo dicitur, & iste* (nempe Martinus Polonus) *refert*. Platina non est audiendus; conjectus fuerat à Paulo II. in carcerem, indignationem suam in Romanos Pontifices exercere aliquando voluit; attamen & ipse rem assertivè non profert, sed dicit; *Hæc, quæ dixi*, utique de Joanna Papissa, *vulgo circumferuntur, incertis tamen, & obscuris auctoribus*. Denique ex statuis illis nihil inferri potest; observatum enim est ab eruditis viris, per illam Romæ repræsentatum esse vel aliquem

quem Sacerdotem, vel aliquod Gentilium numen; præsertim quod altera manu ramum deferret, quod nunquam Romanorum Pontificum fuit insigne. Poetis & sculptoribus nulla fides est adhibenda; Ipsi, quod efficiant, machinantur, suæ mentis sequuntur ingenium & adinventiones; rei veritas ad ipsos non spectat.

146. Opp.3. ex epistolis S. Pauli, & ex antiqua consuetudine, juxta quam erant Diaconissæ, Presbyteræ, Episcopæ, satis eruitur, etiam mulieres fuisse ordinatas, ergo.

Responsionem expecta, quæ, ubi de Diaconis sermo erit, non omittetur.

§. V.

An invitis possit ordinatio conferri.

147. Locum faciunt huic brevi difficultati quædam exempla, quæ leguntur in antiquis monumentis. Primum illud est, quod de Macedonio quodam narrat Theodoret. in Philotheo cap.23. Hic contemplationi singulariter addictus erat: tantaque fulgebat virtutis fama, ut Flavianus Episcopus Antiochenus ea permotus è montis vertice, in quo morabatur, per speciem objectæ accusationis, illum ad se advocaverit, ordinavitque in Sacerdotem. Quo pacto res acciderit brevius & elegantius referre non possum, quam verba ejusdem Theodoreti in medium producendo; Sic autem scribit: *Sub mysticum sacrificium Altari admovit, coaptavitque in numerum Sacerdotum. Cumque peracta liturgia hoc illi quidam indicasset (ignorabat enim prorsus quid egissent,) primum quidem conviciis, verbisque asperis proscidit universos; deinde arrepto baculo, quo innixus propter senium incedebat, Pontificem ipsum, & alios qui aderant insecutus est...... sed tum quidem sic indignantem ægrè tandem amici quidam sedaverunt. Expleto autem hebdomadæ curriculo, cum rediisset dies Dominicus; iterum evocat illum magnus Flavianus; rogatque, celebritati cum ipsis intersit. Tum ille ad eos, qui venerant; An vobis ait, nôn sufficiunt quæ jam acta sunt; sed iterum me Presbyterum creare vultis? respondentibus illis, fieri non posse, ut bis eadem fiat manuum impositio; non acquievit.*

148. Secundum exemplum est illud, quod peractum est à S. Epiphanio in ordinatione Pauliniani fratris Sancti Hieronymi. Idem Epiphanius in epist. ad Joan. Hierosolymitanum ita refert; *Cum celebraretur collecta in Ecclesia Villæ, quæ est juxta Monasterium nostrum; ignorantem eum, & nullam prorsus habentem suspicionem per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne forte liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi: & primùm Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut ministraret, valde quippe obnitebatur, indignum, se esse contestans; vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis scripturarum, & propositione mandatorum Dei. Et cum ministraret in sacris sacrificiis, rursus eum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iisdem verbis, quibus antea suaseramus, impulimus, ut sederet in ordine Presbyterii.*

149. Quis neget ex his utrumque summopere invitum fuisse? fuerunt igitur ambo ordinati, vel nullus?

Ut respondeam, observandum est, pluribus ex titulis esse posse aliquem invitum; Primo ita, ut nullis minis, adhortationibus nullis adduci possit, ut ordinationi consentiat, aut etiam omnino sit illius ritus, qui in ordinatione celebratur, ignarus; atque huic ordinationem nec quidem validè conferri posse, dijudicandum est. Talis procul dubio fuit Macedonius, de quo Theodoretus, & in hoc facto laudabiliter non se gessit Favianus; quamvis coram Deo innocenter, cum putaverit, nec adeo invitum, nec adeo ritus ignarum

rum futurum esse Macedonium. Secundo ita, ut ex sola humilitate, & erga sacros ordines reverentia, ordines ipsos refugiat; nec nisi precibus, clamoribus, imperio impellatur; & tandem intus consentiat, de quorum genere inquiit Augustinus epist. 173. ad Donatum. *Multi, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiunturque quæ nolunt; donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni*. Quod pluries evenisse, multa olim demonstrarunt exempla, & præsertim de ordinatione Cornelii in Romanum Episcopum sic scribit S. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum: *pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ .... ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet*. Ex istis fuit Paulinianus, de quo Epiphanius; & hunc valide fuisse ordinatum, non est ambigendum, cum intus dedisse consensum ex ipsa narratione appareat. Hæc in hoc loco exposuimus, cum propriè ad ordinationem pertineant; non enim tam facilè obliviscimur, de iisdem dictum esse in Quinto Tomo qu.4.art.3. num.18. & 19.

150. Denique in hac re repetenda est communissima ac trita distinctio involuntarii; in illud, quod tale est simpliciter, cui nullo pacto assentitur voluntas; & in illud, quod tale dicitur secundum quid, cui licet invita ac reluctans assentitur, qualis est voluntas mercatoris, qui invitè naufragii metu merces in mare projicit, & tamen voluntariè & consentiens projicit. Si de hoc loquamur, qui ita invitus ordinaretur, validè saltem ordinaretur. Si vero de illo; sentiendum est ordinationem fore omnino invalidam.

Quod procul dubio docuit Innocent. III. cap. *Majores de baptismo* expressè asserens, quod *ille, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit; nec rem nec characterem suscipit Sacramenti: quia plus est expressè contradicere, quàm minimè consentire*: quod magis quidem de ordine, quam de baptismo, de quo in eo capite quærebatur affirmari debet; cum baptismus ad salutem sit absolutè necessarius, non sic ordo; & ex alia parte graviora sunt onera ordini affixa, quam baptismo: quanquam in eodem capite conceptis verbis id etiam de ordine dicat, cum eorum dicat esse refellendam sententiam, qui dicunt, quod *Sacramenta, ut Baptismus & Ordo, non solum dormientibus, & amentibus, sed invitis & contradicentibus; etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur*.

§. VI.

De probitate morum, scientia, & ætate requisitis in eo, qui ordines suscipit.

151. Incipimus eas perpendere conditiones, quæ ad licitam ordinum susceptionem requiruntur: & primo de positivis, quales sunt propositæ, nonnulla proferemus; deinde de aliis, quæ impedimenta ab ordinatione removentia appellantur, deveniendum erit.

Pauca tamen à nobis dicenda sunt, cum in Concil. Tridentino sess.23. de reformatione omnia perstricta ac recensita sint. De promovendis ad ordines minores cap. 5. sic loquitur. *Ad minores ordines promovendi bonum à Parocho, & à Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant*. De reliquis ordinibus cap. 12. 13. & 14. semper præcipitur, ut qui ad eos promoveri debeant pariter *bonum habeant testimonium & quorum probata vita senectus sit*.

Hoc multo ante statutum fuit in Concil. Nicæno 1. can. 10. in quo præcipitur, ut si quis non probatæ vitæ ordinatus esset; cognitus deponeretur. Hoc existimo desumptum esse ex epistolis Pauli, loquens enim Apostolus de Dia-

Diaconis 1.ad Timot.3. sic effatur: *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia bona*. De Presbyteris vero ad Tit. cap.1. ait: *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, si quis sine crimina est &c.*Qui igitur ad sacras ordinationes licitè promoveri vult; aut innocenter vivat; aut prioris vitæ maculas per pœnitentiam abstergat.

152. Scientiam etiam necessariam esse in iis, qui sacris ordinibus initiantur, quis potest in dubium revocare? Notum est, quod legitur Oseæ 4., *quia scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris*. Qualis autem,& quanta scientia requiratur, in jure Canonico nihil expressum legimus; attamen attendendi sunt ordines illi, ad quos quis promoveri petit, ac desiderat: ut enim ipsorum dignitas major & minor est, ita pro iisdem major vel minor scientia inquirenda est:Hinc Concilium Tridentinum sess.23. de reform. cap.4. pro prima tonsura hoc statuit: *Prima tonsura non initientur, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant*. Pro minoribus ordinibus hoc; *Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant*. Pro Subdiaconatu & Diaconatu cap.13.hoc: *Subdiaconi, & Diaconi ordinentur jam probati, ac litteris, & iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi*. Pro Sacerdotio tandem sic loquitur, *etiam ad docendum populum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, comprobentur*. Hoc autem Catechismus Romanus p. 2. de Sacramento ordinis hisce verbis exponit. *Præterea in Sacerdote non solum ea cognitio requirenda est, quæ ad Sacramentorum usum,& tractationem pertinent; sed etiam sacrarum litterarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo Christianæ fidei mysteria, & divinæ legis præcepta tradere, ad virtutem & pietatem incitare, à vitiis revocare fideles possit*. Nec aliter res habere se potest, si enim de Sacerdotibus veteris legis dixit Malachias cap.2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est*; id tanto potiori jure de Sacerdotibus novi testamenti asserendum est, quanto illo est istud excellentius; quod quidem jam prius statuerat Concilium Toletanum 8. can. 8. dicens: *Nullus ad sacra mysteria tractanda veniat indoctus; sed quem morum innocentia, & litterarum splendor reddunt illustrem*.

153. Hinc ab eodem Tridentino Concilio, neminem sine prævio examine sive sæcularis, sive regularis sit ad ordines promovendum esse, decretum fuit. Sed hic excitatur dubium, an per respectum ad regulares examen hoc fieri debeat ab Episcopo, vel ab eorumdem Prælato: Quidam existimarunt, examen hoc ad regularium Prælatum spectare, & afferunt privilegium Eugenii IV., ut habetur in compendio regularium secundæ impressionis titulo, *sacri ordinis* §.10., imo asserunt, privilegium hoc non solum à Concilio Tridentino non revocatum, sed etiam confirmatum: quia licet sess. 23. cap. 7. examen Episcopis committatur; attamen cap.8. statuitur, ut nemo ordinetur, nisi ejusdem mores ordinarii sui testimonio comprobentur: ordinarius autem regularium est ipsorum Prælatus: & præcipiens, ne Episcopi titulares ullum sine sui ordinarii licentia ad ordines promoveant; rationem reddit; quia *plerumque fit, ut minus idonei, & rudes, atque ignari ordinentur*.

154. Nihilotamen minus juxta Trident.oppositum tenendum est;siquidem eadem sess. cap.12. conceptis verbis sic effatur; *Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque, quo ad hoc, penitus exclusis*. Utique exa-

examen morum Prælatis suis committitur; quia non deceret, Episcopum regularium mores ad trutinam revocare: Quod vero dictum est de Episcopis titularibus, ideo id actum est, quia isti prius absque aliquo examine ordines conferebant: unde & contingebat, plures minus idoneos, ac valde ignorantes ordinari: Quare præceptum fuit Prælatorum examen; non quia hoc sufficeret, sed quia etiam hoc necessarium erat. Neque recte diceretur, per examen Episcopi intelligi notitiam habendam per litteras dimissoriales Prælatorum; etenim hæc non examen, sed notitia examinis appellari debet.

155. Utrum verò tanta scientia requiratur in regularibus, quanta in sæcularibus; ut ordinationi idonei judicentur; Silvester in verbo *Clericus*. Jacobus de Graffis decis. aurearum par. 2. lib.3. cap.2. num.24. Barbosa, aliique censent, in regularibus minorem sufficere: Horum fundamentum est, quia regulares propter aliorum consortium judicari debent facilius in litteris profecturi. Hoc ego non admitto; siquidem in ordinatione non est expectanda scientia pro tempore futuro, sed illa attendenda, quæ haberi tunc debet, quando quis ad ordines promovetur. Nihilominus distinguerem, vel agitur de regularibus, qui perpetuò in Monasteriis suis commorantur, ut sunt Carthusiani, Camandulenses &c. vel de illis, qui functionibus hierarchicis operam navant, proximorumque saluti dant operam: si de primis, minor quam in Clericis sæcularibus scientia expetenda est; atque hoc innuit Concil. Coloniense 2. an. 1549.: si de secundis, saltem æqualis est exigenda.

156. Nunc aliqua circa ordinandorum ætatem statuenda sunt. Pro prima tonsura, & minoribus ordinibus nihil determinat Concil. Trident., sed id Episcoporum prudentiæ, consilioque relinquit; tantum dicit, non esse initiandos, nisi confirmationis Sacramentum susceperint, & fidei rudimentis fuerint edocti; nec non legere noverint, ac scribere. In Concilio Mexicano an. 1585. decernitur annus 14.: in Burdigalen. an. 1624. saltem annus 12. In Colonien. vero an. 1536., ætas illa requiritur, qua intelligatur quod agitur, & percipiat ad quam sortem eligatur, qui promovetur.

Circa vero Subdiaconatum requiritur annus 22., Diaconatum 23., Presbyteratum 25.; ut expresse habet Concilium Tridentin. sess.23. cap.14. *Nullus*, inquit, *in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis annum promoveatur*. Quod intelligendum est de annis incæptis, non completis, ut probat usus hodiernus. Olim fuit alia disciplina, sed nobis satis est id exponere, quod ad nostra tempora pertinet.

§. VII.

De iis, quæ ordinationem impediunt.

157. Nunc breviter examinandæ sunt conditiones; quæ si in aliquo subjecto sint; licitam ordinationem impediunt: proinde appellantur conditiones negativæ. Istæ autem sunt irregularitates, & censuræ Ecclesiasticæ, proinde operæ pretium est, nonnulla de irregularitate perpendamus, & exponamus.

Est autem irregularitas *impedimentum canonicum, quo quis redditur inhabilis directè ac primario ad ordines licitè suscipiendos, vel ad eorum functiones obeundas*. *Impedimentum* inquam, non pœna; & sic distinguitur à censuris; quæ cum non infligantur nisi præcedente culpa, pœnæ sunt: irregularitas autem esse potest etiam sine culpa; ut infra dicemus; *canonicum*, ut innuatur, non esse hujusmodi ex se, aut aliqua lege superiori; sed tantum ab Ecclesiæ san-

ſanctionibus latum: Unde quidquid in jure expreſſum non eſt, irregularitatem inferre non poteſt: Dum vero audis per eam fieri hominem inhabilem ad directè & primario ordines licitè ſuſcipiendos; Vide irregularitatem diſtingui ab excommunicatione, per quam fideles aliorum fidelium communione privantur; ab interdicto, per quod Divinis Officiis, à ſuſpenſione, depoſitione, ac degendatione, per quas ordinis functionibus; additæ ſunt illæ particulæ *vel ad eorum functiones obeundas*, quia ſi quis, antequam irregularitatem contraheret, ordines ſuſcepiſſet; tunc irregularitas priorem effectum habere non poſſet, proinde tantum haberet iſtum, qui eſt ſecundus.

158. Porro duplex eſt irregularitatis genus; alia nimirum ex defectu, & alia ex delicto; Illa eſt indecentia quædam, quæ à propria culpa non oritur: Hæc è contrario; Illius novem ſpecies recenſentur, Prima ex defectu animæ, ſecunda ex defectu corporis, tertia ex defectu natalium, quarta ex defectu famæ, quinta ex defectu ætatis, ſexta ex defectu obligationis, ſeptima ex defectu Sacramenti, octava ex defectu lenitatis, nona ex defectu libertatis.

159. Haſce omnes explicemus oportet. Irregulares ex parte animæ ſunt energumeni, lunatici, epipletici, amentes, neophyti, illitterati. Irregulares ex parte corporis ii ſunt, qui vel ob defectum alicujus membri decenter miniſterium ſuum exequi non valent; vel ob deformitatem horrorem in aliis, & contemptum erga ſe cauſant; Requiritur propterea, ut corporis vitium occultum non ſit; dummodo tamen defectus alicujus membri ex propria non contigerit culpa, quia tunc induceretur irregularitas, ut habetur in cap. *Maritum* diſt. 33., & cap. *Si quis abſciderit*. In hac irregularitate diſpenſare pertinet tantum ad Summum Pontificem, ex cap. *Significaſti*. Irregulares ex parte natalium ſunt omnes illi, qui ex legitimo Matrimonio nati non ſunt, vel nati ſunt ſervi; niſi prius fuerint libertate donati. De primis habentur plures Canones diſ.56., ſed præſertim cap. *Per venerabilem*. Extra, *Qui filii ſint legitimi*. De ſecundis habetur l.1. decretalium titulo *de ſervis non ordinandis*; & can. *Nullus* diſ.54. Illud intelligendum etiam eſſe de illegitimis occultis tradit Trident. ſeſs.25. cap.15. & legitur in cap. *Niſi cum pridem*. Et cap. 1. *de filiis Presbyterorum*. Excipe tamen duos caſus, Primus eſt; ſi quis natus eſſet ex fornicatione, ſed poſtea inter fornicarios ſecutum eſſet Matrimonium. Cap. *Tanta*, *Qui filii ſint legitimi*. Secundus eſt, ſi parentes bona fide contraxerunt, & poſtea cognitum ac declaratum fuerit Matrimonium invalidum; Ita ex cap. *Pervenit*. Et ex cap. *Ex tenore*, *Qui filii ſint legitimi*. Quod de illegitimis dicitur, etiam de expoſitis, quorum natalia ignorantur, aſſerendum eſt. Dixi ſupra, ſi quis natus eſſet *ex fornicatione*. Nam ſi adulter, mortua conjuge, Matrimonium iniret cum fœmina, ex qua filium ſuſcepit, adhuc filius iſte remaneret ſpurius, & illegitimus, cap. *Tanta*. Hæc irregularitas pro quatuor minoribus ordinibus, & uno ſimplici beneficio diſpenſari poteſt ab Epiſcopo, cap. *De filiis Presbyterorum*, in ſexto; Pro majoribus vero tantum à Papa; cap. *Nimis De filiis Presbyterorum*. Si tamen illegitimus ingrediatur Religionem, & in ea profeſſionem emittat, promoveri poteſt ad omnes ſacros ordines, non tamen ad dignitates, cap. *Ut filii*. Extra. *De filiis Presbyterorum*.

160. Irregularitas ex defectu famæ alia eſt juris, alia facti; Prima oritur ex lege civili, vel canonica, quæ certis criminibus infamiæ notam affigit, vel etiam certis officiis minus honeſtis, qualia exercent *uſurarii*, *hyſtriones &c.* oritur inſuper ex ſententia Judicis aliquem damnantis ad triremes, vel aliam

aliam pœnam, quæ sine infamia audiri non potest. Secunda contrahitur ex aliquo gravi delicto, ac notorio; etiamsi tantùm esset præsumptum. Causa 2. qu.1., & tit. *de purgatione canonica*.

161. Irregularitas defectu ætatis ab iis contrahitur, qui aliquos ordines suscipiunt ante statutam illam ætatem, de qua à nobis dictum est num.156., atque illos exercent; dummodo tamen id ex ignorantia actum non sit: neque ea desinit superveniente debita ætate, ut patet ex Constitutione Pii 2. *Cum ex sacrorum*. Supra hanc nemo dispensare potest, nisi Summus Pontifex, ex cap. *Nullus. De temporibus ordinationum*.

162. Irregularitas ex defectu obligationis ad duo hominum genera se extendit; nempe ad Curiales, & ad eos, qui ob publicam aliquam administrationem ad reddendas rationes tenentur. De utrisque fit mentio in cap. *Præterea* dis. 51. Primi sunt Judices, Advocati, Notarii, Milites &c. atque isti deposito officio desinunt esse irregulares; si tamen mutilationi, aut homicidio se non immiscuerint; vel aliquod vile, ac de se infame officium non exercuer..., ut Satellites &c. Pariter alii redditis rationibus, ac deposita obligatione non sunt amplius irregulares. Adnotandum autem hosce, qui appellantur obligati ad ratiocinia, irregulares non fieri, si curam susceperint alicujus personæ pauperrimæ, cap.26. *Pervenit* dis.86., vel alicujus personæ Ecclesiasticæ, ibidem; Si autem obligatus esset alicui personæ sæculari publicæ, ad ordines promoveri non potest etiam depositio onere, nisi prius rationem reddat; secus si obligatio sit erga personam sæcularem privatam; dummodo ante promotionem, vel in ipsa promotione lis non moveatur.

163. Irregulares ex defectu Sacramenti sunt illi, qui duas vel plures successivè habuerunt uxores: non quia ipsorum nuptiæ Sacramentum non fuerint; sed quia perfectè non repræsentant conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est unius cum una, ut loquitur S. Thom. in 4. dis. 27. qu.3. art.1. quæstiunc.1., nec significant unionem Verbi Divini cum natura humana; Triplex ista est. Prima vera, & realis, per quam aliquis duas uxores legitimè successivè duxit, & cum utraque Matrimonium consummavit; ex cap. *Debitum*. Ex can. *Præcipimus* dis.34., ex can. *finali* dis.51. Secunda interpretativa, consurgens ex duplici Matrimonio consummato, sed invalido, vel uno valido, alio nequaquam, aut ex Matrimonio cum non Virgine, aut ex Matrimonio cum Virgine, quæ cum alio copulam habuerit, & fuerit à suo Marito postea carnaliter cognita; quæ omnia colliguntur ex cap. *Curandum* dis. 34., & ex cap. *Nuper à nobis*, *De bigamis non ordinandis*. Tertia est similitudinaria, qua aliquis post initum Matrimonium spirituale vel per sacros ordines, vel per professionem in Religione emissam, Matrimonium contrahit, & consummat, ex cap. *finali de bigamis*, quod est Innoc. III., ex cap.1. & 2. *Qui Clerici voventes*, quæ sunt Alexandri III. &c. Per omnes hasce bigamias contrahi irregularitatem certum est; Per primam, ex cap. *Super eo. De Bigamis non ordinandis*. Per secundam, ex cap. *Nuper à nobis*. Per tertiam, ibidem, & ex cap. *Quotquot* causa 27. qu.1.

164. Plura dubia circa istas bigamias excitantur à Doctoribus, sed hujusce loci non est eorum resolutio. Tantum inquirere placet; Utrum Summus Pontifex in iis possit dispensare; Summus inquam Pontifex; nam si de Episcopis loquamur, quamvis olim dispensare possent, ut bigami ad ordines minores promoverentur, ut constat ex cap. *Super eo. De bigamis non ordinandis*, & tempore S. Thom. hujusmodi dispensatio adhiberetur; attamen post Concilium Tridentinum, mos iste abrogatus censeri debet; cap. enim 17. sess.23.

fess. 23. sic effatur : *Quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis Clerici cælibes præsto non erunt*; *suffici possint etiam conjugati*, *vitæ probatæ*, *dummodo non bigami &c.* In hac tamen re diu immorari non placet; cum tamen plura afferre possem etiam ante Concilium Tridentinum; Hoc inter cætera est illud Gelasii Papæ in epist. ad Episcopos Lucaniæ cap. 5. ubi sic scribit: *Nec fas est*, *confidat quisque Pontificum bigamos*, *aut conjugia sortientes ab aliis derelicta*, *divinis servituros applicare mysteriis*, *& absque Sedis Apostolicæ justa dispensatione mandante &c.*

165. Itaque ad propositum dubium deveniendo; fuit aliquorum sententia, statuens, bigamum jure Divino esse ordinum incapacem; Ita præ aliis Petrus Soto lect. 18. de Matrim. §. *Ex quibus*, & §. *Restat jam*, & affertur Gloss. in cap. 2. *De Bigamis*. Si autem hoc de jure Divino censendum est, plane sequitur Summum Pontificem dispensare non posse; Hujusce opinionis fundamenta inferius subjiciam.

Dicendum namque est, Summum Pontificem dispensare posse, quam sententiam tradunt S.Th. in 4. dist. 27. q. 3. art. 5. Richar. art. 4. Duran. qu. 4. Paludanus, Sot. &c. Angelus verbo *Bigamia* num. 8. Sylvest., Armilla, Navar., & omnes Theologi, ac Summistæ, juxta can. *Lector* dist. 34., qui est Martini I. qui cum Subdiacono dispensavit; imò dispensatum etiam esse quo ad alios ordines præter illos, qui fortasse fuerunt ab Ecclesia instituti, habetur ex Gloss. laudati Canonis, quæ dicit, à Lucio Papa dispensatum esse cum Archiepiscopo Panormitano.

166. Hoc autem magis declarabitur ostendendo, oppositæ sententiæ momenta nulla esse; Primo affertur id, quod ait Paulus 1. ad Timot. 3., & ad Tit. 1., oportere Episcopum esse unius uxoris virum, idem vero dicendum est etiam de Diacono, & de Presbytero; atque juxta textum Apostoli habetur in can. 16. Apost. ut refertur can. 1. dist. 33. *Qui post sanctum baptismum duobus conjugiis fuerit implicitus*, *vel habuerit concubinam*, *non potest esse Episcopus*, *vel Presbyter*, *vel Diaconus*, *vel omnino ex numero Sacerdotali*. Propter laudata gentium Doctoris verba Lucius III. cap. 2., Cœlestin. III. cap. 3. *De bigamis*, & Martinus I. can. *Si quis viduam* dist. 50. negarunt, cum bigamis fore dispensandum, quod tanquam illicitum dicitur etiam in cap. *finali de bigamis*. Secundum momentum esse potest. Clericus per sacros ordines jure Divino Ecclesiæ desponsatur; repræsentat itaque jure Divino desponsationem Christi cum eadem Ecclesia : atqui bigamus repræsentare nequit hujusmodi desponsationem, quia jam divisit carnem in plures; ergo. Tandem, omnes irregularitates, quæ sunt juris humani per baptismi susceptionem tolluntur; non tollitur autem bigamia, ut constat can. *Acatius* dist. 26., & ca. fin. 28. quæst. 3. igitur &c.

167. Resp. non omnia, quæ ab Apostolis dicta sunt, ex Christi mandato, & institutione dicta esse; plura enim propria auctoritate constituerunt; ut patet ex iis, quæ Act. 15. leguntur; quæ autem ita constituta sunt, tantum ad jus humanum pertinent, in quo Summus Pontifex plenam potestatem habet. Quapropter ca. *finali* dist. 82. ex Concil. Hibern. dicitur: *Presbyter fornicarius secundum canones Apostolorum debet deponi*; *tamen juxta auctoritatem B. Papæ Sylvestri*, *si in vitio non perduraverit*, *poterit cum eo dispensari*. Neque ullo fundamento dici potest, id ab Apostolo dictum esse ex Christi institutione; ut patet ex toto illo capite, in quo præcipit, seu admonet, Episcopum esse debere *sobrium*, *prudentem*, *ornatum*, *pudicum*, *hospitalem*, *doctorem*: quæ omnia ex propria sententia protulisse, compertum est: Quod si laudati Summi Pontifices asserunt, non esse cum bigamis contra Apostoli præceptum

tum dispensandum, hoc intelligendum est, si nulla sit justa causa dispensationis; nos etenim aliquando dispensatum esse, supra declaravimus.

Ad 2. Fateor, Matrimonium inter fideles evectum fuisse à Christo Domino ad significandam mysticam cum Ecclesia conjunctionem, juxta illud ad Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*; ad quam conjunctionem perfectè exprimendam bigamus propter suæ carnis divisionem in plures, aptus non est; nego tamen, hunc significationis defectum jure Divino susceptionem ordinis impedire.

Ad 3. fuit olim controversia inter Hieronymum, & Augustinum; utrum bigamia ante baptismum contracta per baptismum auferretur. Affirmabat ille epist.83. ad Ocean., & refertur can. 1. & 28. qu. 3. Negabat iste de bono Conjug. & refertur can. Acatius dis. 26. ut supra; Negavit etiam Ambros. lib.1. de officiis cap. ultimo, & refertur can. *Una tantum* dis.26., quibus & ego adhæreo; sed dico, per baptismum tolli omnem irregularitatem, quæ fit ex delicto; non omnem, quę fit ex defectu: constat enim corporis vitium per baptismum non tolli, & tamen humano tantum jure hoc impedimentum inductum est ad ordines suscipiendos; sed de hac re satis, nec præsens nostrum institutum amplio, ra sibi postulat.

168. Irregularitas ex defectu lenitatis pluribus modis contingit; Hanc contrahunt omnes, qui voluntariè & proximè ex officio concurrunt, sive justè, sive injustè ad mortem vel mutilationem alicujus; ita se habent judices, carnifices, milites &c. Cap. *Si quis viduam* dis. 50. Rursus omnes accusatores, qui petunt vindictam; Advocati & Procuratores, qui accusatoribus manum porrigunt, & subsidium; Scribæ, seu Notarii &c. atque ut videas, hæc omnia non solum ad Laicos pertinere, sed etiam ad Clericos, non te lateat Concil. Lateran. 4. tit. *Ne Clerici, vel Monachi*, cap. *Sententiam* ita statuens. *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, vel proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat....' Nec quisquam Clericus litteras dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas*. Et cap. *Sæpe* causa 21. qu. 8. statuitur, quod si quis Sacerdotum sit reus effusi sanguinis, proprium gradum amittat.

169. Dixi, *omnes accusatores, qui petunt vindictam*; nam si tantum peterent satisfactionem, & emendationem hominis, ne peccaret in posterum; nequaquam fierent irregulares. Cap. *Prælatis*, tit. *De Homicidio*, in sexto. Protestari tamen expressè deberent, quod ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt, ut ex eodem cap.

170. Observandum est etiam, plures conditiones requiri, ut irregularitas ista contrahatur. 1. Hominem voluntariè concurrere ad mortem, & mutilationem physicè, aut moraliter, ut se habent mandantes, consulentes, consentientes, vel non obstantes cum ex officio & justitia obstare teneantur: etenim si quis coactè pro vitæ suæ defensione aggressorem occideret cum moderamine inculpatæ tutelæ, irregularis non fieret; sicut nec ille, qui tantum ex charitate ad obstandum teneretur, quamvis peccaret. 2. Occisionem, vel mutilationem actu contingere, nec sufficere solam occidendi, vel mutilandi voluntatem. Cap. *Si furiosus* Clementina, *De homicidio*. 3. Concursum debere esse proximum, aliter quilibet armorum artifex esset irregularis. 4. Requiri mutilationem alicujus membri, quod distinctam ab aliis partibus functionem habeat, idcirco si quis dentem excuteret, vel digitum abscinderet, irregularis non fieret; si tamen sibi ipsi volens digitum abscinderet, irregularis evaderet ex delicto, non defectu lenitatis, cap. *Qui partem* dis.55.

171. Medici, vel Chirurgi irregulares fiunt, si ex gravi eorum culpa homo

modo deformetur, vel intereat, & sunt hujusmodi ex delicto; non fiunt tamen si ad totius conservationem aliqua pars eorum consilio, vel executione resecetur; nec enim in hoc casu lenitatem deficere dici potest.

Pariter irregularem non censeo Clericum, qui juxta medicinæ canones juberet, vel consuleret medicinæ sumptionem, quamvis ex ista infirmus moreretur; secus autem dicendum esset, si adustionem vel mutilationem imperaret; Unde in Concil. Later. IV. cap. *Sententiam* ab omni Chirurgiæ arte exercenda Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes prohibentur. Sed etiam de hac re pro præsenti nostro instituto satis.

172. Superest modo, ut de postrema irregularitatis specie, nempe de illa, quæ ex defectu libertatis contrahitur, paucissima proferamus. Hæc enim complectitur conjugatos, qui promoveri non possunt ad ordines, nisi accedente uxoris consensu, quæ vel statim debet religionem solemniter profiteri, vel, de consensu Episcopi, castitatis perpetuo servandæ votum emittere. Complectitur etiam servos, illos tamen qui apud Catholicos esse non possunt, de quibus possent diversa dubia excitari; Sed nunquam ad praxim deveniunt.

§. VIII.

De Irregularitate ex delicto.

173. Post ea, quæ de irregularitate ex defectu dubia aliqua exposita sunt, alia de irregularitate ex delicto subjiciemus. Quatuor hujus species vulgo distinguuntur; Prima propter hæresim, secunda propter iterationem baptismi, tertia propter indebitam ordinum susceptionem, vel eorumdem usum, quarta propter homicidium; De istis in præsentiarum habendus est sermo.

174. Incipientes ab hæresi dicimus, certum esse, quoscumque hæreticos ab ordinationibus esse rejiciendos, ut evincitur ex cap. *Si quis in omnem* 1. qu.7. & cap. *Didicimus* 24. qu.1., atque per hæresim, etiam præscindendo ab aliis censuris ipsi annexis, contrahi irregularitatem, constat ex cap. *Ad abolendum*, & cap. *Saluberrimum* 1. qu. 3. Utrum autem hoc extendi debeat etiam ad hæreticos occultos; affirmant Turrian. Marchin. Rosignol. quia tam in textibus adductis, quam in Bulla Cœnæ Domini nulla fit distinctio; negant verò inter alios Corneus, & Diana.

175. Hujusmodi irregularitas complectitur etiam schismaticos ex cap. 1. de schismaticis, tum etiam factores, consultores, & receptores hæreticorum in sensu Bullæ Cœnæ Domini, sicut pariter Apostatas dimittentes habitum religionis perseverante statu apostasiæ ex cap. *finali De apostasia*: quod etiam dicendum de suspectis de hæresi, donec purgentur, nec non de filiis & nepotibus hæreticorum ex linea paterna, de filiis verò tantùm ex linea materna, ut in cap. *Statutum* tit. *de hæreticis* in sexto: si tamen eorum parentes prius non abjuraverint, & non emendati decesserint; atque laudatum caput non solum intelligendum esse de officiis publicis, sed etiam de Ecclesiæ ordinibus, tradit Innoc. IV. excludens hæreticorum filios ab omnibus officiis, dignitatibus, & honoribus, Ecclesiasticos autem ordines ad honorem & dignitatem pertinere, nisi ordines neget, nullus ibit inficias: Hoc autem ideo est, quia hæreticorum filii propter parentum scelus censentur infames, de qua re dictum à nobis fuit in primo Tomo, qu. ultima.

176. Atque hoc totum, quod etiam definitum fuit in Conc. Eliberit. can. 51. nec non ab Innocentio I. epist. 22. cap. 4. valet loquendo de jure communi; cum aliquando à suorum canonum severitate œconomiæ causa Ecclesia recesserit,

ut quando Novatianos ac Donatistas ad suum sinum redeuntes in suis gradibus, ac honoribus suscepit; & hisce etiam temporibus in Gallia hæretici ad fidem conversi, tanquam irregulares non habeantur; & absque aliqua dispensatione promoveantur, ad ordines & beneficia.

177. Progredior ad eam, quæ ex intentione baptismi oritur, irregularitatem: Hæc porro illata est in odium eorum hæresis, qui baptismum repetebant, ut fuerunt Donatistæ, quod colligitur ex cap. *Confirmando* dist. 50. deprompto ex Concil. Carthag. 5., in quo habentur hæc verba: *Neque unquam permittendum est, ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur*. Id expressum habetur in omnibus cæteris juribus, cap. *Litterarum* tit. *de Apostatis*, cap. *Afros* dist. 98. cap. *Qui bis* dis. 4. de consecr. nec non ex aliis.

178. Utrum autem quod dicitur de baptismi iteratione, dicendum sit etiam de iteratione confirmationis; affirmant Navarrus in Man. cap. 27. n. 247. Majol. de irregular. lib. 3. cap. 15. Rosignol. 1. p. de Ord. in comm. art. 18. qu. 3. num. 29., imo & S. Antonin. 3. p. tit. 18. cap. 6. & fundamentum totum situm est in paritate baptismi, atque continetur in cap. *dictum* de consecr. dis. 5. & cap. *Quod quidam* 1. qu. 1. in priori autem cap. *subduntur* hæc verba; *Bis, vel ter, vel amplius baptizatos, aut confirmatos non sæculo, sed soli Deo sub habitu regulari, seu Clericali religiosissimè famulari decretum est*. Fateor, ex hoc non leve argumentum desumi, quod sic promoveo. Tam confirmati pluries, quam pluries baptizati non sæculo servire relinquuntur, sed Deo sub habitu regulari tantum, ergo contrahitur irregularitas tam per repetitam confirmationem, quam per repetitum baptismum; quæ illatio concedenda esse videtur, cum certum sit irregularitatem ex se non tolli, nisi per ingressum in religionem in favorem religionis.

179. Nihilominus contrarium docent Sairus lib. 7. cap. 8. num. 28. Reginal. lib. 30. num. 178. Valent. tom. 3. disp. 5. qu. 1. punct. 4. Suarez disp. 42. num. 6., & ratio horum est, quia quæcumque irregularitas debet expressè ac distinctè in jure contineri; hanc autem contrahi ex iteratione confirmationis in jure expressum non continetur; neque laudatum caput movere debet, siquidem in eo nullus de irregularitate fit sermo, sed solum prohibetur iteratio tam confirmationis, quam baptismi; & si tam bis confirmati, quam bis baptizati sub habitu regulari soli Deo famulari decernuntur, hoc non est ad irregularitatem tollendam, sed ad patratæ culpæ severiorem pœnitentiam agendam: Quare autem lata sit lex irregularitatis contra iterationem baptismi, non confirmationis, ratio esse potest, quia plures fuerunt hæreses exortæ pro iterando baptismo, non autem pro iteranda confirmatione, ideo contra primum jura Ecclesiastica emanarunt, non contra secundum.

180. Ut vero hujusmodi irregularitas non contrahatur, ignorantiam, dummodo non sit crassa, & supina, baptismatis semel recepti satis esse dijudico; est enim irregularitas pœna satis gravis, æquum autem non est pœnam subire nulla culpa interveniente, sicut contingit, cum ignorantia inculpabilis excusat, & quamvis ordinatus ab Episcopo hæretico censeatur irregularis quantum ad ordinum executionem, licet ignoranter inculpabiliter fuerit ordinatus, non tamen inde inferri potest, esse etiam irregularem, qui inculpabiliter ignorans fuerit rebaptizatus: siquidem in primo casu, qui ordines confert; eorumdem executionem non habet, proinde neque potest conferre; in secundo vero qui ad ordines promoveret rebaptizatum cum ignorantia inculpabili, & legitimam potestatem ordines conferendi, & ordinum executionem non impeditam habere supponitur.

Unum

181. Unum obstare videtur, videlicet textus in cap. *Qui bis* de consecrat. dist. 4. in quo hæc habentur: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum canones ordinari non possunt, nisi aliqua magna necessitas cogat*. Verum dicendum est, textum istum, quamvis insertum in corpore juris, vim juris non habere, ut patet in aliis similibus; siquidem etiam extracta à Concil. Trullensi sic inserta reperiuntur, & tamen reprobantur, ex alia parte exceptus fuit à pœnitentiali Theodori Episcopi Cantuariensis, qui cum non esset Summus Pontifex irregularitatem inducendi potestate carebat, ut advertunt Sylvester, Navar., Tolet., Reginaldus: Oppositum tamen docent Henriquez, Avila, Ugolinus, Majolus, & dicunt, id à Theodoro dictum esse non proprio marte, sed juxta canones: Utrum hoc verum sit, ignoro; sed oporteret canones istos producere, qui minime producuntur.

182. Cum vero interdum contingat, aliquem sub conditione rebaptizari, inquiri potest, utrum iste irregularitatem incurrere censendus sit. Ut hoc resolvam, distinguendum est, vel enim ignoratur, utrum sit baptizatus, & ad depellendam ignorantiam adhibita est sufficiens diligentia, vel non: si primum; certum est irregularitatem non contrahi, imo tenetur ad baptismum sub conditione suscipiendum; quia unusquisque per media necessaria saluti propriæ debet consulere. Si secundum; oppositum arbitror, quia baptismum iterandi contra Sacrorum Canonum dispositionem periculo temere se exponit; atque hoc colligitur etiam ex Catechismo Romano ad Parochos de baptismi Sacramento. Neque audiendus est Navarrus in Man. cap. 27. num. 246. asserens, reum quidem fieri gravis sceleris; eximi tamen ab irregularitate; quia tunc baptismus de facto non iteraretur; vel enim, inquit laudatus Doctor, esset baptizatus, & tunc non conferretur de novo baptismus, sed tantum ablutio; vel non esset baptizatus, & tunc absolute & primò baptismus conferetur; si enim valeret hæc ratio, posset quis sine irregularitatis nota rebaptizari; etiamsi baptizatum esse certo constaret, quia tunc tantùm fieret ablutio, quod tamen omnibus juribus allatis num. 177. contrarium est: itaque non à nobis asseritur, irregularitatem contrahi, quia baptismus iteraretur, sed quia quis iterandi periculo temere se exposuerit, cujus gravi culpæ irregularitas correspondere, tanquam pœna, ut loquitur mox laudatus Catechismus.

183. Quod dictum est de irregularitate, quæ à bis baptizato contrahitur; potiori ratione dicendum est de bis baptizante, cum jura expressius ac directe de isto loquantur; Utrum verò contrahatur etiam à parentibus, & patrinis rebaptizati, ab aliquibus cum Bonacina negatur, qui asserunt, pœnam istam extendendam non esse, nisi ad eos, qui baptismi iterationi ex officio inserviunt, ut habetur in cap. *litterarum*; *de Apostatis* in quo mentio fit tantùm Acolyti, qui scienter Sacerdoti rebaptizanti ministravit; melius tamen affirmatur ab aliis cum Ugolino de irregular. cap. 35. §. 3., & Coninch. cap. 18. dub. 5., & ratio deducitur ex eodem capite. Plus enim ad actionem baptismi conferunt Parentes cooperantes, & Patrini baptizatum levantes de Sacro Fonte, quam præstiterit Acolytus ille, cujus munus omnino extrinsecum erat, & à quovis alio præstari poterat: ergo si ab illo contracta fuit irregularitas, etiam ab istis contraheretur, & observa, nullam spiritualem cognationem consurgere inter Baptizatum, & Acolytum ministrantem, consurgere tamen inter baptizatum & patrinos; proinde &c.

184. Tertia irregularitas ex delicto consurgit propter indebitam ordinum susceptionem, & executionem. 1. Si quis excommunicatione majori, vel alia

alia censura innodatus eos recipit, vel exercet, cap. *Illud*, cap. *Fraternitati*. *De Clerico excommunicato, vel interdicto ministrante*. 2. Si quis aliunde non approbatus, aut admissus fraudolenter, ac furtim examen declinat, cap. *Veniens* tit. *de eo qui furtivè*. 3. Si quis obeat ordinis, quem non receperit, ministerium, cap. *Si quis*. *De Clerico non ordinato ministrante*. 4. Si quis ordinatus per saltum superiorem ordinem exerceat, quin prius inferiorem susceperit; cap. *Sollicitudo*; cap. *Tuæ litteræ*.

185. Ex hisce inter plura dubia, quæ excitari possunt, primum est; an qui excommunicatione tantum minore ligatus esset, ordines suscipiendo fieret irregularis.

Resp. propriè loquendo irregularem non fieri: sicut enim celebrans cum hujusmodi excommunicatione irregularis non sit per textum in cap. *Si celebret* tit. *de Clerico excommunicato*; ita neque si ordines suscipit. Neque officit per eundem textum ita excommunicatum privari directè passiva Sacramentorum participatione, cum addatur; *Cum non videatur à collatione; sed participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remotus*. Etenim textus iste irregularitatem non probat, sed tantummodo canonicum aliquod impedimentum; & revera si quis excommunicatióne majore affectus ordines susciperet, propter irregularitatem contractam deponendus esset, ut ex cap. *Latores*. *De Clerico excommunicato* non ita affectus excommunicatione minore, sed ab eadem absolutus ad alios ordines promoveri posset, ut ex Gloss. in laudatum cap. *Si celebret*.

186. Secunda dubitatio est, an obstrictus excommunicatione majore contrahat tantum irregularitatem recipiens ordines majores, an etiam recipiens minores. Hoc secundum negat Navar. conf. 28. de sent. excom. quem sequuntur aliqui, & ratio est, quia in toto jure canonico nullum in hac re decretum reperitur. Contrarium docent Sylvester, Majol., Bonacina, eo ducti principio, quod etiam minores recipiens, in sacris communicaret, proinde fieret irregularis. Ut vides, admisso hoc momento, pendet resolutio ex quo statuatur, utrum minores ordines sint Sacramenta, nec ne; de quo puncto alibi.

187. Quid vero sentiendum de illo, qui suspensus, & interdictus ad ordines promoveretur?

Resp. 1. Si quis suspensus, vel interdictus esset propter aliquod præcedens delictum, & perseverante suspensione, vel interdicto, ad ordines promoveretur; irregularitati foret obnoxius; Ita juxta cap. *Si quis Episcopus* tradunt Sylvest. verbo *Irregularitas* quæst. 2., Avila, Alter., Henriq., Rosignol. Si tamen prohiberetur sub pœna suspensionis ordines recipere, illos recipiendo irregularis non fieret; nam irregularitas contrahitur propter delictum, quod præsupponitur; in hoc autem casu suspensio non præsupponeretur: irregularis vero fieret, si in suscepto ordine ministraret; cap. *Si quis Episcopus*; cap. *Is cui de sententia excommunic.*

188. Sed rem hanc, pluribus omissis, quæ apud Theologiæ Moralis Doctores facillimè invenies, absoluturi ad postremam irregularitatem ex delicto exponendam, paucis, ut solemus, progrediamur; Hæc ea est, quæ oritur ex homicidio. Hoc duplex est; Unum voluntarium, aliud casuale. Primum directè intenditur, vel in se, vel in causa cum effectu conjuncta. Secundum præter agentis intentionem contingit; Rursus casuale esse potest purum, vel mixtum. Illud nec in se, nec in causa fuit intentum & prævisum; Hoc vero è contra; nam etsi non fuerit intentum & prævisum, saltem non est adhibita debita diligentia, qua prævideri potuisset, ac debuisset; vel opus periculosum

losum temerè assumptum fuit; liberè enim ac voluntariè illa diligentia omissa fuit, aut illud opus assumptum.

189. Hoc posito, ex homicidio voluntario, vel casuali mixto procul dubio *oritur* irregularitas, non sic tamen ex puro casuali, ut habetur in cap. *Cum delictis*; & cap. *Ex litteris* tit. *de homicidio*. Audiatur Concilium Trident., quod sess. 14. de reform. cap. 7. de homicidio ita statuit: *Qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias; ab Altari avelli debeat: qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum fuerit; nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine, ac beneficio Ecclesiastico perpetuò careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo; ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & Altaris ministerium, & beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit.*

190. Hæc quæ dicta sunt, non solum valent de occidente, sed etiam de consulente, mandante &c. intelligi debent. Si quis dubitaret, an homicidium commiserit, judicandus est irregularis. Cap. *Ad audientiam* tit. *de homicidio voluntario*: & Clemens III. in causa Presbyteri dubitantis, utrum famulus decessisset ex vulnere, quod ipsi inflixerat, ejus Episcopo sic respondet: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret*. Idem dicito de consulente, mandante &c. & medico, qui dubitaret, culpa sua ægrotum mortuum esse; ratio est, quia possessio non stat pro dubitante, sed contra dubitantem.

191. Esset hic agendum de effectibus ordinationis, qui reducuntur ad characterem, & ad gratiam; Verum de charactere jam alibi tractatum est; atque hic eadem foret repetenda doctrina; de gratia vero gratum faciente constat per ordinationem produci, sicut constat, ordinationem Sacramentum esse: Quod si de gratia gratis data sermonem instituamus, eam primis Ecclesiæ temporibus concessam esse, habetur ex Matt. 10. ubi dictum fuit: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos curate &c.* & 1. ad Corint. 12. *Alii datur sermo sapientiæ, alii &c.* Sed cum jam fides longe lateque diffusa fuerit, hæc visibilia dona cessarunt; & merito; ait enim Augustinus lib. de vera Religione cap. 25. *Cum Ecclesia Catholica per totum Orbem diffusa, ac fundata sit, nec miracula in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit*. Ad hanc rem facit quod ait etiam Gregor. homil. 29. in Evangelia. Si tamen opus esset, adhuc istæ gratiæ darentur; imo & aliquas perseverare negari non potest; potestas enim res sacras administrandi, cum sit in aliorum utilitatem, ad speciem gratiæ gratis datæ revocari potest, & quamvis sit miraculi invisibilis operativa attamen miraculum operatur, quotiescumque peccata remittuntur, unde dixit Christus Mat. 9. *Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, quam dicere, surge, & ambula?* Et quotiescumque fit conversio substantiæ panis & vini in substantiam corporis; & sanguinis Christi.

PARS SECUNDA
DE ORDINIBUS
IN PARTICULARI.

§. UNICUS.

Præmittuntur nonnulla.

ALIOS esse præter Sacerdotium in Sancta Ecclesia ordines, tanquam Dogma Fidei tenendum est. Hoc expressis verbis statuit Concil. Trident. sess.23. can.2. dicens: *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines &c. anathema sit*: distinguuntur ordines isti in minores, & majores, inter istos recensentur Subdiaconatus, Diaconatus, ac Sacerdotium; inter illos vero Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, atque Acolytatus, ut cap.2. ejusdem sessionis habetur. Non est autem pari modo hæc Concilii accipienda doctrina; siquidem plures esse ordines minores, & majores, tanquam de fide statutum est; quod vero sint illi septem recensiti; de fide non est; cum neque omnes à Græcis admittantur, & àpud plures Theologos etiam Episcopatus inter ordines collocetur; ut videbimus.

Neque verò Concilium eam ex arbitrio suo divisionem apposuit, etenim de illo ordinum numero plura extant monumenta, ut de singulis agentes ostendemus, & nunc sufficiat quod scribit Cornelius Papa sæculo tertio in epist. ad Fabium Antiochenum, ubi testatur, fuisse Romæ suo tempore Presbyteros quadraginta quatuor, septem Diaconos, totidem Subdiaconos: Acolytos quadraginta duos, Exorcistas, & Lectores cum Ostiariis quadraginta duos; ex quibus apparet septem præfatos ordines fuisse enumeratos. Idem à Concilio Carthaginensi 4. actum est ann. 398. à canone secundo usque ad nonum: Horum ordinum diversitatem

pere-

peregriè, ut solet, explicat S. Th. in 4. dist.24. qu.2. art.1. ad 2.

Omnes inquam hujusmodi ordines à Græcis non admittuntur, aut si aliquorum testimoniis niti velimus, multo plures admittendi erunt. Primum ex eo desumitur, quod nullius minoris ordinis, præter lectoratum, reperitur mentio apud Scriptores Græcos, & Euchologia tam antiqua, quam recentiora; Octava quoque Synodus Æcumenica Photium condemnans, quia omnes Ecclesiasticos gradus intra sex dies contra canones recepisset, præter Subdiaconum, Diaconum, & Sacerdotem, Lectorem tantùm commemorat act. 9. can. 5. imo Græci hujusce ordinum numeri usum ita retinuerunt, ut quamvis Innoc. IV. in epistola, quam scripsit ann.1254. ad Otthonem Tusculanum Cardinalem, qui tunc Apostolicæ Sedis in Cypro legatum agebat, jusserit, ut in posterum juxta Ecclesiæ Romanæ consuetudinem septem ordines conferrent, cum prius tres ex minoribus prætermisissent; nihilominus à propria consuetudine non recesserunt, nec pro hac re aliquid contra ipsos statutum est.

Secundum vero, quod diximus, evincitur, si considerentur ea, quæ scripsit Ignatius Martyr ad Antiochenos, nec non S. Epiphan. in exposit. fidei cap.21., imo & Synodus Laodicena can.24. Primus hæc habet. *Saluto sanctum Presbyterium, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Janitrices, Virgines, Viduas &c.* Secundus post recensitos ordines Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, ait: *Post illos omnes deinceps exorcistæ sequuntur, & linguarum interpretes tam in lectionibus, quam in concionibus; sequuntur laborantes, qui mortuorum corpora curant, tum janitores, ac reliqui disciplinæ causa instituti ordines.* Tandem laudata Synodus inquit: *Non oportet sacratos à Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps quemlibet Ecclesiastici ordinis, usque ad Ministros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel Exercitatorum ordinis in Cauponam ingredi.*

Verum, ut animadvertis, in omnibus hisce testimoniis aliquis ex iis ordinibus, quos recipit Ecclesia Romana, prætermittitur, aliquis vero insuper additur; dicendum propterea est, plura alia, quæ ordines nequaquam computabantur, ordinibus permixta, ac confusa fuisse, ibique enumerata esse plura officia, quæ non exercebantur secundum ordinationem, sed secundum commissionem, ibique nomen ordinis in amplo sensu usurpari, prout complectitur omne ministerium, quod exercebatur.

Si vero opponeres tritum illud argumentum, quod si præter Sacerdotium essent alii ordines, Sacramenta essent plusquam septem, quia etiam Diaconatus, & in plurium sententia alii ordines essent verum Sacramentum; pariter trita responsio est, vel omnes sub eodem genere contineri, vel omnes unum ordinem integrare tanquam partes totius, vel divisionem illam esse totius non universalis aut integralis in partes, sed totius potestativi, ad quod pertinet, ut secundum completam rationem sit in uno, in aliis vero secundum aliquam participationem, quę est responsio S. Th. in 4. dist. 24. qu. 2. art. 1., & in Suppl. qu.37. art. 1. ad 2. ubi ad 3. addit hæc verba: *Dicendum, quod in regno, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes Regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates &c. & similiter in ordine.*

Hisce breviter expositis, quæstiones nostras instituamus.

QUÆSTIO I.

De quatuor Ordinibus minoribus.

ARTICULUS I.

De Ostiariatu, & Lectoratu,

1. HIC nonnulla à nobis dicenda sunt, de quibus, utpote levioribus, dicere non mediocriter displicet, & primo de materia, ac forma hujusce ordinis; Pro illa dico, esse traditionem clavium Templi, pro ista, esse verba prolata ab Episcopo, quæ sunt ista : *Sic age quasi Deo reddi-turus rationem pro his rebus, quæ his clavibus includuntur.* Ex hisce habes, quod etsi Ostiario ordinando tradatur etiam tintinnabulum, attamen hoc strictè dici non possit materia, cum nullum verbum formæ ipsi correspondeat.

2. Primum itaque munus Ostiarii est, esse Ecclesiæ janitorem, illiusque fores custodire. Merito id quidem actum est; si enim, ut adnotarunt Isidorus lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 14., & *refertur* can. *Perlectis* 25. dist. nec non Hugo de S. Vict. lib. 2. de Sacram. p. 3. c. 6., statuti erant, qui templi Salomonis januas custodirent; id potiori jure de templis Servatoris nostri Jesu Christi affirmare debemus.

3. Neque verò munus hoc in eo tantùm situm est, quod vasa argentea, aurea, aliaque sacra custodiantur, quodve procul dubio fieri debet, ut præter laudatos Doctores advertunt Author epistolæ ad Rusticum Narbonensem apud Hieronym., & Alcuinus de Divinis Officiis cap. 35., sed in eo potissimum, quod fidelibus dumtaxat aditus relinquatur, arceantur vero à templo infideles, & ipsi etiam fideles, si excommunicati sint, vel interdicti, & si fortasse ausu quodam introjerunt, ejiciantur, præsertim dum sacra celebrantur.

4. Hoc totum ipse Calvinus non negat, & lib. 4. Instit. cap. 4. §. 9. hoc apud veteres in usu fuisse fatetur: inquit tamen cap. 19. §. 27. Ostiariatum nullum ordinem esse, neque Ecclesiæ janitores ab iis differre, qui profanas Domos custodiunt; quod quam temerè & impiè dictum sit non solum constat ex Tridentino, sed etiam ex Concil. Carthaginensi 4., aliisque à nobis in antecedente paragrapho adductis.

5. Secundus ordo est Lectoratus; Hujus ordinis materia (semper intellige proxima) est traditio libri continentis prophetias novi, & veteris testamenti; Forma vero sunt illa verba, quæ ab Episcopo librum tradente proferuntur: *Accipe, & esto Verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio ministraverunt.*

6. Quo igitur pacto, inquies, differet materia Lectoratus ab illa Subdiaconatus? nonne etiam in conferendo Subdiaconatu traditur liber prophetiarum & epistolarum? Sed sciendum est, eamdem materiam, cum refertur ad diversum effectum, etiam diversam fieri; ita autem se res habet in nostro casu; siquidem Subdiacono traditur liber ad legendas epistolas utriusque testamenti in Missa solemni, tanquam partes ejusdem integrantes, Lectori vero tantùm ad legendas prophetias extra Missam in psalmodiis, & adinstar simplicis lectionis: unde & in forma dicitur, *esto verbi Dei relator.*

7. Hic autem oritur quædam difficultas; utrum si pro libro novi ac vete-

teris teſtamenti, traderetur alius liber, valida eſſet ordinatio. Reſponſio communis eſt, quod ſi tam porrigens, quam recipiens librum, noverint, non eſſe librum prophetiarum, ordinatio invalida ſit, cum deficiat materia propria, atque ad eam inſtituta, nec ſit in facultate conferentis illam in ſubſtantialiter diverſam commutare; Si vero uterque ignoraverit, validam ordinationem fore aliqui arbitrantur, cum adhuc remaneat materia putata, quæ licet ſecundum ſe apta non ſit ad ſignificandum effectum, attamen ex intentione dantis & recipientis ad eumdem ſignificandum determinatur. Oppoſitum tamen certius exiſtimo: materia enim quæ de ſe apta non eſt, fieri nequit hujuſmodi per intentionem & errorem alterius; aliter dici poſſet, quod quis conſecrans panem, qui non ſit triticeus, niſi in apprehenſione, & ſui intentione, valide conſecraret; & ſi hoc admittis in materia putata, admittas etiam neceſſe eſt in forma putata; quod non concedes. Quod ſi error communis, ut ajunt, facit jus, hoc ad ſummum verum eſt in iis, quæ ad jurisdictionem pertinent, non in iis, quæ ad rei ſubſtantias pertinent, ut ſunt materia & forma ordinationis.

8. Ex prælaudata forma hujuſce ordinis, facile colligi poteſt munus præcipuum illius, qui in eo conſtituitur, eſſe videlicet legere clara diſtinctaque voce librum Sacræ Scripturæ novi, veteriſque teſtamenti; reliqua vero eſſe quædam acceſſoria, quod dico ad excludendos Pſalmiſtas, Cantores, & Succentores tanquam inſignitos aliquo ordine à Lectoratu diſtincto; Dixi etiam *librum Sacræ Scripturæ* etenim Petrus de Soto lib. de Inſtitut. Sacerd. lect. 2. aſſeruit, ad Lectorem pertinere tantùm lectiones legere prophetarum, quod, ut opinor deſumpſit ab Iſidoro lib. 2. cap. 11., Hugone de S. Vict. lib. 2. de Sacram. par. 3. cap. 7., aliiſque, dicentibus, Lectorum ordinem initium & formam à Prophetis accepiſſe: Quod tamen abſque ſufficienti fundamento dictum eſt; etenim Scriptores omnes ad ea omnia legenda, quæ in Scripturis Canonicis reperiuntur, lectoratus munus extendunt; ut videri poteſt apud Stephanum Eduenſem lib. de Sacram. altaris cap. 5., Hugonem de S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 3. cap. 6., & Sanctus Cyprianus lib. 4. epiſt. 5. Evangelii legendi facultatem tribuit Lectori.

9. Alii dixerunt Lectoris munus non ſolum eſſe, Canonicas Scripturas legere, ſed etiam prædicare, quia in Pontificali Romano habetur, *Lectorem oportere legere ea, quæ prædicat, & lectiones cantare*. Cum tamen notum ſit, ordinem hunc conferri iis, qui nullo pacto ad concionandum ſunt apti, & prædicandi munus ad Diaconum pertinere fateamur, exiſtimo, prædicationis nomine aliud intelligendum non eſſe, quàm altam & claram Scripturæ Sacræ recitationem; niſi fortaſſe hujuſmodi prædicatio ad rudimenta fidei, quæ alios edoceat, revocetur; Hoc enim ad Lectorem ſpectare aſſerit Catechiſmus Romanus de Sacram. Ordinis num. 16. Olim tribuabatur etiam munus benedicendi panem, novoſque terræ fructus; ſed nunc in oppoſitum eſt conſuetudo, & merito, cum benedictiones impertiri proprium ſit Sacerdotis.

10. Conſentit Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 4. §. 9. Lectorum officium olim in Eccleſia fuiſſe; negat tamen fuiſſe certum ordinem, ad quem aliquis ſolemniter eligeretur: Hoc perperam dixit, nec dicere auſus eſſet, ſi legiſſet Sanctos Patres, præſertim S. Cyprian. lib. 2. epiſt. 33. & 34., nec non Concil. Carthag. 4. cap. 8., ubi ritus ordinandi lectorem, munuſque præſcribitur.

ARTICULUS II.

De Exorcistatu, & Acolytatu.

11. SEquitur tertius ordo, qui exorcistatus appellatur. Hujus materia est traditio libri exorcismorum ab ordinante facta, forma vero sunt illa verba ab eodem dicta. *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive cathecumenos.* Ex hisce verbis difficultas oritur, an etiam conferatur potestas manus imponendi super exergumenos infideles; atque ex eo crescit, quod Ecclesia nullam potestatem habet in iis, qui foris sunt, nec Sacramentorum effectus congruè applicantur iis,qui sunt extraEcclesiam, quique talem manuum impositionem derisionibus, & contumeliis despiciunt.

12. Nihilominus sentio, potestatem illam etiam per respectum ad infideles extendi; quamvis enim in verbis formæ mentio tantum eorum fiat, qui sunt baptizati, vel cathecumeni; attamen particula illa non est, ut inquiunt, taxativa, sed indicativa eorum, qui supponuntur sponte se Ecclesiæ potestati subjicere, & revera Apostoli, ac septuaginta duo discipuli ab Judæorum corporibus Dæmonia ejiciebant; quod factum esse apud alios infideles ab aliis Sanctis narrant Historiæ; Ratio autem est, quia potestas ista confertur supra Dæmones, ubicumque fuerint,& Christus indefinite dixit: *in nomine meo Dæmonia ejicient*. Atque per hoc patet, quomodo potestatem habeat Ecclesia etiam in iis, qui foris sunt; quia potestas hæc exercetur directè super Dæmones; qui sicuti ejici possunt à domibus, & animalibus; ita etiam ab infidelibus, qui cum sponte se subjiciant, derisionis periculum non est pertimescendum. Quamvis verò istis applicari non possint effectus Sacramentorum, qui ad gratiam sanctificantem pertinent, possunt tamen illi, qui ad expulsionem alicujus referuntur; atque observa, quod in hoc casu non applicaretur effectus aliquis Sacramenti, sed effectus potestatis, quæ oritur à Sacramento: Hoc à fortiori valet, si dicas, exorcistatum Sacramentum non esse; ut infra declarabo.

13. Quare autem huic ordini annexa sit potestas Demones expellendi,quę videretur exigere excellentiorem dignitatem;non est cur rationem aliquam afferamus, satis est dicere, sic illi placuisse, qui potestatem voluit tribuere; Aliquas tamen afferunt Doctores. 1. Ad majorem Dæmonum contemptum, qui à debiliori instrumento prosternuntur. 2. Ad Divinæ virtutis commendationem, quæ infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat &c.

14. Munus igitur præcipuum exorcistæ consistit in Dæmonum expulsione: alios tamen apud Patres invenies, ut eos monere qui sacram synaxim sumpturi non sunt, ut iis locum cedant, qui sunt communicaturi, aquam in baptismi ministerio fundere, & spiritualiter Demones ejicere ab iis, qui proximè baptizandi sunt, quæ tamen omnia nostris temporibus in usum non veniunt.

15. Imo etiam præcipui muneris, de quo diximus, exercitium statim suspenditur ab Ecclesia, quæ jurisdictionem aufert ab eo, qui remanet ordinatus; in quo nihil novi contingit: sicut enim impedire potest, ne Sacerdos absolvat, ipsi non conferendo potestatem jurisdictionis, ita impedire potest, ne exorcista Dæmones pellat, in quo directè non aufert exercitium potestatis ordinis, sed tantùm indirectè.

16. Porro non levibus momentis inducta Ecclesia fuit ad hujusmodi exercitium impediendum, ad illud enim exigitur vitæ probitas, non mediocris peritia, animique constantia sine aliqua fidei hæsitatione, aut Dæmonis timore, quæ omnia in pueris adinveniri difficillimè possunt; Verum tamen est, quod interdum Antistites Sancti id etiam ipsis concesserunt, ut

de

de S. Carolo Borromæo, & Sancto Felice legendum accepimus.

17. Superest denique, ut aliqua etiam breviter de Acolytatu exponamus; nomen hoc desumptum est à verbo Græco *Acoluthco*, quod significat sequi, obsequi, famulari, & esse proximum. Istius ordinis materia consistit in candelabro cum cereo extincto, & urceolo vacuo, & ideo propter primam Concilium Carthaginense 4. cap. 6. vocat Acolytos etiam *Ceroferarios*. Utrique huic partiali materiæ correspondet sua partialis forma. Primæ correspondent hæc verba: *Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari in nomine Domini*. Secundæ hæc alia: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini*.

18. Si autem quæras, quare tradatur cereus extinctus, & urceolus vacuus, non ille accensus, non iste plenus, aliquæ rationes afferri possunt; Traditur cereus extinctus vel ad indicandum, deputari Acolytum ad accendenda lumina, ut innuitur in verbis formæ, quod autem accensum est accendi non potest; vel ad significandas errorum tenebras, quibus mundus obruebatur ante Evangelii promulgationem: prima ratio physica est; secunda moralis. Traditur urceolus vacuus, & quia Acolythus ad ipsum implendum assumitur, & quia urceolum plenum porrigere Sacerdoti ad Subdiaconum pertinet; & tandem quia hujusmodi ordo non tam proximè accedit ad Eucharistiæ confectionem.

19. Si tamen tradatur & ille accensus, & iste plenus; arbitror adhuc validam futuram esse ordinationem; siquidem in eo, quod majus est, includitur etiam id, quod est minus; & in eo quod est factum, indicatur id, quod fieri debet; ex alia parte habentur præcipua munera, ad quæ Acolytho potestas confertur, nempe deferre in Missa, & præsertim in Evangelii recitatione lumina accensa, & urceolos plenos ministrare Subdiacono pro conficienda consecratione; Quapropter si in Pontificali dicitur, quod tradatur candelabrum cum candela extincta, & urceolus vacuus; hoc pacto statuitur id, quod omnino ex necessitate requiritur, non tamen excluditur id, quod licet non sit necessarium, est tamen majus; & quamvis urceoli pleni traderentur, adhuc foret distinctio inter munus Acolyti, & Subdiaconi, quia Subdiacono traduntur pleni cum calice & patena vacuis, & eos immediatè ministrare debet Sacerdoti celebranti; Acolytho vero non sic, qui solum Subdiacono eos tradere debet, eique tanquam ex proprio officio ministrare.

20. Ex istis, quin plura dicamus, compertum est, quænam sint Acolythi munera; sed cum dictum sit, horum ordinum materiam esse traditionem unius vel alterius rei, quæri potest, quomodo res illa ab ordinando accipi debeat; videlicet, an sit necessarius contactus physicus, vel sufficiat moralis. Plures rationes pro solo contactu morali afferre possem juxta Marchinum tract. 1. de Sacram. Ordinis in communi par. 1. de natura, & quid. ord. cap. 16. num. 21. & sequentibus; Sed quia hæc sententia nostris hisce temporibus prorsus rejicitur, ideo dicendum est, necessarium esse contactum physicum.

21. Si tamen rationes, quibus ad id asserendum moventur, ad examen vocaremus, parum convincentes existimandæ forent. Istæ sunt. Prima; In verbis formæ dicitur, *Accipe* imperativo modo, significatur autem non tactus mere internus & animæ, sed externus & corporis; & cum sit actio Sacramentalis ad homines directa, debet ex omni parte esse sensibilis; præsertim cum Ecclesia, quæ sic imperat, de internis non judicet; atque acceptatio debet correspondere traditioni, quæ physica est, atque sensibilis.

Se-

Secunda est, quæ tamen ad primam revocatur; In Sacramento ordinis non solum fit complexum ex materia & forma tanquam ex actu, & potentia; sed etiam actionis complentis causam in ordine ad effectum per tale Sacramentum producendum in subjecto: ergo sicut actio expressa Ministri est traditio physica & corporea; ita debet esse ex parte recipientis; actio enim & passio debent sibi correspondere.

24. Tertia est tandem, & potissima, quæ colligitur ex propositione damnata ab Innoc. XI., quæ erat ista: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori*. Ergo cum tutius sit asserere, necessarium esse contactum physicum, dicendum &c.

24. Corruit tamen primum momentum, si consideremus, gratis omnino dici, verbum illud imperativum, *Accipe*, servari non posse nisi per apprehensionem physicam manus, neque verum esse ita requiri acceptationem ordinandi, sicut requiritur exhibitio ordinantis; quod clare evincitur tum ratione, tum Sancti Thomæ authoritate; ratione inquam, siquidem si contactus iste necessarius esset, utique fieri deberet pro eo tempore, quo Episcopus formæ verba pronuntiat; hoc autem non est dicendum, cum juxta receptam consuetudinem, quando plures initiandi sunt, dicat Episcopus, *Accipite &c.* quo tempore tantùm aliqui physice tangere possunt materiam exhibitam, & postea aliis tangenda exhibetur, in aliquibus locis non per ipsum Episcopum, sed per Archidiaconum; Sancti Thomæ vero authoritate, cum in 4. dist.24. q.1. art.1.quæstiunc.ultima ad 3. dicat: *Quia potestas ordinis non accipitur à materia, sed à Ministro principaliter; ideo porrectio materiæ magis est de essentia Sacramenti, quam tactus*. Ergo non ita loquendum de receptione, sicut de actione. Hac de re, cum dicitur, passionem esse debere correspondentem actioni, respondendum est; hoc verum esse de correspondentia vel physica, vel morali, non semper physica; & per hoc etiam rejicitur secundum.

25. Multo minus probat quod addebatur, nempe, cum sit actio Sacramentalis ad homines directa, debere ex omni parte esse sensibilem; si enim ad essentiam Sacramenti non pertinet, omnes ejus partes per se esse sensibiles, multo minus ad actionem Sacramentalem, de qua adhuc Ecclesia judicare potest, cum, etiam deficiente contactu physico, adhuc habeatur certitudo moralis, ordinatum acceptasse quod à Ministro traditum est: & sicut judicat de actione Sacramentali, quamvis intentio agentis sensibilis non sit; ita de ipsa judicare potest, quamvis receptio non sit physica, quod esse potest novum argumentum pro hac sententia.

26. Quantum ad aliud desumptum ex illa propositione ab Innoc. XI. damnata, non video, quomodo ad præsentem rem detorqueri possit; Primo quia, non est certum, minores ordines esse Sacramenta, de quo puncto infra dicemus; Secundo quia, si res ita esset, deberemus asserere, semper in Sacramentis necessarium esse, quod tutius est, & sic ad Sacramentum pœnitentiæ necessarius esset dolor contritionis perfectæ; & ad ea conficienda necessaria foret intentio actualis, quod non dicent.

27. Denique nullum extat Concilium, nulla Summorum Pontificum definitio, nullum Sanctorum Patrum testimonium, in quibus hujusce physici contactus mentio habeatur; si autem ad substantiam ordinis pertineret, credi non potest, ab omnibus futurum fuisse omissum.

Ita respondere possent; Sentio tamen, quod fortasse speculativè loquendo, id posset sustineri, in praxi tamen contactum physicum esse adhibendum.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Subdiaconatu.

ARTICULUS I.

An Subdiaconatus sit Ordo sacer, & Sacramentum.

28. Quod de Subdiaconatu inquiritur in secunda tituli parte, inquiri potuisset de minoribus ordinibus; Esse autem Ordinem Sacrum non idem significat, quod Sacramenti notionem habere; Sunt enim in plurium sententia minores ordines Sacramentum, nec tamen ordines sacri censentur; Est vero nunc omnium calculo Subdiaconatus ordo sacer existimatus, nec tamen per omnes est Sacramentum; & hoc erit punctum, quod præsertim hic in controversiam revocabimus, quamvis etiam de illo, ut sacer est, nonnulla expendemus.

29. Esse namque ordinem sacrum, atque inter eos, qui majores dicuntur, computandum, apertis verbis declarat Concilium Tridentinum sess.23. cap.2., & omnes Doctores consentiunt; quamvis an semper ita fuerit, non sit una & eadem ipsorum mens. Fateor ingenuè, in hac re admodum difficilem fieri calamum meum, quippe qui semper in ea sententia fui, qua quod vulgo apud Catholicos retinetur, id retinendum esse, libentissimè existimaverim; nihilo tamen minus, cum veritas in Scholasticorum opinionibus locum habere debeat, nec omnia affirmanda sint, quæ affirmata esse reperiuntur; ideo potius aliorum momenta producam, quàm mea; eorum scilicet, qui difficultates etiam in rebus receptis promovere solent, quamvis interdum meritò soleant.

30. Est igitur Subdiaconatus ordo sacer; sed utrum ita semper in Christi Ecclesia consideratus fuerit, non mediocrem ingerunt difficultatem ea, quæ sequuntur, ista sunt. Primum; In Scriptura Sacra nulla prorsus hujusce ordinis mentio, & ex alia parte nulla traditio, imo opposita; scribentem lego Sanctum Ignatium ad Smyrnæos, qui agens de obedientia, quam erga Ecclesiæ Ministros laici servare debent, inquit, *Laici Diaconis subditi sint*, *Diaconi Presbytero*, *Presbyteri Episcopo*, *Episcopus Christo*. De Subdiaconis nihil; Eusebii tempore Subdiaconatus ordo institutus erat, & tamen lib.7. Hist. c.30. affert epistolam Synodicam Concil. Antiocheni contra Paulum Samosatenum, quæ tantum dirigitur ad Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos; Quid in causa est? non aliud certè, nisi quod Subdiaconatus tanquam ordo sacer, & ad Ecclesiasticam Hierarchiam pertinens non habebatur.

31. Si res ita non esset, cur Hieronym. in epist. ad Evagrium scripsisset: *Ut sciamus, traditiones Apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia*? Cur August. in epist. ad Valerium: *Nihil in hac vita difficilius, periculosius, laboriosius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio*? Nunquid non fuisset etiam periculo obnoxium officium Subdiaconi? atque, ut res, de qua agimus, clarius juxta præclarissimi Doctoris mentem appareat, adverte, in epist. nunc 43. Subdiaconos inter inferioris ordinis Clericos numerare, ait enim: *Neque de Presbyteris; aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, sed de Collegis*, idest Episcopis *agebatur*.

Am-

32. Amplius etiam rem declaremus, atque hoc ex Sacrorum Canonum sanctionibus ostendamus. In cap. *Nullus in Episcopatum* dis.60.ex Urbano II. sic habetur: *Sacros autem ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia*. Atque laudati Pontificis decretum commemorat etiam Innoc. III. cap. *A multis. De ætate, qualitate, & ordine præficiendorum*. Gratian. dis.21.scribit: *Levitas ab Apostolis ordinatos legimus: Subdiaconos procedente tempore Ecclesia sibi constituit*; quæ omnia complectitur Magister Sententiarum in 4. dis.24. litt. I. in fine dicens, secundum Canones duos tantum sacros ordines appellari, Diaconatum scilicet, ac Presbyteratum, *quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus, Apostoli enim in singulis Civitatibus Episcopos & Presbyteros ordinaverunt, Levitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit Beatus Stephanus. Subdiaconos vero, & Acolytos procedente tempore Ecclesia sibi constituit*. Ex quibus apparet, non solum Subdiaconatum non fuisse ab initio ordinem sacrum, sed neque fuisse ordinem, quod Amalarius lib. 2. de Offic. Ecclesiast. cap. 6. adnotavit, dicens: *Cæteri ordines* his, nempe Diaconatui, & Sacerdotio, *adjecti sunt, crescente Ecclesia crevit officium Ecclesiasticum, ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset, adjiciuntur inferiores in adjutorio Præpositorum*, atque affert authoritatem Ambrosii in tract.epist. ad Timot. Idem sensit Hugo à S. Victore, imo & S.Th. in cap.3. epist.1. ad Timot. lect.2.

33. Hisce omnibus contendunt respondere nonnulli, inter quos Rosignol. par.2. de Ordin. in part. qu.6. art.2. & distinguens duplicem rationem, ob quam aliquis ordo dici possit sacer, nempe vel quia proxime accedit ad inserviendum Altari pro confectione Sacrosanctæ Eucharistiæ, vel quia denominatio sacri à continentiæ voto proficiscatur, inquit; quod si Subdiaconatus in primo sensu consideretur, semper & in sui origine sacer fuit, neque de illo sub hac consideratione loquuntur laudata decreta; si vero in secundo sensu, semper sacer non fuit, sicut tale votum semper annexum non habuit.

34. Hujusmodi responsio omnino futilis dijudicanda est; etenim in eo sensu negatur Subdiaconatui esse ordinem sacrum, in quo conceditur Diaconatui, & Sacerdotio, atqui Diaconatui & Sacerdotio non conceditur esse sacrum propter annexum votum castitatis, quia, ut videbimus, non semper ipsis annexum fuit; ergo Subdiaconatui negatur propter aliam rationem ab ista distinctam, atque ulterius animadvertere debuisset, non solum negari esse sacrum, sed etiam esse ordinem, ut prænotavimus num.32.

35. Ex his jam manifestum fit, neque Sacramentum esse, quod tamen magis ostendo; Quod à Christo Domino institutum non est, neque est hujusmodi, ut sit ipsi promissa gratia, quam ex opere operato producat inter Sacramenta numerari non debet; sed Subdiaconatus non est à Christo Domino institutus, neque est hujusmodi, ut sit ipsi promissa gratia, quam ex opere operato producat; ergo. Priorem minoris partem ea omnia probant, quæ superius retulimus, & in argumentorum solutione infra afferemus. Posterior probatur, quia in hoc ordine conferendo nulla manus adhibetur impositio apud Latinos, & si apud Græcos adhibetur, hanc tantummodo cæremonialem esse, testatur Goarius in suis notis; nulla Spiritus Sancti invocatio, nullumque verbum, per quod ipsum recipi indicetur, & quamvis S. Clemens lib. 8. Constit. cap. 21., afferat hanc in Subdiaconi ordinatione fieri orationem: *Tribue eis Domine Spiritum Sanctum, ut dignè vasa Domini attrectare valeant*. Attamen hanc in usu non esse,

esse, compertum est, & eadem etiam verba adhibebantur ipso teste pro Diaconissis, nec tamen inferri potest, ex vi illius collatam ipsis Spiritus Sancti gratiam fuisse; Quid vero si dicerem, subdiaconi munus tale esse, ut eo etiam laici licitè perfungi possint? & tamen ita est.

36. Hæc omnia protuli, ut eorum momenta non præterirem, qui Subdiaconatum negant esse Sacramentum; Ne tamen videar unam potius quam alteram præferre sententiam, illa etiam producam, quæ pro opposita opinione militare videntur, & quanti hæc valeant, unusquisque perpendet; Ipsi tamen hujusce propugnatores in sua dubitant assertione, & eam tantùm probabilem affirmant, ut fatentur Bellarm. de ordine cap. 7., Vasq. disp. 238. aliique; Plures vero adeo involutam quæstionem istam senserunt, ut nihil à se definiendum esse existimaverint, inter quos Estius in 4. dist.24. §.14.

37. Argumentum Bellarmini in eo consistit, quod Subdiaconatus, cum initerabilis sit, videtur characterem imprimere, habetque annexum solemne continentiæ votum; atque communis Theologorum sententia profert esse Sacramentum, hujusmodi igitur dici debet.

Respondere possunt, etiam primam tonsuram repeti nequaquam posse, nec tamen per eam characterem imprimi, itaque idem dici poterit de Subdiaconatu, qui si iterari non potest, hoc ideo contingit, quia Ecclesia sic statuit, & quia id, quod semel Deo consecratum est, semper remanet consecratum, ut constat etiam in Altarium, & Ecclesiarum consecratione. Quod de solemni continentiæ voto Subdiaconatui annexo dicitur, nihil probat; nunquid religiosæ professioni adjuncta non est lex continentiæ? nec tamen Sacramentum est. Quo pacto autem Subdiaconatui imposita sit continentia, infra dicetur, certe Ecclesiastica, non Divina dispositione: Sacramenti notio non in continentia collocanda est; sed in iis, quæ à nobis dicta sunt num.35. Quantum ad postremum; Doctorum numerus pari suffragatur; attendendus est rationum numerus, earumque pondus considerandum: Durandum & Cajetanum inter antiquos recensere possumus, inter recentiores vero Thomassinum p. 1. de disciplina lib.2. cap.37., Morinum, Menardum, Juenin &c. aliosque, quos in superioribus momentis produximus.

38. Argumentum aliorum desumitur ex doctrina Concilii Florentini, & Tridentini; In illo Eugenius, postquam dixit, ordinationem Sacramentum esse, & rem illam, quæ traditur ab Episcopo, esse hujus Sacramenti materiam; non solum adducit Sacerdotium & Diaconatum, sed etiam Subdiaconatum: quid hoc? nisi quia censuit, etiam Subdiaconatum Sacramentum esse; Tridentinum vero sess. 23. c. 2. asserit, *Subdiaconatum ad majores ordines à Patribus, & Conciliis referri*.

39. Reponere possent, tradi quidem à Concilio materiam cujuscumque ordinis, non tamen statuere quemcumque ordinem esse Sacramentum; imo etiam in tradenda materia non definit, an illa sit essentialis, vel integralis, de qua re à nobis dictum est in priori hujusce libri parte; Fatemur quidem cum eodem Concilio, ordinationem Sacramentum esse; sed ut hæc veritas servetur, satis est, si aliquis ordo Sacramentum sit, quod nos de Sacerdotio, & Diaconatu probabimus: Cæterum ibi traditur etiam materia minorum ordinum, nec tamen Concilium, in quo agebatur pro conciliandis Græcis cum Latinis, unquam Græcis opposuit, quod tres minores ordines prætermitterent; quod certe actum non esset, si existimasset, omnes ordines, quorum materiam assignabat, esse Sacramenta; cum omittere Sacramenta, quæ à Christo sunt instituta, non leve negotium sit judicandum.

Quid vero proferre Tridentinum? Quis negat, nunc Subdiaconatum inter majores ordines esse enumerandum? Sed nunquid semper hujusmodi fuit? Nunquid Concilium dicit, esse à Christo institutum? nunquid ab omnibus Patribus, & Conciliis sacris ordinibus esse adscriptum? Minimè quidem; sed etiamsi ordo sacer semper fuisset, non tamen ex hoc rectè inferretur, esse Sacramentum, cum aliis titulis sacri nomen potuisset accipere, nempe ex Ministerio, quod sacris Altaribus à Subdiacono impenditur, & vasis sacris, quæ contingere ipsi permittitur &c.

40. Aliud argumentum proponi potest eo quod Subdiaconatus institutus fuerit à Christo Domino in ultima Cœna, quando se præcinxit, & mittens aquam in peluim pedes Discipulorum lavit, & linteo tersit.

Hanc Christi institutionem negant: nec video quid commune sit in eo quod fecit Christus, cum eo quod faciunt Subdiaconi: maximæ humilitatis exemplum dedit tunc Christus; & si dici posset, tunc instituisse Subdiaconatum in Sacramentum, hoc potius dici posset de pedum ablutione, quod tamen à nemine concedi potest; Præterea, aliud est, Christum officio Subdiaconi perfunctum esse, & aliud est, Subdiaconatum tanquam Sacramentum instituisse; Primum transmittimus; secundum negamus: etenim ostiarii munere perfunctus est, quando flagello de funiculis facto vendentes & ementes ejecit de templo; Lectoris, quando in medio seniorum librum Isaiæ aperiens, legit, *Spiritus Domini super me &c.* Exorcistæ, quando saliva sua tetigit aures, & linguam surdi, & muti, dicens, *Epheta, quod est adaperire*, & demonem ejecit; Acolythi, quando dixit, *Ego sum lux mundi &c.* ex eo tamen quis dicet, tunc istos ordines instituisse? Quod vero communiter dicunt, in ultima Cœna hæc omnia instituta esse, gratis omnino dicitur, nec ullum in Scriptura Sacra, aut in Patribus extat vestigium, ex quo probetur. Ita Doctores isti. Ego tamen in praxi contrarium docerem, ne fideles perturbarem; Sapientiam enim loquimur inter perfectos.

ARTICULUS II.

De materia, & forma Subdiaconatus, necnon de Subdiaconi muneribus, & obligationibus.

41. Plura sub eodem inquirimus titulo, ne plura dicamus; Circa hujusce ordinis materiam multa varii Theologi congesserunt: observandum est enim, nonnulla juxta Pontificale Romanum ordinando ab Episcopo tradi; Primo, calicem vacuum cum patena dicente Episcopo; *Videte cujus ministerium vobis traditur; Ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Secundo: ab Archidiacono traduntur absque ullis verbis urceoli pleni; Tertio porrigitur amictus, successivè manipulum, & alba cum tunica, & verba ibi descripta proferuntur; Denique liber epistolarum, cum illis verbis: *Accipe librum epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

42. Hisce expositis quærunt Doctores in quonam ritu ex recensitis collocanda sit materia, & forma Subdiaconatus: Aliqui volunt, materiam consistere solummodo in traditione calicis cum patena; Aliqui non solum in ista, sed etiam in illa.

Prima sententia probatur; quia in Concilio Carthag. 4. cap. 5. habentur hæc verba: *Subdiaconus cum ordinatur; quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum, de manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium*; in quibus nihil

nihil omnino de libro epistolarum: similia leguntur in Tolet.4. can.27. Legere etiam epistolam priscis temporibus ad Diaconos pertinebat, ut colligitur ex Catechis. Romano dicente: *Epistolam etiam, quæ olim à Diaconis in Missa recitabatur, Subdiaconus legit*.

43. Postrema opinio, quam veluti censuræ obnoxiam notat Marchin. tract.2. de Ordin. p.6. de Subdiac. c. 2. pluribus momentis non caret. Primum positivum & directum est; quia ea censenda est materia Subdiaconatus, quæ traditur una simul cum prolatione verborum, quæ se habent ut forma; ut patet loquendo de materia ordinum; porro cum traditur liber epistolarum, proferuntur hujusmodi verba, ut constat ex dictis: ergo. Ex alia parte, si calix & patena tanquam materia accipi deberent, eadem ratione etiam amictus, manipulum, & tunica materia dicenda forent; quod tamen non conceditur, proinde &c.

44. In assignanda tamen Subdiaconatus materia non adeo diligentes ac ambigui esse debemus, cum ex dictis probabilius appareat, Subdiaconatum non esse Sacramentum; proinde cum fuerit ab Ecclesia institutus, varii pro temporis varietate potuerunt esse ritus, & revera in Ecclesia Græca, ut legitur in eorum Euchologio, per solam manus impositionem confertur, nec porriguntur ea, de quibus supra: Quare tutiorem existimo secundam sententiam; ita ut adæquata materia consistat in traditione eorum omnium, quæ in Pontificali Romano præscribuntur; eum in illis omnibus aliquo pacto indicetur potestas, quam in sui ordinatione acquirit Subdiaconus, ut enim observat Maldonatus de Ord. cap.6. imponitur amictus ad castigandam vocem; manipulum ad significandum ministerium & bona opera; alba, ad indicandum illum in eorum esse numero, qui ministrant ad Altare, & debent servare castitatem: quæ omnia certè olim non tradebantur; & certe illis omnibus correspondent verba, quæ sint forma, unde non est major ratio, cur admittatur unum non alterum: & quamvis etiam Subdiaconatum Sacramentum esse diceremus; adhuc ab hac sententia recedendum non esset; quia Christus illum instituendo Ecclesiæ potestati reliquit hanc vel illam materiam in signo apto determinare, & sic juxta judicium suum vel aliquid augere, vel detrahere.

45. Ex istis jam compertum sit, quænam sint Subdiaconi munera, nempe vinum & aquam pro Altaris ministerio præparare; & ideo ipsi traduntur urceoli pleni; assistere sacrificio Missæ Diacono ministrando; ideo dicitur Subdiaconus, idest qui Diacono subest ipsi inserviendo: epistolam in Missa solemni legere; ideo traditur liber epistolarum: pallas Altaris & corporalia abluere, crucem in supplicationibus deferre, ut ex cap. Subdiac. dis. 35. Olim ad Subdiaconos pertinebat Templi januis adstare, per quas mulieres ingrediebantur, ut legitur in Concil. Laodic. can.22., & adnotat Cardin. Osius de distinc. Ordin. cap.51. In Ecclesia Carthagin. Subdiaconorum officium erat, Catechumenos fidei mysteria edocere; ut habetur in epist. 24. S. Cypriani: In Ecclesia Romana unum ex præcipuis eorum muneribus erat psalmodia; ut indicat S. Gregor. Magnus lib. 4. epist.44. nec non Synodus Romana cap.88.

46. Quantum attinet ad Subdiaconi obligationes; istę tres sunt: Prima ut habeat titulum vel patrimonii, vel beneficii ex cap. 21. Concil. Trident. cap.2. Secunda, ut recitet Divinum Officium. Tertia, ut servet castitatem, de quo puncto alibi dicemus.

QUÆSTIO III.

De Diaconatu.

ARTICULUS I.

An Diaconatus sit ordo sacer, & Sacramentum.

47. PRO priori parte probanda non est, cur effusiori calamo utamur, cum ex dictis de subdiaconatu comperta satis habeatur, & nonnulla etiam alia afferemus, dum de secunda dicturi sumus. Totis viribus Novatores cum Calvino contendunt, Diaconatum aliud non esse, quam deputationem quamdam ad humanum officium; quale est ex sui primæva institutione mensis ministrare; curam temporalium Ecclesiæ bonorum ad alendas viduas, pupillos, ac peregrinos habere; successu deinde temporis ex Episcoporum facultate etiam aliquo pacto Altaribus inserviisse, & aliqua Sacramenta ministrasse; & si legitur de Stephano, & Philippo Evangelium prædicasse; id inquiunt, ab ipsis factum esse, non ut Diaconi erant; sed ut Presbyteri ex numero discipulorum: Primum tantum asseruit Calvin. lib. 4. Instit. cap. 5. Secundum vero addidit, ut Calvini sententiam emolliret, Spalatens. lib. 2. de Repub. Ecclesiast. cap. 4.

48. In hoc puncto parum condemnandi sunt; etenim non defuerunt etiam ex Theologis Catholicis, qui Sacramenti notionem, ac dignitatem Diaconatui denegarunt. Talis fuit Durandus in 4. dist. 24. qu. 2. Talis Cajetan. tom. 1. opusc. tract. 11.; asserentes solum Sacerdotium Sacramentum esse: reliquos vero ordines esse quædam Sacramentalia, se habentia tanquam ad Sacerdotium dispositiones.

49. Hanc opinionem hæreticam esse ex Tridentini definitione sess. 23. can. 6. in quo legitur: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, Divina ordinatione institutam, quæ constet ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit* concludi posse videretur, eam tamen ab hæresi excusat Dominicus Sot. in 4. dist. 24. qu. 1. art. 4., eamque solùm ut temerariam damnat Bellarmin. cap. 6. de Sacram. Ordinis lib. 1., qui dicit, oppositam sententiam valde probabilem esse: Estius vero in 4. dist. 24. §. 8. dixit, de præsenti controversia nihil esse ab Ecclesia definitum: Hoc & ego arbitror; nam ex illo Tridentini canone habetur quidem, Diaconatum pertinere ad Hierarchicum ordinem à Christo institutum; & ideo esse ordinem sacrum, non tamen probatur, esse Sacramentum: sed quidquid sit.

50. Dicendum; Diaconatum esse verum Sacramentum. Quidquid enim ad notionem Sacramenti desiderari potest, in Diaconatu reperitur. Si de Christi institutione interrogemur, hanc procul dubio juxta laudatam Tridentini definitionem fuisse tenendum est, cum Diaconus Græcè idem sit ac Minister; & si de alio ministerio intelligi posset, potiori jure de Diaconatu, qui infra Sacerdotium quocumque alio ministerio major est: Si de gratia, quæ in hujus ordinatione confertur, sermo sit; attendamus manuum impositionem, quæ in ea adhibetur; attendamus & verba, quæ proferuntur, nimirum, *Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus.* Quæ verba sicut in ordinatione Sacerdotis suum effectum obtinent, ita & in ordinatione Diaconi suo effectu non

non carere asserendum est. Certè de illis, quos Diaconos per manus impositionem orationemque ordinarunt Apostoli, dictum fuit, plenos Spiritu Sancto fuisse, cum priùs statuti fuissent ante conspectum Apostolorum, qui orantes imposuerunt eis manus. Act.6. Quare & Tertullianus de resur. car. cap. 8. dixit: *Caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur.*

51. Quod si res ita non esset, quare Concilium Chalcedonen. can. 6. dixisset, ab Episcopo propter pecuniam Presbyteros, aut Diaconos ordinante vendi gratiam pretio inæstimabilem? Cur Sancti Patres tam laudabiliter ac reverenter de Diaconatu scripsissent; ut inter alios dixerit Ignatius in epist. ad Smyrnæos, *Diaconos revereamini, ut Dei mandatum exequentes ministerio suo*? & Hieronym. lib. 2. contra Jovinian. ordine servato simul Episcopos, Presbyteros, & Diaconos collocat, dicens: *Si tollis ordinem Tabernaculi, Templi, Ecclesiæ, nequaquam Episcopi, frustra Presbyteri, sine causa Diaconi.*

52. Ex his igitur habes, Diaconatum à Christo institutum; non quia ipse Diaconum aliquem constituerit; sed quia eos constituendi formam Apostolos docuerit; sicut nec legimus, Christum aliquem confirmasse, confirmationem tamen ipse constituit: habes, illum esse signum sensibile gratiæ causativum; quid igitur restat, ne illum Sacramentum appelles?

53. Fortasse, quia ad Sacramentum pertinet, esse signum in Christiana Religione perpetuum, semperque adhibitum. Rectè dicis: sed si de Diaconatu id neges; nega acta Apostolorum; nega epistolas Pauli, in quibus Diaconorum mentio fit; nega Sanctos Patres, quorum seriem tibi non congero, quia te vellem eruditiorem, quosve infra referam, ut aliud, quod opponere te sentio, rejiciam.

54. Quod autem opponis est hoc, nempe in actis Apostolorum electos fuisse Diaconos, ut mensis inservirent, & alia munera obirent, nequaquam sacra, & mysteriis servientia: legitur enim: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: Considerate ergo fratres &c. & elegerunt Stephanum .... & Philippum &c.*

55. Fateor ingenuè; quod si tantum hujusce textus litteram perpenderemus, non satis, ministerium sacrum Diaconis convenire, datum esset probare; atque ideo Pater Vasquez tunc Diaconos ab Apostolis illos institutos non esse, disp. 236. cap. 5. pluribus demonstrare contendit: quod si à nobis admitteretur, superiùs allatam instantiam, etiam eo titulo inanem esse declararemus: Si tamen sacri scriptoris mentem ac finem investigemus, revera tunc fuisse Diaconos ordinatos, jure optimo affirmabimus, atque ministerium mensarum, aliarumque rerum, quæ profanæ sunt, ac temporariæ occasionem tantum fuisse, non finem ordinandi Diaconos comperiemus, quem finem Lucas non descripsit; attamen tum ipse, tum alii viva voce tradiderunt; nobisque per Sanctos Patres demandarunt. Certè illi, quos ibi Diaconos dicimus, Evangelii prædicandi, ac baptisma conferendi jure potiti sunt: Certe, antequam constituerentur, investigatum est, non quantæ sagacitatis essent, quantæ industriæ, ac fidelitatis, quod pro ministerio mensarum satis fuisset; sed utrum essent boni testimonii, plenique Spiritu Sancto ac sapientia, quæ omnia ad sacrum ministerium referuntur. Certè demum ex iis, quæ eo loci scripsit Lucas, Patres Diaconorum officia, quæ procul dubio sacra erant, desumpserunt: Porro Diaconorum officia ista fuere; Sacerdoti solemniter celebranti inservire; Unde Sanctus Laurentius apud Ambros. lib. 1. de offic. cap. 41. sic Pontificem Sixtum alloquitur: *Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sine Diacono sacrificium offerre consueveras.* Et San-

Sanctus Ignat. in epist. ad Tral. inquit: *Quid sunt Diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam, & immaculatam?* Secundò, Eucharistiam dispensare præsentibus, atque ad absentes deferre; cujus consuetudinis apud Cyprianum exempla plura leguntur; meminitque S. Justinus apol. 2., quod tamen officium ipsis aliquando saltem præsente Presbytero prohibitum fuit; ut habetur in Concil. Arelaten. 3. can. 15., & Carthagin. 4. can.38. Tertio: Baptismum administrare, ut diximus in tract. de baptismo; nec non Evangelium legere: Unde Sanctus Hieronym. in epist.48. ad Sabinianum Diaconum lapsum sic scribit: *Evangelium Christi, quasi Diaconus* lectitabas. Alia munera prætereo; sed dicta sufficiant, ut inde inferas, mensis ministrare non esse præcipuum Diaconorum munus; sed tantum occasionem dedisse, ut ad illud Diaconi eligerentur, & tollerentur querimoniæ Græcorum adversus Hebræos; eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, ut legitur in laudato cap. Act.

56. Advertas tamen, nos ex illo textu act.6. nequaquam probare, Diaconatum esse Sacramentum, sed ex illis omnibus, quæ superiùs exposuimus; & hoc dicimus, non quia ex illo solum probari non posset; sed ne ad unum textum defendendum calamum nostrum defatigemus. Si quid verò adversus sacrum Diaconorum ministerium objici posse videbitur, infra ostendetur.

ARTICULUS II.

Rejiciuntur argumenta contraria.

57 OPp. 1. Quod à Christo institutum non est, Sacramentum esse non potest, sed Diaconatus à Christo institutus non est, ergo non est Sacramentum; Minor suadetur primo authoritate Cypriani, qui in epistol. 65. ad Rogationum ait. *Diaconos post ascensum Domini in Cælos, Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiæ Ministros.* Secundo, testimonio Anacleti epist.3.cap.1.ubi postquam numeravit Ordinem Sacerdotum, & Episcoporum, addit, *Amplius quam isti duo Ordines Sacerdotum nec nobis à Deo collati sunt, neque Apostoli docuerunt.* Quod etiam confirmat Damasus epist.4. ubi ait, *Quia* (ut præfixum est) *Ordines sunt duo tantùm primi in Ecclesia, idest Apostolorum, & septuaginta Discipulorum.*

58. Resp. ne. mi. Pro authoritate Cypriani dico, id verum esse; certè enim Christus nullum Diaconum elegit, ac constituit, sicut elegit, & constituit Apostolos; ex hoc tamen non sequitur, Diaconatum à Christo non fuisse institutum; sicut quantumvis neminem confirmaverit, aut Extrema Unctione munierit, inferri non potest, confirmationem, & Extremam Unctionem à Christo non fuisse institutas: Apostoli itaque constituerunt Diaconos Episcopatus sui, & Ecclesiæ Ministros; sed juxta Christi institutionem, & facultatem ipsis à Christo relictam, qua eos eligerent, & ad hoc officium promoverent, quos dignos judicarent; Verum etiam dixit Anacletus, etenim ibi non loquitur de omnibus Ordinibus, quos Christus instituit, & ab Apostolis accepimus, sed tantùm de Ordine Sacerdotali, qui duplex est, nempe Presbyterorum, & Episcoporum, inquit enim ibidem *Sacerdotum, Fratres, Ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari*: Quod confirmat, quia Christus solum elegit Apostolos, quibus correspondent Episcopi, & Discipulos, quibus correspondent Presbyteri: In hoc sensu loquitur etiam Damasus; agebat enim contra Chorepiscopos, qui se æquare Episcopis audebant; eosque ut ostendat esse tan-

tantum Presbyteros, dicit duos tantum esse Ordines, non autem alium quempiam, in quo essent Chorepiscopi.

59. Opp. 2. Frustra dicimus, sacra Ministeria, tanquam ex Christi institutione convenire Diaconis, cum revera sint tantum mensarum, viduarumque Ministri: Asserit hoc S. Hieronymus in epist. ad Evagrium dicens; *Quis patiatur, ut mensarum, & viduarum Minister supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces corpus Christi, sanguisque conficitur!* Idem confirmat Concilium Quinisextum habitum in Trullo ann. 692., quod disertis verbis juxta antiquorum mentem declarat, septem illos Diaconos, de quibus Act. 6. electos fuisse, ut tantùm mensis ministrarent, & sic concludit; *Propter hæc ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti septem Diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt; sed eos esse, quibus fuit concredita, ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant, qui nobis in hoc quoque forma fuere humanitatis, & studii in eos qui indigent.*

60. Resp. ne. assumptum: Pro Sancti Hieronymi testimonio observandum est; tunc temporis Diaconorum aliquorum animos tam elatos fuisse, ut se vellent Presbyteris anteferre, & etiam præsente Episcopo, vel Presbytero absque alia facultate benedicere, baptizare &c. Quid igitur S. Doctor? ut eorum fastum, si fieri posset, reprimeret, id in medium adduxit; quod Diaconorum electionis fuit occasio; & sic illos appellat *mensarum, & viduarum Ministros*. Cœterum S. Hieronymus pluribus in locis fatetur, quod nos asserimus, Diaconorumque dignitatem summopere commendat: quid dixerit lib. 2. contra Jovini: retulimus num. 51. nunc multa alia omittendo, addo quod scripsit in laudata epist. ad Evagrium, nempe; *Quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ fuerunt; hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicant in Ecclesia*. Si autem ad Diaconos tantum mensis, ac viduis ministrare pertineret, levitis essent multo inferiores.

Quod ex Synodo quinisexta oppositum est, nihil probat; parum enim authoritatis habent illius canones, quippe qui recepti non fuerunt, & præ aliis canon iste 16. in quo affertur Synodus Neocæsariensis statuens, quod septem debeant esse Diaconi, etiamsi valde magna sit Civitas; Quod certe reprobatum est tam in Ecclesia græca, quàm in latina. Quod si etiam canon ille admitteretur, quid inde probari posset? Hoc unum tantum, quod essent duo Diaconorum Ordines, unus mensis & viduis deputatus; aliis mysteriis inserviens, qui propterea Sacramentum esset.

61. Opp. 3. ex Durando. Quando multa sunt, quæ ad effectum aliquem Sacramentalem diriguntur, & unum solum ex illis istum attingit, tunc alia non censentur nisi quædam Sacramentalia, & præparationes ad illud; ut manifestum est in baptismo in quo fiunt exorcismi, insufflationes ante ablutionem aquæ, quæ sola Sacramentum constituit; reliqua vero præparationes ad Sacramentum censentur, atqui ita se habent inferiores Ordines, & Diaconatus per respectum ad Presbyteratum, qui tantùm attingit effectum Sacramenti ordinationis, idest consecrationem corporis, & sanguinis Christi; ergo non Diaconatus, sed tantum Presbyteratus erit Sacramentum.

Secundo. Diaconus per ordinationem nullam recipit potestatem: ergo. Prob. ant. Potestas, quæ confertur per ordinationem, est ad conficienda Sacramenta, sicut potestas, quæ datur per baptismum, est ad illa recipienda; atqui Diaconus non recipit potestatem ad conficienda Sacramenta: ergo.

Tertio. Potestas, quæ confertur per ordinationem, quæ Sacramentum sit; debet esse ad aliquid faciendum, quod sine ipsa nullo modo fieret, ut patet in Sacerdotio, in quo datur talis potestas, ut

ut fine illo nullo modo fieri possit Eucharistia: atqui in Diaconatu non confertur talis potestas, ut nullo modo fieret, quod Diaconus facit, quia omnia quæ Diaconus facit, saltem validè præstari etiam à Laico possunt: ergo.

62. Resp. trans. maj. ne. mi. non enim consecratio corporis & sanguinis Christi est effectus ordinationis, sed est finis: effectus enim ordinationis est gratia sanctificans & character: atqui tam illa, quam iste in Diaconatu producitur, & non solum in Sacerdotio: ergo non solum Sacerdotium, sed etiam Diaconatus est Sacramentum; atque ex his constat, quare in baptismo solum ablutio aquæ cum sua forma Sacramentum sit, non ita exorcismi, insufflationes &c. quia per ista nulla confertur gratia, saltem ex opere operato, nullus character, & ideo sunt tantum præparationes ad Sacramentum, ex qua doctrina distingui potest major transmissa.

Ad 2. ne. ant. ad prob. ne. maj. falsum est enim omnem potestatem Sacramentalem esse ad Sacramenta conficienda; Manifestum est hoc in confirmatione, quæ etiam per Durandum Sacramentum est; nec tamen in illa datur aliqua Sacramenta conficiendi facultas; neque characteres ordinis & baptismi ita inter se comparantur, ut sicut character baptismi est ad Sacramenta recipienda, ita character ordinis absolutè sit ad illa conficienda. Quanquam dici potest, etiam per Diaconatum conferri potestatem ad conficienda Sacramenta, si non immediatè, saltem proximè mediate, idest mediante Sacerdote, cui Diaconus ex officio inservire debet.

Ad 3. ne. maj. Verum quidem est, per Sacerdotium dari talem facultatem, ut fine ipso nullo modo fieri possit corpus Christi; sed hoc generatim non probat, omnem ordinationem, quæ Sacramentum sit, tribuere debere talem facultatem, ut fine ipsa nullo modo fieri possit, quod per ipsam fit; satis enim est si datur, ut melius id fiat: Manifestum est hoc pariter in confirmatione, in qua datur character seu facultas ad profitendam fidem, & tamen sine confirmatione potest quis fidem profiteri: sicut igitur confirmatio est Sacramentum, quia dat virtutem ad melius fidem profitendam, quamvis absolutè sine ipsa haberi possit hujusmodi professio; ita ordinatio Diaconi Sacramentum erit, quia dat facultatem ad melius exercenda illa munera, quæ absolute sine illa possent exerceri.

ARTICULUS III.

Quænam sint materia, & forma, & munera Diaconi.

63. IN hujus resolutione dicendum nihil novum occurrit; siquidem de Diaconi muneribus saltem præcipuis, dictum est in antecedente; De materia vero & forma id perpendendum recurrit, quod exposuimus cap. II. de Sacramento Ordinis in communi. Quare

ARTICULUS IV.

Quid sentiendum de Diaconissis.

64. NUm. 146. §. 4. cap. 5. de Sacram. Ord. in communi opponebatur ex epist. Pauli, & antiqua consuetudine fuisse Diaconissas, Presbyteras, Episcopas, ex quo inferri videbatur, mulieres esse ordinationis capaces: & dictum fuit, expectandam esse responsionem ibi exhibendam, ubi de Diaconis sermo fieret; Nostra igitur interest promissa servare: & quamvis in titulo exposuimus, tantum inquirendum de Diaconissis; attamen etiam ad alias fœminas, quæ Presbyteræ, & Episcopæ appellatæ fuerunt, sermonem nostrum protrahemus.

65. Fuisse autem hujusmodi fœminas, quæ ita nuncuparentur, tam in Ec-

Ecclesia Latina, quam in Græca indubitatum est; atque ita appellatas esse, quia fuerint uxores vel Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi affirmant S. Th. in 4. dist. 25. art. 1. quæstiun. 1. ad 1. S. Bonavent. art. 2., Ric. art. 4. qu. 1. ad 2. Dominic. Sot., aliique, & plenè evincitur ex variis Conciliorum sanctionibus. In Concilio Turonensi 2. sub Pelagio; cum dictum fuisset can. 12., ut Episcopus uxorem suam servaret, tanquam sororem; legitur can. 13. *Episcopum Episcopam non habentem, nulla sequatur turba mulierum.* Et can. 19. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa &c.* In Antisiodorens. sub Pontifice Deus dedit can. 21. sic statuitur: *Non licet Presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum Presbytera sua dormire, neque Diacono, neque Subdiacono &c.* & similia habentur in Concil. Rom. sub Gregor. II. Pariter pro Ecclesia Græca idem colligitur ex can. 12. & 13. sextæ Synodi Generalis, quantum ad hujusmodi appellationes, licet non quantum ad obligationem castitatem servandi: de qua re alibi differemus.

66. Non est tamen existimandum, solum ex hoc capite mulieres sic nuncupatas fuisse; etenim etiam ex officiis, ad quæ deputabantur, nomen habuerunt, & præsertim Diaconissæ: nullum enim aliud officium ipsis datum esse, mihi pro certo est, cum nullibi aut apud Patres legerim, aut Historicos: Mirum autem esse non debet, si hæc nomina mulieribus data sint, cum & aliquæ fuerint Apostolæ dictæ, sicut actum est à S. Hieronymo in prologo sui Commentarii in Sophoniam, ubi ait: *Dominum resurgentem primùm apparuisse mulieribus, & Apostolorum illas fuisse Apostolas.* Adde, quod si de Presbyteris loquamur; nomen hoc aliud non innuit, quam mulierem seniorem. Itaque ad Diaconissas deveniamus.

67. Præcipuè autem ex viduis Diaconissæ eligebantur, non tamen ex omnibus; quædam enim in statum vidualem tantum cooptabantur absque ulla cœremonia, benedictione, seu ordinatione, de quibus dixit Judas Thadæus; *Hæc de viduis constituo; vidua non ordinetur, sed si tam diu virum amisit, & castè ac laudatè vixit &c. cooptetur in statum, seu gradum vidualem.* Eligebantur istæ non minoris ætatis quam sexaginta annorum juxta illud Pauli 1. ad Timot. 5. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*, quam oportebat unius viri tantùm uxorem fuisse, atque in operibus bonis testimonium habere, ut prosequitur idem Paulus; Ex bonis Ecclesiæ alimenta & alia necessaria illis præbebantur: si tamen verè viduæ essent, idest non solùm merito, sed etiam filiis, & parentibus orbatæ; Unde, cum prius dixisset Apostolus; *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt* subdit; *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non gravetur Ecclesia, ut iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat.*

68. Erant vero & aliæ viduæ, quæ non solum ad vidualem statum cooptabantur; sed etiam consecratione quadam, & ordinatione Ecclesiæ ministerio deputabantur: atque istæ fuerunt illæ Diaconissæ, de quibus noster sermo; Porro earumdem consecrationis, sive ordinationis afferri possunt clarissima monumenta. Clemens Romanus lib. 8. Constitutionum cap. 19. & 20. ita scribit: *De Diaconissa vero ego Bartholomæus constituo, ut manus ei Episcope imponas præsentibus Presbyteris, & Diaconis, ac Diaconissis, & dices, Deus æterne, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui viri & mulieris auctor es, qui Mariam, Deboram, Annam, & Oldam Spiritu Sancto implevisti, ipse nunc respice hanc ancillam electam ad ministerium, & mundam effice ab omni inquinatione carnis & spiritus, ut opus sibi impositum dignè perficiat &c.* In ordine Romano edito in Bibliot. Patrum to. 13.

habetur, quod post epistolam, & graduale, *Ponat Episcopus orarium in collo ejus dicens, stolæ jucunditatis induat te Dominus. Ipsa autem imponat velamen capiti suo, palam omnibus de Altari acceptum.* Goarius verò in Euchologio Græcorum, & Arcudius lib. 6. cap. 10. ritum referunt, quo apud Græcos Diaconissæ ordinari consueverunt; illumque ferme eundem esse, quo ordinantur Diaconi, manifestè apparet.

69. Ex his tamen ne dicas, ordinationem propriè dictam Sacramentalem, qualis viris conceditur, mulieribus fuisse concessam; illa enim manus impositio, & alia, quæ præstabantur, ad puram cœremoniam pertinebant; nusquam enim Diaconissis illis facultas data fuit administrandi Eucharistiam, quemadmodum Diaconis, Sacramentalis autem Diaconorum ordinatio respectum habere debet ad verum Christi corpus per Sacerdotem, cui Diaconus ministrat, conficiendum, & per Diaconos dispensandum. Unde Epiphan. in Panario hæresi 79. inquit: *Quanquam Diaconissarum in Ecclesia ordo sit; non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est &c.*

70. Quænam igitur erant Diaconissarum ministeria? Horum aliqua recenset Epiphanius loco laudato dicens: *Ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsit, aut propter horam balnei, aut visitationis, sive cum nudandum est corpus mulieris, interveniat, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed à sola Diaconissa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur.* Secundo; cum negotium aliquod urgeret, nec adire fœminas Episcopis congruum videretur, Diaconissæ eorum voluntatem ac præscripta ad illas deferebant: Constitutiones Apostolicæ lib. 2. cap. 26. sic habent: *Evenire solet, ut non possis mittere Diaconum ad mulieres; mittere verò possis Diaconissam, ad multa enim indigemus Diaconissa.* Tertio; Rusticanas, & imperitas mulieres in rebus fidei inbuebant, præsertim in iis, quæ servare debebant in suscipiendo baptismo, tum post susceptum. Concil. Carthagin. 4. can. 22. sic statuit: *Viduæ, vel sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint apto, & sano sermone docere imperitas, & rusticanas, tempore quo baptizandæ sunt, quomodo baptizatori interrogatæ respondeant; & qualiter accepto baptismate vivant.* Quarto; Portam, qua in Ecclesiam mulieres ingrediebantur custodiebat Diaconissa; Unde Ignatius Martyr in epist. ad Antioch. inquit: *Saluto sanctarum portarum custodes Diaconissas.* Cumque jam ingressæ essent, proprium, quo sedere debebant, statuebat locum; Propter hæc, & si quæ fuerint alia, ministeria Diaconissæ Ecclesiæ in agapis pars seponebatur, & ex oblationum reliquiis illi portio assignabatur.

71. Quamvis autem viduas in Diaconissas electas fuisse dictum sit, attamen non excludebantur etiam Virgines; imo istas præferri in Const. Apost. lib. 6. cap. 17. apparet; *Eligatur*, scriptum est, *Diaconissa Virgo pudica; sin autem non fuerit Virgo, sit saltem Vidua, quæ uni nupserit, & fidelis, atque honorata.* Et S. Epiphan. cap. ult. Panarii de Diaconissis ait: *Illi quidem univiræ, & continentes esse debent, vel post unas nuptias Viduæ, vel perpetuæ Virgines.* Narrat etiam Niceph. lib. 13. Historiæ cap. 24., Olimpiam nobilem fæminam, servato in Matrimonio virginitatis flore, post mortem Mariti fuisse à Nectario Patriarcha Constantinopolitano in Diaconissam ordinatam; Paulus tamen viduas tantùm commemorat, vel quia tunc virginitatis nomen gentibus erat ignotum, proinde coactus fuit viduas plerumque eligere; vel quia virgines, utpote verecundiores,

res, minusque in rebus gerendis probatæ, minorisque auctoritatis, minus idoneæ ad officia censebantur. Cœterum, si de viduis dictum fuit, quod sexaginta annorum essent, Virgines eligebantur etiam quadraginta annorum, ut habetur in Concil. Chalcedon. can. 15. rationem autem hujus discriminis affert Tertul. lib. 1. ad uxorem cap. ultimo inquiens: *Vidua habet aliquid operosius, quia facile est non appetere quod nescias, & aversari, quod desideraveris nunquam*. Unde majus est incontinentiæ periculum in junioribus viduis, quam in virginibus. Ex quibus constat, Diaconissas continentiæ votum emisisse. Sed de hac re satis, quamvis ampliora dici possent.

QUÆSTIO IV.

De Presbyteratu.

ARTICULUS I.

An Presbyteratus sit Sacramentum.

72. Fateor, propositi dubii resolutionem omnino supervacaneam existimandam esse; si enim, ut probatum est, Diaconatus tanquam Sacramentum haberi debet, hoc potiori jure de Presbyteratu, seu Sacerdotio necesse sit affirmetur. Quia tamen de utroque ordine eadem nobis certitudo non exhibetur; cum de Diaconatu etiam plures Doctores Catholici vel ambigant, vel negent, de Presbyteratu vero tantùm hæretici inficientur; ideo id inquirendum exposui.

73. Fateor tamen, quod neque in hoc puncto nobis diutius immorari contingit: nam iisdem argumentis, quibus in priori parte ordinationem Sacramentum esse demonstratum est; Presbyteratum seu Sacerdotium esse hujusmodi apertissime declaratur: nihilominus aliqua proferemus, quæ ad Sacerdotium ipsum peculiari ratione pertinere videntur.

74. Et primo; Sacerdotium à Christo institutum esse constat ex iis, quæ Lucas narrat cap. 22. ubi Christus *accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem*. Tunc enim Apostolis potestatem fecit conficiendi corpus & sanguinem suum; quod disertis verbis declaravit Concil. Tridentin. sess. 22. cap. 1. inquiens; quod Christus *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus suum & sanguinem sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba; Hoc facite in meam commemorationem; ut semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit*.

75. Et quia adducere incæpimus hoc Concilium, etiam per idem prosequamur; docet autem, sunt ejusdem verba; *Esse in Ecclesia Dei visibile Eucharistiæ sacrificium, & visibile pariter ac externum Sacerdotium, quod à Domino Salvatore institutum est, atque Apostolis eorumque successoribus in Sacerdotio traditam esse potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi, & retinendi*. Et can. 1. eos anathemate damnat, qui dixerint Sacerdotium in novo testamento esse offi-

officium tantùm, & nudum ministerium prædicandi Evangelium: damnatis cap.4. iis, qui dicerent, Sacerdotes habere tantùm temporariam potestatem, & omnes Christianos esse promiscuè Sacerdotes, de qua re loquuti sumus q. 3. de Sacram. in genere art. 3. num. 41., ubi Lutheri argumenta rejecimus.

76. Ante laudatum Concil. idem statutum est etiam in Florentino in decreto; ubi loquens de Ordinis Sacramento nullam expressam Episcoporum mentionem facit; proinde cum ordinem Sacramentum dicat, procul dubio hoc Sacerdotium esse decernit; atque jam ex supradictis habes, quo pacto à Christo Domino fuerit institutum, quæ est una ex conditionibus ad Sacramenti notionem requisitis.

77. Altera conditio est, ut sit signum sensibile, causativum gratiæ. Si autem de illo agamus, manifestum est, hujusmodi esse, cum conferatur per manuum impositionem & alia, quæ sensibilia sunt; cujus quidem impositionis tot Patres, & Concilia, quæ memorare non placet, mentionem fecerunt; & quantum spectat ad gratiam, quæ causatur, satis dictum est, ubi de ordinatione pertractavimus; Hic unicè addam, quod Christus conferendo potestatem dimittendi peccata, quæ utique solis Sacerdotibus convenit, ut in quæstionibus de pœnitentia probabo, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* ubi autem Spiritus Sanctus accipitur, etiam gratiam recipi necessum est.

78. Ex his sequitur, duplicem Sacerdotibus potestatem concedi, unam, quæ est in confectione corporis & sanguinis Christi, quæ dicitur potestas in corpus Christi verum; alteram, quæ est in remissione peccatorum, quæ est potestas in corpus Christi mysticum; atque hanc secundam potestatem fundamentaliter contulit Christus, cum Apostolis dedit facultatem in suum corpus verum; ab hoc enim illa ortum deduxit.

Omnia sic concludamus; Vel ordinatio Sacramentum non est; vel Sacerdotium est Sacramentum: illud dici non potest ut suo loco probavimus; ergo hoc dici debet.

ARTICULUS II.

De materia, & forma Sacerdotii.

79. Plura in Sacerdotum ordinatione adinveniri compertum est, tam in Ecclesia Græca, quàm in Latina. Juxta Arcudium lib. 1. cap. 2., & Goarium in Rituali Græcorum, apud Græcos sic ordinantur Presbyteri. Primo caput ordinandi crucis signo ter Episcopus munit. Secundo ipsius capiti dexteram manum impositam tenet, & voce distincta precatur, ut Divina gratia ipsum promoveat in Presbyterum. Tertio iterum super caput ejus manum imponit, & recitata oratione, quæ incipit, *Deus in virtute magnus &c.* posteriorem stolæ partem ad exterius dextrum latus reducit: deinde illum casula induit, dicens tam prius quam postea, *Dignus &c.* Tunc Presbyter ordinatus Pontificem, ac Presbyteros osculatur, stansque in Presbyterorum loco una cum istis recitat liturgiam; Demum Episcopus sic ordinato porrigit sanctum panem, quem esse particulam Eucharistiæ consecratæ observat Goarius, & dicit: *Accipe depositum istud, & custodi illud usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, cum à te repetetur.*

80. In Ecclesia latina non idem est ritus: Siquidem primo ordinandi monentur, & super uniuscujusque caput Episcopus utramque manum imponit nihil dicens, & statim Sacerdotes, qui adsunt ordinationi idem præstant, quo peracto tam Episcopus, quàm Sacerdotes manus extensas super illos tenent, & ille recitat orationem, quæ incipit, *Oremus Fratres charissimi &c.* Secundo stolam ab humero sinistro extendit

ad

ad humerum dextrum, eamque ante pectus aptat ad modum Crucis dicens. *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve.* Imponit deinde unicuique caſulam uſque ad ſcapulas dicens; *Accipe Veſtem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur, potens eſt enim Deus, ut augeat tibi charitatem & opus perfectum.* Poſtea Catechumenorum oleo utramque manum inungit, dicens; *Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine, manus iſtas per iſtam unctionem & benedictionem; ut quæcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumque conſecraverint, conſecrentur, & ſanctificentur in nomine Domini Jeſu Chriſti.* Tradit præterea calicem cum vino & aqua, & patenam cum hoſtia, & ab ordinandò accipitur inter indices, & medios digitos, atque calicis cuppam, & patenam ſimul tangit, dicitque Epiſcopus; *Accipe poteſtatem offerre Sacrificium, Miſſaſque celebrare, tam pro Vivis, quàm pro Defunctis in nomine Domini. Amen.* Ad Miſſæ finem utramque manum ſupra cujuſque caput imponit, & dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis &c.* Tandem explicat caſulam, quam unuſquiſque complicatam ſuper humeros habet, & quemlibet illa induens dicit, *ſtola Innocentiæ induat te Dominus.*

81. Hiſce expoſitis inquirunt Doctores; quænam ex iſtis ſit eſſentialis materia; quænam eſſentialis forma: Quænam autem ſint ipſorum placita colliges ex iis, quæ diximus cap.3. dum ageremus de ordine in communi; atque juxta ea, quæ ibi reſoluta ſunt, etiam hæc ſcias eſſe reſolvenda.

Superſunt tantum nonnulla inquirenda, & explicanda: & primo cum dictum ſit, Epiſcopum ſuper ordinandos ter manum imponere; quæritur quænam impoſitio ſit eſſentialis. Certum eſt, non eſſe primam, eo quia tunc nulla verba proferuntur: Sed neque eſſe tertiam, tanquam certum exiſtimo; ſiquidem, cum hæc fiat ad Miſſæ finem, ſupponit jam Sacerdotes conſecratos; cum jam ſimul cum Epiſcopo verba conſecrationis pronuntiaverint, & reapſe Chriſti corpus confecerint.

82. Erit igitur, quæ in ordine eſt ſecunda; quod quidem ſatis aperte innuit Concil. Trident. ſeſs.14. cap.3. ubi ait, Miniſtros Extremæ Unctionis eſſe ſolos Epiſcopos, aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinatos *per impoſitionem manuum Presbyterii* ſcilicet per impoſitionem manuum Epiſcopi adjuncta ſimul illa Presbyterorum, qui ordinationi aſſiſtunt: loquitur igitur de ſecunda manuum impoſitione; nam in tertia ſolus Epiſcopus imponit: quod etiam indicavit prius Concil. Carthagin. 4. can.3. ubi ait, Presbyterum ordinari, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente; & jubentur Presbyteri præſentes manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper illius caput tenere; non quidem quia impoſitio manuum Presbyterorum eſſentialis ſit; nam ipſi nullum proferunt verbum; ſed in oſtenſionem cooptationis ac ſocietatis ad ſimile miniſterium illius, qui ab Epiſcopo ordinatur.

83. Imò ſi de illa tertia impoſitione amplius loqui velimus, & de qua eſt potior difficultas; obſervarunt aliqui eruditi viri, inter quos Morinus exercit. 7. cap. 7., eam per mille ducentos annos in Eccleſia Dei non fuiſſe, nec ante illud tempus in aliquo Rituali inveniri, quod notavit & Major in 4. Sent. Argumentum etiam deſumitur ex eo, quod in Eccleſia Hiſpalenſi an.619. contigit; Ad Concilium Hiſpalenſe ſecundum delatæ ſunt querelæ, quia quidam Presbyter ordinatus fuerat, & non Epiſcopus, qui præ oculorum languore orationem legere non poterat, ſed alius Presbyter eam legerat, ac pronuntiaverat: Si autem illa fuiſſet materia, quæ ſimul cum illis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* exhibetur, profectò querelis iſtis locus non

fuiſ-

fuisset, tam enim brevia, ac omnibus nota sunt illa, ut ea legere opus non fuisset.

84. Duo opponi nobis hic videntur. Unum est, à Tridentino definitum esse, Episcopos frustra non dicere in ordinatione, *Accipe Spiritum Sanctum*. Dum igitur hæc verba proferuntur, revera Spiritus Sanctus accipitur; ideoque in tertia manuum impositione datur facultas dimittendi peccata, & sic completur Sacerdotium, ad quod duplex potestas pertinet, idest, & conficiendi Christi corpus, & fidelibus peccata dimittendi: & certè verba hæc id operari debent, quod significant, aliter enuntiatio falsa esset. Alterum est; per diversas actiones potestates istas tribui debere, quod manifestum est in eo, quod Christus egit: siquidem potestatem consecrandi Eucharistiam tribuit Apostolis in ultima Cœna, potestatem vero remittendi peccata post resurrectionem concessit, cum dixit Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*.

85. Fatemur, non frustra ab Episcopo dici, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* at per hoc non satis aptè probatur, per illa verba Spiritum Sanctum conferri; sed tantùm statuitur, revera Spiritum Sanctum accipi in ordinatione; atque hoc per ea verba expresè declaratur. Non aliam fuisse Tridentini mentem ex eo evincitur, quod Lutherani, & Calvinistæ, contra quos agebat Concilium, Spiritum Sanctum in ordinatione accipi inficiabantur; Decernitur igitur oppositum, & ideo veraciter dici, non frustra dicere Episcopum, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* quod frustra diceretur, nisi in ordinatione reciperetur; & quamvis dum illa verba proferuntur, non accipiatur; sed jam prius acceptus fuerit; attamen enuntiatio non est falsa, quia instituta est ad enuntiandam, seu ad expressius declarandam auctoritatem jam collatam; nec omnia verba operari debent, quod significant, sed attendenda est eorum institutio: Quot enim alia in ordinatione proferuntur, quæ tamen non efficiunt, sed rem effectam apertius ostendunt? Dicendum etiam esset, quod illa verba, quæ dicuntur, dum imponitur casula, efficerent charitatem, & opus perfectum, & sic de reliquis.

86. Secundum argumentum non tenet; plura enim fecit Christus, quæ tamen in Sacramentis conficiendis à nobis non fiunt, nec ut fiant ulla lex obligat: Christus Sacerdotes instituit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* itaque & Episcopus dum Sacerdotem efficit, iisdem verbis uti deberet: Christus dedit Apostolis facultatem dimittendi peccata, insufflando; itaque insufflatio erit necessaria, ac essentialis; Hoc, ut arbitror, non dices. Ita in re nostra; quamvis Christus diverso tempore, & diversa actione Apostolis dedit facultatem conficiendi corpus, & facultatem dimittendi peccata; attamen necesse non est, quod diversa actione hæc duplex potestas tribuatur, quamvis per diversam actionem, & diversa verba magis explicitè declaretur. Quanquam concedam, pari modo ratiocinandum esse; ita ut etiam Christus, dum Apostolos Sacerdotes ordinaverit, simul etiam eademque actione eis peccata dimittendi contulerit facultatem, & quando post resurrectionem ipsis dixerit: *Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum &c.* facultatem jam collatam ipsis apereurit, atque explicaverit.

87. Hisce omnibus, si placet, addo; Spiritum Sanctum duplici titulo accipi posse. Uno modo, quo tribuatur facultas aliquid agendi; alio, quo tribuatur rectum ejusdem facultatis exercitium: Per illa verba *Accipe Spiritum Sanctum &c.* ad hoc postremum Spiritum Sanctum concedi, non ad illam: Essentia autem Sacerdotii non in illius exer-

exercitio, sed in exercendi facultate consistit; & hoc pacto omnia servabis, quæ opposita sunt, aut opponi possunt, non enim materia, aut forma Sacerdotii sita est in eo, quo exercetur Sacerdotium, sed in eo, in quo datur facultas exercendi.

88. Addo tandem; ipsos adversarios concedere in prima potestate essentialiter, ac fundamentaliter contineri secundam; quam formaliter tradi per dicta verba contendunt; sed quod ipsi facultatem formalem appellant, nos appellabimus explicitam; & ita quæstio erit de nomine.

ARTICULUS III.

De diversis Presbyterorum gradibus.

89. ETSI omnium Presbyterorum idem sit ordo, eadem essentialis dignitas; attamen non omnes in eodem gradu constitutos esse & legimus, & audimus, & videmus. Alii sunt Vicarii generales, alii Officiales, alii Archipresbyteri, alii Archidiaconi, alii Pœnitentiarii, alii Theologi, alii Decani, & Canonici, alii tandem Parochi. De hisce omnibus aliqua breviter exponemus.

90. Nomen hoc Vicarii à gerendo vices desumptum est: Sicut vero in Episcopo est triplex potestas, Ordinis, jurisdictionis voluntariæ seu gratiosæ; & jurisdictionis contentiosæ; ita Episcopus habere potest Vicarium suum quantum ad omnes: hoc solo dato discrimine, quod pro potestate ordinis alium Episcopum tantum habere potest, ut contingit apud plures Germaniæ Principes, qui Episcopali dignitate sunt insigniti, & in hoc sensu Vicariorum generalium mentio apud plures veteres Scriptores reperitur. Sed quantum attinet ad illos, qui Vicarii generales sunt pro jurisdictione voluntaria seu gratiosa, in quo sensu sunt illi, quos modo tales agnoscimus; nec in Gratiani decreto, nec in Gregorii decretalibus ullum apparet vestigium; & existimo, gradum istum à Concil. Lateran. 4. sub Innoc. III. ortum duxisse; quia, ut advertit Thomassinus, Patres Lateranenses hortati sunt Episcopos; ut si munera sua perfectè implere non possent, eligerent Presbyteros, qui ipsorum vices peragerent.

91. Vicarius generalis, qui ad nutum Episcopi creari potest, & revocari, institui debet ab Episcopo per litteras ab eo, ejusque Secretario ac duobus testibus subscriptas: ab ejus judicio appellari non potest ad judicium Episcopi; quia ille unam cum isto personam constituit; Unde si suspectus est Episcopus, suspectus etiam censetur Vicarius. Talis est ejus facultas, qualem in concessionibus, quas gratiosas appellant, illi Episcopus contulerit; ita ut possit testimoniales extra Diœcesim litteras dare, in Diœcesi dispensationes elargiri, absolutiones à censuris, nec non beneficia conferre.

92. Ex his verò jam apparet; quod si cesset Episcopi jurisdictio vel per obitum, vel per suspensionem, vel per excommunicationem; etiam Vicarii generalis quævis facultas cesset. Quemadmodum vero vices Episcopi Vicarius generalis supplet; ita ut velut alter Episcopus censeatur; ita oportet, ut satagat illis virtutibus exornari, quæ in Episcopo desiderantur, atque à Paulo 1. ad Timot. requiruntur. Hunc esse debere saltem in jure canonico Doctorem, vel licentiatum, vel alias, quantum fieri potest, idoneum, præcipit Concilium Tridentinum sess. 24. de Reform. cap. 16. Quamvis enim ibi loquatur de Vicario, à capitulo eligendo post obitum Episcopi intra octo dies; attamen id dicendum de Vicario Episcopi, quod de Vicario capituli, nonnullis servatis, de quibus sermonem non instituimus.

93. Ille verò, qui Episcopi vices gerit pro jurisdictione contentiosa, propriè

priè non vocatur Vicarius, sed Officialis. Ad hunc pertinet causas tam civiles, quàm criminales Clericorum recognoscere, de quibus causis dixit Paulus 1. ad Timot. cap. 5. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus*. Quomodo autem hujusmodi causæ tractari debeant, explicat Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 20. Quo pacto autem una simul cum Officialibus Ecclesiasticis immiscere se possint Judices Sæculares, non est hujusce loci quidpiam determinare. Non me latet, sub diversis Principibus diversa servari.

94. Archipresbyteri, seu ut Græci vocant, Protopresbyteri ex ipsa nominis significatione inter Presbyteros primi sunt, primasque honoris occupant sedes. Dignitas ista, quamvis non solius ætatis fuerit pretium, sed etiam virtutis ac meriti merces; attamen ordinatione antiquioribus dari consuevit; Unde ait S. Leo epist. 18. *Prebyteri in eo ordine permaneant, quem unicuique ordinationis suæ tempus ascribit*. Et in Concil. Milevitano 2. can. 14. cautum fuit, ut unusquisque litteris ab ordinatoribus suis acceptis, ordinationis suæ diem retineret; ut inter posteriores & anteriores nulla contentio proficisceretur. Inter alia munera Archipresbyterorum erat præcipuè gubernatio viduarum, pupillorum, & peregrinorum; cui Episcopum operam dare per se ipsum non decebat, ut loquitur Concil. Carthag. 4. can. 17.

95. Ut Archipresbyter inter Presbyteros primus, ita Archidiaconus inter Diaconos; imo tantum olim eminebat, ut etiam ipse Archipresbyter ipsi foret subjectus; quia majorem potestatem conferebat Episcopus illi, quàm isti. *Archipresbyter*, inquit Isidorus Hispalensis in epist. ad Ludifredum, *se esse sub Archidiacono ejusque præceptis, sicut Episcopi sui, sciat obedire*. Hoc etiam in jure Canonico lib. 1. Decret. Gregorii tit. 23. cap. 1. traditum est; *Archidiaconus*, ait, *post Episcopum sciat se Vicarium esse ejus in omnibus, & omnem curam in Clero &c. ad se pertinere*. Olim tantùm ex Diaconorum ordine Archidiaconi eligi poterant; ita ut si ad Presbyterorum gradum promoti essent, sua dignitate exciderent; atque ideo factum est, ut aliqui Episcopi, cum Archidiaconum sibi invisum haberent; eum Presbyterum fieri curarent, aut etiam obstringerent: ut fecisse narratur Anatolium Patriarcam Constantinopolitanum de Ætio Archidiacono, & de se ipso refert Petrus Blasensis. Hæc disciplina immutata jamdiu fuit: Retinet nihilominus jus visitandi Ecclesias sibi subjectas, & quo modo, quo fine hujusmodi visitatio fieri debeat, directè docet laudatum Tridentin. sess. 24. cap. 3., cujus verba non refero.

96. Pœnitentiarii quoque Presbyteri jure optimo instituti sunt: cum enim Ecclesia adhuc infantilibus teneretur angustiis, Episcopi per semetipsos confitentium peccata excipere poterant, & absolvere: at cum adoleverit, & longè latèque fuerit diffusa; onus hoc in alios rejicere necesse fuit; Pœnitentiarii mentio fit à Socrate lib. 5. Hist. c. 19. & Sozom. lib. 7. cap. 16. saltem in Ecclesia Græca. Istius igitur munera sunt, Episcopi loco confessiones audire, & à casibus ipsi reservatis absolvere; ideo in externo foro nulla ipsi judicis sententia committenda, quippe qui mala abscindere debet non declarare, absolvere, non damnare. De hoc agit Concil. Tridentin. sess. 24. de Reform. cap. 8. Dum confessiones audit, aut ad audiendas paratus est, haberi debet tanquam præsens in Choro.

97. Quid vero de Theologo dicam? Oportere Episcopum eum, qui secundum doctrinam est, habere sermonem, atque eos, qui contradicunt arguere, admonet Paulus: quia tamen pluribus intentus minor est ad singula sensus; aliis in sacris litteris eruditis onus hoc singillatim datum est; ut alios edocere pos-

possent, atque fidei depositum ab infensissimis hostibus custodire: Hujusmodi virum in omnibus Cathedralibus eligendum esse statuit Innoc. III. in quarto Lateran. Concilio ann. 1215., magis promovit Honor. III. cap. *Super specula*. *De Magistris* & de hac re agit etiam Concil. Trident. &c.

98. De iis, qui appellantur Decani, hoc habemus, quod nomen hoc desumptum sit à regimine, quod quis in decem viros habebat: Quemadmodum enim cum Monachorum multitudini regendæ unus Abbas, vel Superior non sufficeret, instituti fuerunt Decani, quibus Monachi decem gubernandi committebantur, quique Abbati vel Superiori subessent; ita cum prioribus temporibus Canonici communem degerent vitam, fuerunt instituti Decani, de quibus id ferme dicendum, quod de Archipresbyteris. De Canonicis nihil addendum est, nisi eorum nomen desumptum esse à Canone; vel frumentario, quia ex stipendiis, quæ ex redditibus Ecclesiæ proveniunt, aluntur; vel regula, quia Canonicas regulas arctius observare debent; Canon enim Græcè, regula est; De istis, eorumque obligationibus vide Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. Non adeo brevis sermo de Parochis instituetur, ubi de Cardinalibus aliqua proferemus.

QUÆSTIO V.

De Episcopatu.

ARTICULUS I.

Utrum Episcopatus sit Ordo, & Sacramentum à Sacerdotio distinctum.

99. DE Episcopatus nomine, unde Episcopi nuncupatio derivavit, nullam Quæstionem instituimus; non enim nos latet multifariam olim eam usurpatam fuisse: quia cum Episcopus Græcè idem sit ac inspector, speculator, explorator; sicut etiam ad laicos hæc omnia pertinere possunt, ita & laici possunt Episcopi appellari: Unde Eusebius lib. 1. de Vita Constantini cap. 44. de eo sic loquitur: *Ipse velut communis omnium Episcopus à Deo constitutus, Ministrorum Dei concilia congregavit*: quem sui Episcopatum ipse Constantinus lib. 4. cap. 24. alloquens Episcopos sic explicat: *Vos in iis, quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis; ego verò in iis, quæ extra geruntur, Episcopus sum à Deo constitutus*. Novimus etiam ex Theodoreti Comment. in priorem ad Timot. cap. 1., illos, quos modo Presbyteros appellamus, prima Ecclesiæ ætate dictos fuisse Episcopos; quos verò nunc dicimus Episcopos, fuisse Apostolos appellatos. Multa in Paulo leguntur exempla; Ad Rom. cap. 16. de Andronico, & Junia legitur: *Salutate Andronicum, & Juniam, qui sunt nobiles in Apostolis*; & ad Philip. 2. ait de Epaphrodito, *Necessarium existimavi, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum &c.* Novimus insuper ex Chrysost. hom. 1. in epist. ad Philip., Episcopi ac Presbyteri nomen Apostolorum tempore tam Episcopis, quam Presbyteris commune fuisse; quod postquam multis ostendit, concludit; *Procedente verò tempore proprium cuique distributum est nomen*; *ut hic quidem Episcopus, ille verò Presbyter appellaretur*: & certe negari non potest, quod saltem Episcopi absolutè

Presbyteri dicti sunt; cum Paulus ad Timot. 4. dixerit: *Noli negligere gratiam, quæ &c. cum impositione manuum Presbyterii* constat autem, non nisi Episcopos posse Presbyteros ordinare; ut suo loco dicemus.

100. Sed quidquid sit de nomine isto, inquirimus modo, an ille, qui nunc vocatur Episcopus, & qui semper fuit, sicut modo est, habeat ordinem & Sacramentum distinctum ab illo, qui tantùm Presbyter apud nos est.

101. In hac re non una Theologorum opinio inter Catholicos; quorum tantum in hoc puncto sententiam examinabimus; nam quid hæretici sentiant, in sequenti expendemus.

Antiquiores, ut Hugo à S. Vict. Petrus Lombardus, Alexander Alensis, Albert. Magnus, S. Bonaventura, quos sequutus est Joannes à Turrecremata, nec non Dominic. Sot., disertis verbis docuerunt, Episcopatum non esse verum ordinem aut Sacramentum à Sacerdotio distinctum, sed solummodo extensionem characteris Sacerdotalis ad ampliorem potestatem, ac dignitatem: Hoc tam clarè & expressè docuit S. Thomas, ut si ejusdem verba proferamus, totum quod illi dicunt, brevissimè proferemus; Lib. 4. Sent. qu.40. supplem. art.5., quærit: *Utrum Episcopatus sit Ordo*. Respondet: *Dicendum, quod Ordo potest accipi dupliciter: uno modo secundum quod est Sacramentum; & sic, ut prius dictum est, ordinatur omnis ordo ad Eucharistiæ Sacramentum: Unde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdoti; quantùm ad hoc Episcopatus non erit ordo. Alio modo potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum; & sic cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem; Episcopatus erit ordo*. Et in responsione ad 2. expressè negat per Episcopatum imprimi characterem, & concludit, *Propter hoc Episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est Sacramentum quoddam*. Aliud igitur hæc sententia non concedit, nisi Episcopatum esse ordinem lato modo sumptum, ideſt prout significat officium, dignitatem, & gradum.

102. Oppositum docuerunt præter Almain., Ekium, Michaelem Medinam, Navar. in Manuali cap.23., Petrus Soto lib. de Institut. Sacerdotum lect.4. de Sacram. Ordinis, Estius in 4. dist.24. §.28., Sylvius in 3.p. S. Thom. qu.40. art. 5., Bellarminus de Sacram. Ordinis cap. 5. Vasq. disp. 240. cap.4., qui asserit, sententiam hanc non esse quidem expressè definitam à Concilio Trident. attamen ex ejus definitione non obscure deduci; loquitur tamen Doctor iste de Episcopatu, tanquam Sacramento, non tamen tanquam Sacramento distincto, cum cap. 5. superiorem sententiam sibi placere fateatur §. *Mihi tamen semper placuit &c.* Petrus autem Soto hanc certam de fide existimandam esse, affirmare non dubitat; & Michael Medina contrariam appellat periculosam.

Si in hac re mihi permittatur, utriusque sententiæ potissima afferam fundamenta & resolvam; deinde qui legerit, quænam sit probabilior, judicabit.

§. I.

Ostenditur, Episcopatum non esse ordinem & Sacramentum à Sacerdotio distinctum.

103. PRimo. Si Episcopatus esset ordo & Sacramentum ultra Sacerdotium, nec septem tantùm essent Ordines, nec septem tantùm essent Sacramenta; hoc secundum est contra fidem; primum vero est contra Ecclesiæ consensum, & Concil. Tridentinum, quod sess. 23. c.1. & 2. omnes ordines recensens, Episcopatum nec quidem memorat; ergo. Quod si dicas, reli-

reliquos ordines, quamvis inter se distinctos, constituere cum Sacerdotio unum tantum Sacramentum, & ita pariter eosdem ordines una simul cum Sacerdotio constituere unum Sacramentum cum Episcopatu; contra est, quia ideo primum contingit, quia reliqui ordines cum Sacerdotio ordinem habent ad unum, eundemque effectum & finem conficiendæ Eucharistiæ; quo fine obtento ulterius progredi non possumus; Cum igitur Episcopatus ad hunc esse non possit, si esset ordo & Sacramentum, utique diversum ordinem, & Sacramentum constitueret.

104. Secundum argumentum est; Si Episcopatus esset ordo & Sacramentum à Sacerdotio distinctum, posset quis validè ad Episcopatum promoveri, antequam esset Sacerdos; sed hoc prorsus falsum est: ergo. Major suadetur paritate aliorum ordinum; constat enim, quod, cum alii ordines sint distincti, potest quis validè promoveri ad Diaconatum, antequam sit Subdiaconus; & ad Sacerdotium, antequam sit Diaconus: Hoc præsertim dicendum est, si consideremus, quod si Episcopatus esset hujusmodi, characterem imprimeret, qui esset superior Sacerdotali, atque istum includeret, sicut character Sacerdotalis includit characterem Diaconatus, atque ideo Episcopus ordinatus, etiamsi Sacerdos non esset, conficere posset Eucharistiam; quod est contra fidem.

105. Præterea; Sacramentum ordinis in Sabbatis quatuor Temporum confertur; Episcopatus autem tantùm in diebus Dominicis, & tandem ea ratione, qua Episcopatus dicitur ordo & Sacramentum ultra Presbyteratum, dici etiam possent Sacramenta, Archiepiscopatus, Patriarchatus, & multo magis Papatus; Sed hoc non: ergo nec illud. Hæc sunt negantis sententiæ potiora momenta.

§. II.

Ostenditur, Episcopatum esse ordinem & Sacramentum à Sacerdotio distinctum.

106. Doctores illi, quos supra retulimus, contendentes, Episcopatum esse qualem in titulo proposuimus, duplicem, ut debent, in Episcopatu potestatem distinguunt; Una ea est, quæ dirigitur ad Eucharistiam conficiendam; Alia, qua ordines conferunt, & alia hierarchica officia exercent; Juxta primam nec ordinem, nec Sacramentum à Sacerdotio distinctum agnoscunt; potestas enim hæc tam Episcopis, quàm Presbyteris communis est; tantum igitur de eo juxta posteriorem potestatem loquuntur.

107. Neque inficiari possum, plura, atque ea valida, pro hac opinione momenta produci.

Primum esse potest: quia ubi intervenit distincta materia cum distincta forma, concedi etiam debet diversus ordo, diversùmque Sacramentum; datis enim distinctis constituentibus, necesse est dari etiam distinctum constitutum; Res autem ita se habet, ut in Episcopatu sit omnino distincta materia cum distincta forma ab ea, quæ est in Sacerdotio, cum, si dicamus materiam esse manuum impositionem, hæc procul dubio distincta; si asseramus esse instrumentorum porrectionem, constat materiam Presbyteratus esse traditionem patenæ cum hostia, & calicis cum vino, quam non esse in Episcopatu, manifestum est: quod verò sit diversa forma constat in Pontificalibus, seu Ritualibus; Amplius argumentum hoc roboratur ex quo ita sit distincta materia cum distincta forma ut etiam conferatur diversa potestas spiritualis, quæ in eo consistit, ut Episcopus possit tanquam Minister ordinarius & ex officio confirmare, & solus possit omnes alios ordines conferre, seu ut inquiunt, Sacerdotes gignere.

108. Ex hac doctrina alia ratio consurgit; nam si Diaconatus est distinctus ordo, & Sacramentum à Subdiaconatu in adversantium Doctorum sententia; à fortiori Episcopatus erit sic distinctus à Sacerdotio; cum potestas, quæ confertur in Episcopatu, de qua supra, magis distet à potestate Sacerdotis, quam potestas Diaconi, quæ est legendi Evangelium, distet à potestate Subdiaconi, quæ est legendi Epistolam: Unde quemadmodum in primo casu non dicunt, per Diaconatum tantum extendi characterem Subdiaconatus, ita in secundo dicere non possunt, extendi characterem Sacerdotii: Præter quam quod hujusmodi characteris extensio non nisi difficulter explicari potest; ut videre est apud suos assertores.

109. Quemadmodum vero ad diversa omnino munera datur Episcopalis potestas; ita dari debet diversa gratia: Negari enim non potest, munera illa confirmandi, & ordines conferendi licitè sine gratia exerceri non posse, quare si ad obeunda cæterorum ordinum officia gratia distincta requiritur, sicut est distinctum officium; miror si etiam ad obeunda Episcopi officia, quæ difficiliora sunt, atque excellentiora, distincta gratia non requiratur.

110. Totum hoc amplius dici debet, si perpendamus, juxta Scripturas & Patres aliud affirmari non posse. Tam clara sunt Scripturæ testimonia, ut existimarem; vel contra hæreticos non posse ex Scripturis demonstrari, ordinationem esse verum Sacramentum; aut Episcopalem ordinationem Sacramentum esse, concedendum fore: Unde enim id ostendunt Doctores Catholici, imo & Concilium Tridentinum? certe ex ordinatione Pauli, & Barnabæ Act. 13., & præsertim ex Episcopali ordinatione Timothei, de qua dicit Apostolus: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*, idest Episcoporum, ut explicant Patres. Et: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Si igitur negares Episcopalem ordinationem Sacramentum esse, quo pacto ex hisce textibus ordinem esse Sacramentum, probare posses? Rursus; quo jure diceret laudatum Concilium sess. 23. cap. 4. *præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere*? Est profecto Episcopatus præcipuus ordo, in quo posuit Spiritus Sanctus Apostolos regere Ecclesiam Dei; & de quo dixit S. Leo epist. 12. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem cap. 4., ubi loquens de cælibatu, inquit: *Si in hoc ordine* (nempe Subdiaconatu) *qui quartus à capite est, dignum est custodiri*, intellige cælibatum, *quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate uxoria necdum frænasse cognoscitur*? atque de eo Gregor. Magnus lib. 4. in primum Regum cap. 5. sic effatur: *Qui in culmine ponitur, Sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio Sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur*. Plura alia addere potuissem, sed ista sufficiunt.

§. III.

Refelluntur argumenta adducta in §. I.

111. EX superioribus fundamentis argumentis illis facilis responsio; Ad primum respondent aliqui ordines octo esse, addunt enim revera septem recensitis etiam Episcopatum; neque ita se opponere arbitrantur Concilio Tridentino, cum Episcopatus exclusus non fuerit, sed inclusus in Sacerdotio, cujus ipse nobilior est species; Re-

Respondent alii cum Bellarmino; Episcopatum esse unum ordinem cum Sacerdotio genere, non tamen specie; dividitur enim Sacerdotium in Presbyteros ac Episcopos. unde assignato Sacerdotio tanquam ordine, non erat, cur etiam Episcopatus à Concilio expressè nominaretur. Res igitur ita se habet; Ut Episcopatus sit summum Sacerdotium necessario includens Presbyteratum sub qua consideratione Presbyteratum non excedit, & cum eo æqualem habet excellentiorem potestatem, qualis est illa conficiendi corpus & sanguinem Christi; unde & Presbyteratus appellatur supremus ordo, ad quem cæteri ordines diriguntur; ita tamen Presbyteratum includit, ut sub alia consideratione excedat, nempe juxta potestatem confirmandi, ordinesque conferendi, nec non alia munera hierarchica exercendi, ad quæ omnia nihil confert ordo Presbyteratus, sed potestas ista habetur per novam, distinctamque ordinationem. Aliis terminis idem explicabo. Sacerdotium vel consideratur adæquatè, vel inadæquate; Si primo modo, significat Episcopatum, qui sine Presbyteratu esse non potest; Si secundo modo, significat Presbyteratum tantum, nec sic complet Sacramentum ordinis: proinde admittimus Episcopatum tanquam ordinem, & Sacramentum; quin admittamus plures ordines, vel plura Sacramenta, quam septem; sicuti admittimus Diaconatum, & Presbyteratum tanquam Sacramenta, nec tamen Sacramentum ordinis multiplicamus.

112. Quod vero dicatur, ideo hoc contingere, quia reliqui ordines cum Presbyteratu ordinem habent ad unum eundemque finem conficiendæ Eucharistiæ, quo sine obtento ulterius progredi non possumus; Hoc verum est quantum ad præcipuum Sacerdotii munus, excellentioremque potestatem, & in hoc sensu Episcopatus à Presbyteratu non distinguitur; falsum tamen, quantum ad aliam potestatem ordines conferendi, quæ nullo modo ex vi ordinationis propriæ convenit Presbyteris; & in hoc tantùm sensu dicitur Episcopatus ordo distinctus, ac Sacramentum; sub qua etiam consideratione Episcopatus ad Eucharistiam ordinem habet, quatenus confert potestatem Eucharistiam conficiendi.

113. Ad 2. negatur major; jam enim dictum fuit, Episcopatum necessariò includere Presbyteratum, nec dari potest alicui potestas efficiendi Presbyteros, nisi prius sit Presbyter; non ita vel Diaconatus necessario includit Subdiaconatum, vel Presbyteratus Diaconatum; & ideo validè unus conferri potest sine alio; non sic validè conferri potest Episcopatus sine præsupposito Presbyteratu: & sic solvitur paritas, & quamvis verum sit, per ordinationem Episcopalem imprimi characterem, quia illa revera iterari non potest, non sequitur tamen imprimi characterem superiorem ac nobiliorem formaliter; sed tantum characterem novum cum nova potestate in Presbytero non existente, quia novus character imprimi non potest, nisi præsupposito charactere Presbyteratus, atque in hoc sensu dicimus, Episcopatum Presbyteratum includere, quia Presbyter esse potest, quin sit Episcopus; Episcopus autem esse non potest, quin sit Presbyter.

114. Atque ex his patet solutio cuidam argumento, quod instantia esse potest; nimirum Presbytero conferri duplicem potestatem, nec tamen conferri duplicem characterem: ergo à pari, quamvis Episcopo conferatur hæc nova potestas, tamen non confertur novus character, sed sicuti in Presbytero per potestatem secundam extenditur potestas prior, ita in Episcopo: patet inquam solutio, quia per unam integram ordinationem confertur Presbytero utraque potestas ex vi suæ ordinationis; non ita vero confertur potestas

stas Episcopi per ordinationem Presbyteri, sed necessaria est, nova ac distincta ordinatio. Pro hac re vide etiam quæ diximus à num. 81. usque ad numerum 88.

115. Tertium, quod opponitur, ridiculum est: Juxta communem eorum sententiam, omnes ordines, etiam minores, Sacramenta sunt; nec tamen eadèm feria conferuntur: Non est cur opponant diversam diem, hæc enim extrinsecè omnino se habet; imo, ex quo die Dominica conferatur Episcopatus, inferri posset esse præcipuum ordinem, & caput omnium ordinum; sicut dixit Leo Papa laudatus num. 110. cum dies Dominica præcipua sit, omnibusque præferatur,

116. Quod tandem dicitur de Archiepiscopatu, Patriarchatu, Papatu probat nihil; etenim non habetur distincta ordinatio, nisi quantum ad cœremonias; & ex vi ordinationis eadem potestas est in Episcopis, sed solum major jurisdictio conceditur.

§. IV.

Refelluntur argumenta adducta in §. II.

117. Opus satis arduum suscipio; cum non tam facili negocio resolvi possint illa argumenta, quæ laudato loco prolata sunt: dicam tamen quantum potero, tum aliorum doctrinam afferendo, tum etiam meam, si qua est, addendo.

Atque ad primum hæc responsio dari posset, in Episcopatus collatione propriè non reperiri materiam, & formam, sed tantum per quamdam similitudinem: eo modo quo etiam in collatione primæ tonsuræ dici posset, capillorum tonsionem se habere, ut materiam, & verba prolata ab Episcopo esse formam, cum tamen nec materia, nec forma propriè in ea sint, cum neque sit ordo, neque Sacramentum. Addit Rosignolus par. 1. de Ord. in comm. qu. 1. art. 3. num. 11. prius probandum esse, Episcopatum esse Sacramentum, & ordinem; deinde ex diversitate materiæ, & formæ diversum esse à Presbyteratu demonstrare: sed videtur non rectè procedere: nam sicuti non prius probatur compositum, quam assignetur materia & forma, sed ex materia & forma diversa assignatur diversitas compositi, ita non debet prius res aliqua probari Sacramentum, sed ex quo habeatur diversa materia, & forma cum reliquis ad Sacramentum pertinentibus, probatur Sacramentum. Quod autem in responsione dictum est de prima tonsura, ineptè dictum est; ostendant mihi in prima tonsura hominem deputari ad officium aliquod hierarchicum, pro cujus exercitio necessaria sit gratia, atque in ea tribui potestatem aliquam, quæ sit erga Sacramenta, & statim dicam, etiam primam tonsuram ordinem esse, atque Sacramentum.

118. Pro secundi argumenti solutione inquiunt, non quamcumque actionem sensibilem collativam alicujus potestatis inferre distinctum ordinem & Sacramentum, ut manifestum est in Presbyteratu, in quo per duplicem actionem distinctam confertur duplex potestas, nec tamen in secunda actione imprimitur character, sed tantum extenditur, & magis perficitur character jam receptus per primam, & ita ratiocinandum in casu nostro, per quod patet disparitas pro eo, quod dictum est de Diaconatu, & Subdiaconatu.

119. Ut autem explicent hanc characteris extensionem, majoremque perfectionem, in varias abiere doctrinas, quas quisque legere poterit apud Vasquez disp. 240. cap. 5., qui in hac re eodem modo loquitur de potestate quæ per Episcopatum recipitur, ac de potestate, quam recipit Presbyter in ordine ad dimittenda peccata: Mihi minus displicent ii, qui dicunt, hanc extensio-

sionem neque consistere in aliqua entitate de novo adveniente, neque in aliqua relatione, ut plures asseruerunt, sed perperam; sed in sola conjunctione cum nova aliqua actione, per quam illa prior entitas characteris ad plures effectus deducitur: Hoc ostendi potest exemplo animæ rationalis, quæ indivisibilis est; Hæc dum recipitur in fœtu nondum perfectè formato, exercet solummodo operationes vegetativas; dum corpus magis perficitur,& aptius disponitur, exercet etiam sensitivas; dum tandem corpus est perfectè completum, etiam rationales: Ita in re nostra character, qui imprimitur in ordinatione Presbyteri prout conjungitur solum cum prima actione collativa ejusdem ordinis, vim tribuit solummodo in corpus Christi reale, prout conjungitur in alia actione, vim tribuit in corpus Christi mysticum, prout tandem conjungitur cum consecratione Episcopali vim tribuit ad specialia munera in eodem corpore mystico obeunda.

120. Minus inquam displicent isti, sed minimè satisfaciunt: Primo; quia hoc exemplo probaretur, quod sicuti prima operatio animæ rationalis imperfectior est; ita prima potestas characteris Sacerdotalis esset inferior, cum tamen quibuscumque aliis sit præclarior: Secundo quia juxta mentem S. Thomæ, ejusdemque discipulorum, quos maximi faciendos semper existimavi, ita per per animam exercentur illæ operationes, ut prius sit anima vegetativa, & hæc destruatur per adventum animæ sensitivæ, quæ pariter pereat adveniente anima rationali: Verba Sancti Doctoris sunt ista 2. contra Gent. cap. 89. *Anima vegetativa, quæ est ab initio destruitur, & succedit anima eximior, quæ nutritiva & sensitiva est, qua etiam pereunte succedit anima hominis ab extrinseco immissa; quanquam antecedentes extiterint virtute seminis*. Quare si exemplum illud aptè explicaret, dicendum foret, quod per adventum unius potestatis alia potestas destrueretur. Tandem idem dici posset de Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu; ita ut idem character prout conjungitur cum una actione vim tribuat ad munera Subdiaconi, prout conjungitur cum alia, ad munera Diaconi, & tandem prout conjungitur cum alia, vim Presbyteri.

121. Ad tertium, non inficiantur gratiam requiri ad Episcopalia munera obeunda; sed sicut dicunt eumdem characterem extendi, ita inquiunt etiam extendi eandem gratiam.

Ea tandem, quæ dicta sunt n. 110. dicere possent probare, Episcopatum Sacramentum & ordinem esse, quod non negant, non tamen probare, esse ordinem distinctum, in quo est quæstio. Omnia modo perpende, & te judicem statuo.

Hic tantùm observes velim, semper me in responsionibus sermonem habuisse de Presbyteratu; nam si loquamur de Sacerdotio adæquatè sumpto, certum est, Episcopatum non distingui, aliter distingueretur à se ipso.

ARTICULUS II.

An Episcopi sint Presbyteris superiores.

122. PErantiqua hæresis fuit quorumdam dicentium, nullum discrimen esse inter Episcopos ac Presbyteros, cujus mentionem fecerunt S. Epiphan. hæres. 75. & August. lib. de hæres. cap. 53. Author ejus fuit Aerius quidam, qui cum Episcopatum obtinere non potuisset, invidia motus adversus Eustathium condiscipulum suum, qui ad Episcopi dignitatem fuerat promotus: *Quid*, dicebat, *est Episcopus ad Presbyterum? nihil differt hic ab illo, unus enim est ordo, & unus honor, & una dignitas; Imponit manus Episcopus, ita & Presbyter; lavacrum dat Episcopus, similiter & Presbyter, dispensationem cultus Divini facit Episcopus, Presbyter*

byter similiter; sedet Episcopus in throno, sedet etiam Presbyter &c.

123. Eundem errorem Waldensibus tribuunt Alphon. de Castro lib. adversus hæres. verbo *Episcopus*. Albertus Pighius lib. 2. Ecclesiast. Hierarch. cap. 20., nec non Gabriel Prateolus in Elencho hæresum verbo, *Pauperes de Lugduno*. Quid vero alii dixerint hæretici in sequenti declarabo. Interim

Dicendum. Episcopos esse Presbyteris superiores. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quem habent, illis esse cum Presbyteris, communem; anathema sit*; definivit Concil. Trident. sess. 23. can. 7.

124. Quam meritò hoc à Concilio statutum fuerit, videamus, & sic argumentum instituo. Episcopi sunt Presbyteris superiores, si in illis major sit potestas ordinis, major potestas jurisdictionis; sed ita est, ergo. Minorem probo de ordinis potestate, quæ tamen satis probata est in antecedentibus; quis enim ignorat, solos Episcopos ex officio proprio Ecclesiæ Ministros ordinare posse, atque confirmationis Sacramentum conferre? disertis verbis hoc docuit Epiphan. hæresi 75. *Ordo*, inquit, *Episcoporum ad gignendos Patres præcipuè pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Presbyter, cum Patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen Patres, aut Magistros*: Ut hæc omnia magis confirmes ea lege, quæ diximus de ordine in communi, ubi de Ministro ordinationis petractatum est.

125. Quod vero attinet ad potestatem jurisdictionis, attendas, nihil omnino licitè à Presbyteris fieri posse, si Episcopi desit facultas; multa verò, nec quidem validè; ex. causa absolutionem à peccatis: *Non licitum est sine Episcopo, neque baptizare, neque Agapem facere*, inquit Ignatius Martyr in epist. ad Smyrn. Plura iste dicit, quibus miro modo quod à nobis dicitur confirmatur. In suis epistolis, quas ad Smyrnenses, Magnasianos, Trallianos scribit, vel ita Presbyteros comparat Episcopo, sicut Christum hominem comparat Patri, vel ita Presbyteros Episcopo, sicut Apostolos Christo; *Omnes*, ad Smyrn. scribit, *sequimini Episcopum, ut Jesus Christus Patrem*. Utique Pater major est Christo, *Pater enim major me est*. Igitur & Episcopus major Presbytero. *Revereantur omnes Episcopum ut Jesum Christum, existentem Filium Patris, Presbiteros autem ut concilium Dei, & adjunctionem Apostolorum* scribit ad Trallian. Utique Christus major Apostolis, itaque & Episcopus Presbyteris. Plura alia habes in priori hujusce libri parte.

126. Quanquam quid plura? Nunquid Episcopi novi Testamenti minores sunt summo Sacerdote legis antiquæ? si hoc dicas, antiqua lege novam facis deteriorem; Res autem in illa ita se habebat, ut ibi essent minores Sacerdotes, apud quos jurisdictio non erat, sed apud Pontificem; lege librum Deuteron. cap. 17. igitur dicendum &c. quod ut amplius ostendam.

ARTICULUS III.

Quo jure Episcopi sint Presbyteris superiores.

127. Joannes Wicleffus, ut ex Waldensi tomo 1. Doctrinalis Filib. 2. art. 3. cap. 60., & ex Wilelmo Widefordo in lib. adversus eum, ita dicebat: *Tempore Pauli sufficiebant Ecclesiæ duo ordines Clericorum, Sacerdos videlicet & Diaconus; quia certum videtur, quod superbia Cæsarea alios gradus adinvenit*. Postea Calvin. lib. 4. Instit. c. 4. §. 2. ita scripsit: *Quibus docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros; Illi ex suo numero in singulis Civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex æqua-*

æqualitate, ut fieri solet, diffidia nascerentur, neque tamen sic honore, & dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in collegas haberet, sed quas partes habet consul in senatu, ut referat de negotiis, consulendo, monendo, hortando aliis præeat, auctoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi consensu fuerit, exequatur; id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu, atque idipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres: Igitur juxta Wiclef Cæsaris auctoritate Episcopi superiores erant; juxta Calvinum nullum dominium in Presbyteros habebant, & solùm Presbyterorum consensu quod dictum est præstabant.

128. Adversus omnes egit Concil. Trident. & sess. 23. cap. 4. hic ait: *Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse &c.* quod expressius definivit can. 6. hisce verbis: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; anathema sit.*

129. Nec Mehercle aliter definiri poterat; Inspiciamus ea omnia, ad quæ extenditur Episcopalis potestas, tum ratione ordinis, tum ratione jurisdictionis, ad quæ Presbyteri se non extendunt, atque illa jure Divino Episcopis convenire, manifestum erit; Ea ita Episcopis collata sunt, ut Episcopi sint successores Apostolorum, quod verò Presbyteris collatum est, ita concessum fuit, ut Presbyteri sint successores discipulorum; Apostolos jure Divino discipulis superiores fuisse, quis ambiget? Perpendat, dictum fuisse à Christo Apostolis. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum &c.* de discipulis vero hoc tantum refert Lucas. *Post hæc designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem Civitatem &c.* Perpendat, ita in Presbyteris convenire facultatem consecrandi, ut quamvis Episcopi impedire non valeant consecrationem, quæ sit valida; justis tamen de causis impedire possunt, ne sit licita, & ita convenire facultatem dimittendi peccata, ut ejus usum atque exercitium tantum ab Episcopis possint accipere, atque eam Episcopi possint suspendere, ad certas personas restringere, atque ad certa crimina limitare; ut fusius dicetur in quæstionibus de pœnitent. Quis etiam in rebus fidei ac morum aliquid definivit, tanquam judex? non certe discipulorum cœtus, sed Apostolorum collegium. *Visum est*, act. 15. dixerunt, *Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris &c.* Ad quem etiam pertinet, Presbyterum judicare? non ne ad Episcopum? Unde Paulus 1. ad Timot. 5. scribit: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus.* Tandem, ne infinitus ferme sim. Actorum 20. dictum fuit: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quæ cum omnia tempore Apostolorum servata sint, non humana, non Ecclesiastica, sed divinitus instituta Episcoporum superioritas est dicenda, atque ex istis satis compertum fiet, quantum desipuerint Wiclef. & Calvinus cum reliquis. Hoc amplius demonstrari posset ex iis, quæ perpetuo in Conciliis peracta sunt, in quibus Episcopi leges condiderunt, indignos deposuerunt, variisque pœnis, juxta criminis qualitatem, mulctarunt &c. quod certè non à consulibus, sed à judicibus jurisdictionem habentibus fieri tantummodo potest.

ARTICULUS IV.

Rejiciuntur argumenta contra praecedentia.

130. OPp. 1. Non sunt Episcopi vel absolutè superiores Presbyteris, vel multo minus jure Divino, si id pluribus in locis tradatur à Paulo; res ita est, ergo. Ut minorem probent, afferunt Apostolum ita loquentem de Episcopis ac Presbyteris, ut aliquando Presbyteros vocet Episcopos, aliquando Episcopos appellet Presbyteros, & quidquid de Episcopis dixerit, id etiam de Presbyteris affirmaverit. Quatuor porro loca sunt, ex quibus id colligere arbitrantur. Ad Philip. 1. sic scribit: *Paulus & Timotheus servi Jesu Christi omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus*. Per Episcopos hic intelligi Presbyteros, manifestum est; si enim Episcopi nomen significaret primum aliquem Sacerdotem ab aliis distinctum, non dixisset cum Episcopis, sed cum Episcopo; fieri enim non potest, ut in eadem Urbe sint plures Episcopi in sensu à nobis usurpato.

Ad Timot. 1. cap. 4. ait: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum Presbyteri*. Presbyter ergo idem est, quod Episcopus; cum in eo loco etiam Catholici fateantur, sermonem esse de impositione manuum facta ab Episcopis.

Ad Titum cap. 1. inquit; *Reliqui te Cretae, ut constituas per Civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi*. Et paulo infra addit: *Oportet, Episcopum irreprehensibilem esse*. Igitur Presbyteros ab Episcopis non distinguebat.

Denique Act. 20. sic legitur: *A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocavit majores natu*. Scilicet Presbyteros, & statim addit: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Itaque Presbyteri Episcopi erant, non ergo isti illis superiores, saltem jure Divino.

131. Primo Pauli testimonio non una responsio, ut videri potest apud Bellarminum; Illi tamen nos facile occurrimus juxta Commentaria Theodoreti, & Chrysostomi, quorum mentem, atque sententias protulimus sub initio hujusce quaestionis num. 99., idest Apostolorum tempore Episcopi nomen commune fuisse tam illis, quos nos Episcopos dicimus, quàm aliis, quos Presbyteros appellamus.

Ad 2. quid mirum si eo pacto scribit Apostolus? Nunquid Episcopi non sunt Presbyteri? sunt profecto, cum Episcopatus non nisi Presbyteris conferri possit; sed jam dictum fuit, omnem Episcopum esse Presbyterum, sed non omnem Presbyterum esse Episcopum.

Ad 3. eadem responsio adhiberi potest, quam supra attulimus, scilicet tunc nomina communia fuisse, in eo autem loco locutum esse Paulum de Episcopis, non ita ut in eadem Civitate essent plures Episcopi, sed ut unicuique Civitati, quae erat in ea insula, suus Episcopus praeficeretur, fidem facit laudatus Chrysostom. in ejusdem epist. Comment. ubi ait: *Episcopos intelligi vult; neque enim profecto vult insulam totam uni viro permitti, sed unicuique propriam curam ac sollicitudinem indici.*

Quod attinet ad quartum; dicunt aliqui, eos, quos *majores natu* vocat Apostolus versu 17., quosve mittens Ephesum, Miletum advocavit, non esse eosdem, quos versu 28. nominavit Episcopos, quam responsionem colligunt ex Irenaeo lib. 3. cap. 14. Aliqui superiori utuntur doctrina, nempe Episcopi nomen commune tunc fuisse; Aliqui, & arbitratu meo melius, quando dixit Paulus: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos &c.* alloquutum fuisse non solum Ephesiorum Episcopum, sed etiam aliquos vicinarum Asiae Civitatum.

132. Sed, ut omnia clarius, & facilius

cilius resolvamus, observandum cum S. Epiphanio hær. 75. in aliquibus locis extitisse Episcopos cum Diaconis sine Presbyteris, in aliquibus fuisse Presbyteros cum Diaconis sine Episcopis, atque ita factum esse, ut ubi Apostolus Episcoporum mentionem habuit, de Presbytero omnino siluerit; Ecce verba Epiphanii adversus Aerium ita dicentis: *Non novit ille, qui consequentiæ veritatis ignarus est, & historias profundissimas non legit; quod cum recens esset prædicatio, S. Apostolus pro re nata, velut habebat, scripsit; Ubi jam Episcopi erant constituti, scripsit Episcopis & Diaconis; non enim omnia statim potuerunt Apostoli constituere: Presbyteris enim opus erat, & Diaconis, per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt; Ubi verò non inventus est quis dignus Episcopatu, permansit locus sine Episcopo: Ubi autem opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Cum autem multitudo non esset, non inventi sunt inter ipsos, qui Presbyteri constituerentur, & contenti fuerunt solo Episcopo in loco constituto. Verum sine Diacono impossibile est esse Episcopum. Et curam adhibuit S. Apostolus, ut Diaconi essent Episcopo propter ministerium. Sic Ecclesia accepit complementa dispensationis, sic illo tempore erant loci.*

133. Opp.2. Explicationes à nobis expositæ opponuntur omnino doctrinæ S. Hieronymi, qui ea omnia docuit, quæ dixit Aerius: Rem ita esse, plura S. Doctoris testimonia possunt ostendere. In comment. capitis primi epist. ad Tit. hæc habet; *Idem est ergo Presbyter, qui & Episcopus, antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabatur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus Presbyter electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Præterea idem confirmat in epist. ad Evagrium, in qua postquam probavit, Episcopum, & Presbyterum Apostolor. tempore idem fuisse, hæc addit: *Quod unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet; nam & Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: Quomodo si exercitus Imperatorem faciat, & Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.*

134. Hæc omnia perpendens Michael Medina, censuit, Hieronymum Aerii errori apertè favisse, imo Doctor iste etiam alios Patres, Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum &c. eamdem habuisse sententiam, affirmat; & lib. 1. de sacrorum hominum origine, & continentia cap. 5. ait: Illorum dictum ab Ecclesia toleratum, aut dissimulatum fuisse, quia in reliquis erant Sanctissimi, ac Sacrarum Scripturarum consultissimi; In hæreticis verò fuisse damnatum, quia in multis aliis ab Ecclsia declinabant. Hoc quam ineptè, ac inconsideratè protulerit, ostendere nolo; quamvis dicere possem, hoc injurium esse Patribus, quos Aerii sectatores facit; injurium Ecclesiæ, quæ in uno toleret, ac dissimulet sententiam prius in alio condemnatam; injuriam omnibus Theologis, qui Patres producere erubescerent, quos toleratos agnoscerent. Quod si Waldenses Hieronymi testimonio utebantur, quid inde? Nonne hæretici omnes Pauli testimoniis utuntur? dicat igitur & Paulum fuisse hæreticum.

135. Sed quidquid Medina dixerit; quantum Hieronymi doctrina ab illa hæreticorum distaverit, declaremus. Inquit: *Idem est ergo Presbyter, qui & Episcopus*, hoc verum est, quia revera Epi-

Episcopus est Presbyter, nec esse potest, quin sit hujusmodi; & quia idem tunc erat utriusque nomen, quamvis non esset idem utriusque gradus, & character; *Antequam diceretur in populis; Ego sum Pauli, Ego sum &c. communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabatur*. Hoc concedimus, si sermo sit de usu, atque exercitio externæ jurisdictionis, ac regiminis Ecclesiastici, ad quod ab Episcopis sponte sua vocabantur Presbyteri; negamus tamen, si loquamur de charactere, ordine, ac jurisdictione interna, & sui origine & primaria institutione considerata; & tunc, quando schisma corinthiacum exortum est, Episcopi regimen, ac jurisdictionem concessam ad se advocarunt: & revera dici non potest, tantum post hocce schisma Episcopos fuisse institutos juxta Hieronymi mentem, nisi illum dicamus historiam Ecclesiasticam prorsus ignorasse: constat enim, S. Jacobum Hierosolymorum Episcopum fuisse creatum; S. Petrum Antiochiæ sedisse, & Evodium successorem suum ordinasse; nec non Marcum fuisse Alexandriæ Episcopum ante illius schismatis tempora; ita ergo decretum fuit, ut unus Presbyter electus superponeretur cæteris, idest, ut unus, qui jam ordine ac charactere alios jam antecellebat, usum & exercitium ab Episcopo concessum ad se revocaret; in quo sensu etiam intelligendus est, quando dixit, Episcopos esse majores Presbyteris consuetudine magis, quàm dispositione Divina. Eadem utimur responsione etiam iis, quæ scripsit in epist. ad Evagrium, nempe eosdem esse Presbyteros ac Episcopos nomine, usu & exercitio jurisdictionis externæ; non vero ordine, charactere, ac jurisdictione interna cum facultate illum usum & exercitium removendi, atque impediendi: & quod dicat; Presbyteros semper unum ex se electum in excelsiori gradu posuisse, atque Episcopum nominasse; hoc ita intelliges, ut unus ex illis assumeretur, qui in Episcopum consecraretur; non ita vero, ut tantum eligeretur; imo in Alexandrina Ecclesia evenit, ut eligerentur in Episcopos etiam Diaconi, ut evenit in Athanasio, qui postea ad Presbyteratum promotus fuit, & inde ad Episcopatum: Neque obstat exemplum illud Imperatoris, qui ex militibus eligitur, & Archidiaconi, qui ex Diaconis; etenim est exemplum, in quo idem modus nequaquam servatur.

136. Cœterum; Sanctum Hieronymum id docuisse, quod à nobis traditum est, pluribus ex ejusdem testimoniis declarare non prohibemur, aut sibi ipsi contradixisse, dicant hæretici; In lib. de script. Eccles. in Jacobo, dicit Jacobum continuò à Christi ascensione Hierosolymorum Episcopum fuisse ordinatum; Episcopos esse Presbyteris superiores epist. ad Evag. probat exemplo Aaronis, qui certè super alios eminabat, & dicit; *Ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron & Filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicant in Ecclesia*. Et in epistolam ad Tit. cap. 3. asserit, Episcopos similes esse Moysi, & Presbyteros septuaginta Senioribus, quos Moyses elegit; in eadem epist. ad Evagr. ordinandi Ecclesiæ Ministros potestatem Episcopis tribuit, quam Presbyteris negat; *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat*? Et in dial. contra Luciferianos tam altè sentit de Episcopi dignitate, ut dicat; *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si non exors quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot erunt in Ecclesia schismata, quot Sacerdotes*. Quibus expositis hoc argumentum propono. Episcopi per respectum ad Presbytetos sunt sicut Aaron per respectum ad alios Sacerdotes, & sicut Moyses per respectum ad septuaginta seniores; sed Aaron & Moyses jure Divino fuerunt illis superiores, ergo & Episcopi jure Divino superio-

rio-

riores Presbyteris. Rursus. Episcopis id facere ex vi ordinis convenit, quod Presbyteris nequaquam conceditur, & ab ipsorum potestate ac dignitate pendet Ecclesiæ pax & tranquillitas, quæ utique de jure Divino est; ergo. Non me latet Blondellum integrum librum edidisse, ut Hieronymum ad oppositam sententiam detorqueret; sed inanis, sicut in cæteris, ejusdem labor. Qua in re vide Petavium de Eccles. Hierarch. lib. 5. per plura capita.

137. Quod si ex Ecclesiasticis monumentis constat, Presbyteros in Conciliis suas cum Episcopis protulisse sententias; ex hoc cum istis eorum æqualitatem inferre non licet: nam sententias protulerunt disputando & consulendo, non quidpiam definiendo; aut si quidpiam etiam cum Episcopis definierunt, hoc ex propria ordinatione, innataque potestate ipsis datum non est, sed solùm ex licentia Episcoporum, ut statutum fuit in pluribus Conciliis, & Gregor. XIII. an. 1581. Concilio Rothomagensi respondit, *Abbates commendatarios, Capitulorum deputatos vocem dumtaxat consultivam habere: Episcoporum Procuratores posse, si Concilio Provinciali placuerit, & decisivam habere*.

138. Quod Michael Medina profert ex SS. Ambrosio, Chrysost., Theodore., & Augustino, ut probet, etiam istos Sanctos Patres in nostra non fuisse sententia, non produco, vel enim juxta dicta solvuntur, vel ex verbis, quæ in eorumdem sunt testimoniis, rejecta reperiuntur.

ARTICULUS V.

De materia, & forma Episcopatus.

139. CUM dictum sit, Episcopatum esse ordinem & Sacramentum distinctum à Presbyteratu, ejus materiam & formam assignemus oportet; Ut vero hoc clarius fieri contingat, ritum, quo in Episcoporum ordinatione utitur tam Ecclesia Græca, quàm Latina, prius exponemus. Juxta Ecclesiam Latinam Episcopus, qui consecrare debet, librum Evangeliorum apertum adjuvantibus Episcopis assistentibus imponit super cervicem & scapulas consecrandi. Secundo ipse, & alii Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, & dicunt, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* deinde mitra deposita consecrator dicit: *Propitiare Domine supplicationibus nostris &c.* Post hæc caput ejusdem chrismate inungit, dicens: *Ungatur, & consacretur caput tuum &c.* inde baculum pastoralem benedicit, & consecrato tradit hisce verbis: *Accipe baculum &c.* idemque facit tradens annulum benedictum hisce aliis: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum &c.* Hisce peractis accipit librum Evangeliorum de scapulis consecrati, & adjuvantibus Episcopis assistentibus porrigit eum clausum consecrato, qui sine manuum aperitione illum tangit, & dicit: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso &c.* Exinde consecrans ad pacis osculum accipit consecratum; Mitram postea benedictam ejus capiti imponit adjuvantibus aliis Episcopis, dicens: *Imponimus Domine &c.* tandem chirotecas benedictas manibus præstat, & dicit: *Circumda Domine manus &c.* Totum hoc in Pontificali Romano.

140. Juxta Ecclesiam Græcam, qui ordinandus est, ad Pontificem, aliosque assistentes Episcopos adducitur ante Altare, & utrumque genu flectens sacræ aræ fronte incumbit; Tunc consecranti charta porrigitur, in qua scripta sunt hæc verba. *Suffragio & consensu Deo amabilissimorum Episcoporum, & reverendorum Presbyterorum, Divina gratia, quæ semper infirma curat, & ea, quæ desunt, adimplet, promovet N. Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum à Deo custoditæ Civitatis N. Oremus igitur pro ipso, ut veniat*

niat super eum gratia Spiritus Sanctissimi &c. Statim, recitata hac oratione, imposita manu una cum pallio, librum Evangelii explicatum imponit capiti ordinandi, quem Episcopi alii contingunt, & tres cruces in ejus capite efformans, manumque ei impositam tenens, orationem pronuntiat, quæ est, *Domine Deus noster &c.* qua expleta unus Episcoporum ex coordinantibus submissa voce, quam vicini Pontifices, qui respondere debent, tantùm audiant, dicit: *In pace Dominum precamur &c.* qua oratione peracta Episcopus consecrans impositam manum ordinati vertici tenens, precatur hoc modo. *Domine Deus noster &c.* & post *Amen*, Evangelii librum sacræ mensæ imponit, ordinatoque pallium præbet, dicens, *Dignus &c.* Tunc ordinatum deosculatur, sicut & reliqui, & omnibus in consessum ascendunt, sed prior omnibus ordinatus, qui pacem precatur, sumptoque pretiosissimo corpore & sanguine Christi ordinanti, & reliquis communionem distribuit. Hæc omnia referunt Goarius in Rituali Græcorum, & Arcudius lib. 6. Concordiæ, de Sacram. Ord. cap. 2.

141. Est igitur quæstio in quibus ex istis actionibus sint materia, & forma essentialis hujusce ordinationis. Hæc est etiam dirimenda juxta principia à nobis alibi stabilita; Quapropter

Dico 1. Manuum impositio est materia essentialis Episcopalis ordinationis. Hac enim usi sunt Apostoli, dum aliquem in Episcopum ordinarunt, ut constat ex epist. Pauli ad Timot. Hanc omnibus sæculis adhibuit tam Ecclesia, Græca, quam Latina; De hac loquitur Concilium Carthagin. 4. eamque omnes Patres, qui usque ad octavum seculum scripserunt, pro Episcopis ordinandis usurpandam esse, designarunt; Quid igitur ultra requiritur, ut eam essentialem materiam statuamus? præsertim cum illi gratiam affixam esse, ex Pauli testimoniis pluries dictum sit.

142. Hoc mihi certum est; utrum verò ad hujusmodi partialem materiam pertineat etiam liber Evangeliorum capiti ordinandi impositum, tam firmo judicio stabilire non possum; Scio, Apostolos conferentes Episcopatum codicem istum non adhibuisse, cum neque ex Scriptura, neque ex traditione id probari posse videatur. Scio, Alcuinum in lib. de Divinis Officiis in tit. *Qualiter Episcopus ordinetur in Ecclesia Romana* asserere, Ecclesiam istam prioribus seculis ritum hunc non servasse, & Amalarium lib. 2. pariter de Divinis Officiis cap. 14. hæc habere. *Dicit libellus*, ideft ordo Romanus, *secundum cujus ordines celebratur ordinatio apud quosdam, ut duo Episcopi teneant Evangelium super caput ejus, quod neque vetus authoritas intimat, neque canonica*. Scio tandem ex Morino exerc. 2. cap. 1. num. 5. Aliquas Episcoporum ordinationes in Ecclesiis Alexandrina, Germanica, & Gallicana sine tali ritu fuisse peractas; quibus positis, Evangeliorum librum Episcopalis ordinationis essentialem materiam non esse, concludendum apparet.

143. Ex alia tamen parte perpendo, istius libri usum in laudata ordinatione semper fuisse tam in Ecclesia Græca, quam in Latina, quod jam diximus, dum utriusque Ecclesiæ ritum paucis supra protulimus; ejusdem usus perantiquam apud Scriptores esse mentionem; ut apud Clementem Romanum lib. 8. Constit. Apostolic. cap. 4. Dionysium Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 5., Chrysost. hom. de Legislat. nec non Concil. Carthag 4. an. 398. quod cap. 2. dicit: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum codicem super caput ejus, & uno super eum fundente benedictionem &c.*, quæ omnia in multis Ritualibus Græcis & Latinis antiquissimis habentur. Qua de re fundamenta allata num. 142. parum firma & vera existimanda sunt; atque

atque omnia jure merito posse negari.

144. Nec est cur reponant, quod, cum imponitur super ordinandi caput Codex Evangeliorum, nihil pronuntietur, proinde materia esse non possit, quia huic esse debet adjuncta forma, quæ tantùm in verbis consistit; vel hujusmodi impositioni nihil gratiæ à Patribus tribui, aut eam variis modis in diversis Ecclesiis servari; siquidem, ut dictum est, juxta Ecclesiam Romanam tenetur liber ille super caput ordinandi, donec dicatur à consecrante, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* & fundatur oratio incipiens, *Propitiare Domine &c.* & similiter juxta Ecclesiam Græcam, sicut præmonuimus; atque hoc pacto libri impositio conjungitur moraliter cum verborum prolatione, quod sufficit. Secundum, quod dicitur, omnino falsum est; Audi Dionysium loco laudato dicentem: *Quoniam perfectiva omnis Sacerdotii virtus ac scientia Pontificibus à Deo afflatis datur, jure ac merito Pontificiis capitibus imponuntur divinitùs inspirata Evangelia, quæ comprehensivè & scientificè manifestant Dei verba, Dei opera, Deique visiones.* Audi & Chrysostomum eadem homilia sic scribentem. *Idcirco cum ordinantur, Evangelium Christi capiti imponitur, ut discat is, qui ordinatur, veram se recipere Evangelii tiaram, atque ut discat, quamvis sit omnium caput, se tamen legibus istis subjici, & eum, qui omnibus imperat, legis imperio subesse &c.* Quod ultimo loco opponitur, nihil probat, varietas enim illa tantùm accidentaria est, idem in substantia significans.

145. Omnino oppositum censendum est de traditione baculi, & annuli Episcopalis, nec non de capitis unctione, aliorumque, quæ descripta sunt, siquidem hæc omnia in Ecclesia Græca nec usum obtinuerunt, nec obtinent; imo nec semper adhibita fuerunt in Ecclesia Latina, ut patet ex Concilio Carthaginensi 5., quod describens c. 2. Episcopi ordinationem hęc omnino prętermittit; & certe cum hæc omnia traduntur, jam Episcopalis ordinatio essentialiter peracta est; nec nisi ad explicandam acceptam potestatem conferuntur; Liber enim Evangeliorum ipsi secundo traditur, ut signum sit potestatis, quam habet ex officio prædicandi Evangelium, & reliquis illam communicandi; baculus Episcopalis, ut ejus jurisdictio jubendi, corrigendi, excommunicandi significetur; annulus in symbolum conjugii spiritualis, quod cum sua Ecclesia contraxit; inungitur caput propter auctoritatem, dignitatem, & Principatum, quem super alios in Ecclesia accepit; manus vero propter ministerium, & officium benedicendi, ac consecrandi, quæ omnia sunt ferme eadem verba cum iis, quæ habet Innoc. III. *de Sacra Unctione* cap. 1. Potestatem igitur hæc magis denotant jam tributam, & ad sacras spiritualesque cœremonias reducuntur; non tamen ad ordinationis substantiam, & valorem spectant.

Ex hisce conjice in quibus verbis statuenda sit forma essentialis; illa enim est, quæ essentialem materiam determinat.

QUÆSTIO VI.

De Ministro Ordinationis Episcopalis.

ARTICULUS UNICUS.

Quinam sit Minister &c. & utrum unus sufficiat.

146. PAludan. in 4. dis. 7. qu.4. art.3. docuit, improbabile non esse, simplices Sacerdotes posse per Summi Pontificis dispensationem Episcopum consecrare; quod expressius tradidit Aureolus, apud Capreolum in 4. dis. 25. quæst. 1. art.2. id statuens de quocumque ordine sine aliqua exceptione, proinde etiam de Episcopatu; Omnes tamen alii Theologi unanimi constantique consensione, à solo Episcopo Episcopum consecrari posse defendunt, siquidem major à minori benedici non potest; prçter alia, quæ diximus, ubi de Ministro ordinationis sermonem habuimus.

147. Præcipua difficultas est in eo, quod secundo inquirebatur; nempe, utrum unus Episcopus sufficiat, ut alter validè in Episcopum ordinetur; quod ut clariùs, ac distinctiùs resolvatur.

Dico 1. saltem ex præcepto Ecclesiæ ad ordinationem unum Episcopum non sufficere.

Pluribus momentis hoc licet ostendere. Primo quidem ex facto deinde ex jure in pluribus Conciliorum, & Summorum Pontificum sanctionibus expresso. Ex facto inquam, cum dicat Apostolus 1. ad Timot.4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii* idest cœtus Episcoporum ut explicant Chrysostom., Oecumenius &c. & nos alibi diximus; Eusebius quoque lib. 2. Hist. cap. 1. refert, Jacobum minorem ordinatum fuisse Episcopum Hierosolymitanum à Petro, Jacobo majore, & Joanne.

Quid vero in hac re Concilia non statuerunt? In Arelat.I. can.20. ita statuitur: *De his, qui usurpant sibi, quod soli debeant Episcopos ordinare; placuit, ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis sibi aliis septem Episcopis: si tamen non potuerit septem infra tres non audeat ordinare*. In Concil. Nicæno 1. can.4. hæc leguntur. *Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari; Si autem hoc difficile fuerit, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus pari modo decernentibus, & per scripta conferentibus, tunc ordinatio celebretur*. Concil. Carthagin. 3. ut alia prætercam, can. 39. sic loquitur. *Forma antiqua servabitur, ut non minus, quàm tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum*. Quod ad Summos Pontifices pertinet, in sequenti assertione declarabitur.

148. Dico 2. Unum Episcopum non sufficere, non solum habetur ex Præcepto Ecclesiastico, sed etiam divino.

Hoc in primis suadeo ex epist. 2. decretali Anacleti Papæ cap. 1. ubi post relatam Beati Jacobi primi Hierosolymorum Episcopi ordinationem factam à Petro, altero Jacobo, & Joanne, ait. *Igitur consultationibus vestris plenius respondissemus, si licuisset, sed infirmitatis, ac Reliquarum opressionum onere pressi, breviter prout Dominus tribuit, à Beato Petro Principe Apostolorum sumus instructi, à quo & Presbyter sum ordinatus, scribere vobis, sicut petiistis, non denegavimus*, ubi notentur illa verba, *prout Dominus tribuit &c.* dixerat autem supra, datam fuisse formam, ut

non

non minus, quàm à tribus Episcopis ullatenus Episcopus ordinetur. Idem tradidit etiam Anicetus Papa in epist. unica ad Episcopos Galliæ, ubi relatis verbis Anacleti jam laudatis, subdit. *Si autem non minus, quam a tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus Episcopus, patet profecto, eos formam, instituente Domino, tradidisse, non minus quam à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere.*

149. Quia vero quidam hæc ab Anacleto, & Aniceto scripta esse, vel in dubium revocare, vel etiam inficiari posset; ideò ad alia momenta me vertam, quæ ex Patrum traditione mihi suppeditantur; quique senserunt, ordinationem, factam ab uno tantum Episcopo, ita irritam & vacuam esse, ut non solum foret illicita, sed etiam nulla: Hoc tradit Cyprianus, qui epistol.68. ad Clerum, & plebes in Hispania, inquit loquens de ordinatione Basilidis, & Martialis in Episcopos. *Diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione observandum est & tenendum, quod &c.* Hoc Damasus Papa in epist.4. qui, ut probet, Chorepiscopos veros Episcopos non esse, quia tantum ab uno Episcopo ordinabantur, Patrum authoritate fretus ita scribit. *Quod enim Episcopi non sint, qui minus quam à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet. Quoniam, ut bene nostis, prohibitum à sacris est Patribus, ut qui ab uno, vel à duobus sunt ordinati, Episcopis, neque nominentur Episcopi. Nomen non habent, qualiter officium habebunt?* Hoc amplius in Concilio Regiensi statutum fuit; ubi non solum puniuntur duo Episcopi, qui aliquem ordinare Episcopum ausi essent; sed de illa ordinatione talia sunt verba. *Itaque ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam censuimus, in qua prætermissa trium præsentia &c. prorsus nihil, quod Episcopum faceret, ostensum est.* Denique, ut brevitati consulam; in 2.Tomo Conciliorum Joannes III. in epist. unica sic habet; *Omnia maxima Concilia affirmant, cum non esse Episcopum, qui minus, quam à tribus Episcopis &c. fuerit factus.* Ex quibus patet quod probandum à nobis erat.

150. Dico tamen tertio; Duos, vel unum tantùm Episcopum ex commissione, seu dispensatione facta, esse Episcopalis ordinationis idoneum Ministrum.

Hoc adeo perspicuum arbitror, ut si aliud quidpiam dicamus, canones ac definitiones servare non possimus. Quidquid enim superius dictum est; probat; aut in ipsis fuisse contradictionem; aut fuisse dispensationem, aut ordinationes Episcopales, quæ modo fiunt, nullas esse.

Perpendo Patrum dicta, perpendo Conciliorum Statuta; atque ita rem se habere invenio; ut aliqui septem Episcopos exigant, aliqui saltem tres, aliqui saltem duos ad ordinationem requirant, & ferme in omnibus sermo est de omnium Provincialium Episcoporum consensu atque probationis necessitate. Eorum testimonia, qui saltem tres Episcopos necessarios esse testantur, producta sunt; illorum vero, qui dicunt, duos sufficere, modo subjiciam, & paucis contentus ero. Canon. 1. inter illos, qui Apostolici circumferuntur ita decernit: *Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis ordinetur.* S. Clemens lib.3. Constit. cap.20. inquit: *Jubemus, ut à tribus Episcopis Episcopus ordinetur, & ut minimum à duobus, ita ut ab uno constitui non possit:* Et Simon Cananeus apud eumdem lib.8. Const.cap.27. & loco laudato, ita loquitur: *Quod si necessitas coegerit ab uno ordinari, quod propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum.* Et tandem Gregorius tertius scribens ad Bonifacium Moguntinum, ait: *Quoties Episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum Episcopi.*

Quo pacto igitur, nisi in hac re dispensatio vel commissio esse possit, conciliabuntur illa testimonia, in quibus apertissimè saltem tres Episcopi necessarii asseruntur? Si autem dispensatio, & commissio revocari potest ad duos quare non ad unum? Ad unum profectò revocavit Gregorius Magnus respondens Augustino Anglorum Episcopo inter ejus Decreta cap. 8. ut in 2. Tomo Concil. Interrogaverat Augustinus. *Quot necessarii sint Episcopi in Episcopi consecratione*. Rescribit. *In Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus Episcopus inveniris ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopis potes*. Idest, *solus potes*. Quæ lectio convenientior est, atque connaturalior, quàm alia, quæ ab aliis adhibetur, scilicet, *Cum Episcopis potes*. Nulla enim ex causa præmisisset Gregorius illa verba, *in qua adhuc solus Episcopus inveniris*, si voluisset significare, posse Augustinum tantùm cum aliis Episcopis ordinationem impertiri. Quod si Gregorius addit laudatis verbis. *Nam quando de Galliis Episcopi veniunt, illi in ordinationem Episcopi tibi assistent* hoc indicat, concessionem illam tandiu duraturam, quandiu plures Episcopi deficient. Hujusmodi etiam dispensationem factam esse à Gregorio XIII. Patriarchæ Æthiopiæ, ut solus posset, si expediret, Episcopos ordinare, scribit Henriquez to. 1. lib. 10. cap. 24., pluresque alii subscribunt.

151. Neque etiam pro hac re desunt exempla, præsertim verò Evagrii, quem à solo Paulino ordinatum esse scribit Theodoretus; & tamen ejus ordinatio ab omnibus occidentalibus Episcopis fuit recepta, atque approbata: sed fortasse præclarius est aliud Siderii, quem solus Philo ordinavit, ut scribit Sinesius epist. 67., qui licet illam illicitam arbitratus sit; attamen invalidam non judicavit; imo de ea sic loquitur: *Formidolosis temporibus summum jus prætermitti oportere: ideoque magnum Athanasium tempori id dedisse, ac non multo post cum exiguam adhuc orthodoxæ fidei scintillam, quæ in Ptolemaide erat, fovere, ac magis accendere oporteret, hominem illum*, nempe Siderium, *majoribus regendis idoneum eo commigrare jussisse, ut Metropolitanam Ecclesiam gubernaret*. Nulla alterius ordinationis mentio facta est; prior igitur tanquam valida fuit recensita: & si dicas cum Tournely, existimasse Athanasium, in casu illo urgentissimæ necessitatis, ac Ecclesiæ utilitatis, posse ab uno Episcopo aliquem in Episcopum consecrari, Deo supplente quod ex parte hominum deerat; id sine aliquo fundamento asseres; nec unquam in aliis Sacramentis audivi à Deo suppleri aliquid essentiale ad illorum valorem & substantiam, si desit: aliter dicere posses Eucharistiam etiam à Laico validè consecrari posse Deo supplente quod ex parte hominis deest.

152. Quotiescumque igitur dictum fuit in superioribus, ordinationem factam sine tribus Episcopis invalidam esse, irritam &c., intellige quantum ad effectum & licitum usum; non tamen quantùm ad substantiam: Certè etiam legis, invalidam judicatam esse, si facta fuisset sine facultate Metropolitani, & sine consensu Provincialium Episcoporum; & tamen lex ista modo sublata est, & ex Pontificis dispensatione, commissione, diversisque statutis non solum valida, sed etiam licita est ordinatio absque &c.

153. Quomodo igitur, inquies ordinationem fieri à tribus Episcopis de jure Divino affirmatum est, si potest Pontifex dispensare, atque aliter committere?

Respondeo; etiam confirmationem dandam esse ab Episcopo esse juris Divini; & tamen probatum suo loco fuit, per Summi Pontificis dispensationem, & commissionem dari posse à simplici Sacerdote; Unde quod ibi dictum est, hic etiam servata proportione dicendum. Addi etiam potest, id à nobis

bis dictum eſſe de jure Divino latè dicto, in quo ſenſu omne id quod à Chriſto & Apoſtolis factum eſt, jus Divinum poteſt appellari.

QUÆSTIO VII.

De Epiſcoporum Electione.

ARTICULUS I.

Ad quem pertineat Epiſcoporum electio.

154. QUOD de Epiſcoporum electione ſtabiliemus; idem etiam de electione aliorum Miniſtrorum judicium ferendum eſt.

In hac re docuit primo Joan. Wiclef., Epiſcoporum, Paſtorumque Eccleſiæ electionem ad ſolum Deum pertinere; exiſtimavit enim ſolos juſtos ac prædeſtinatos Paſtores atque Epiſcopos eſſe poſſe; Solus autem Deus, quinam ſint juſti, ac prædeſtinati, cognoſcere poteſt. Hunc ejuſdem errorem fuiſſe refert Thomas Waldenſ. tom. 1. Doctrinalis Fidei lib. 2. cap. 39., & colligitur ex Concilio. Conſtant. ſeſs. 8. & 15. à quo damnatæ fuerunt, inter alias propoſitiones, iſtæ duæ. *Si Papa ſit præſcitus, & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ab aliquo ſibi datam, niſi forte à Cæſare. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

155. Martinus Lutherus, Joannes Calvinus, Mathias Illyricus, cœterique noſtrorum temporum hæretici inquiunt, Epiſcopos eligere ad totam Eccleſiam, nempe ad Clerum & ad populum jure Divino pertinere; ita ut, ſi deficiat populi conſenſus, nemo legitimus Epiſcopus habendus ſit; atque ita concedunt, ſolis Paſtoribus manuum impoſitionem convenire; ut tamen nomine totius Cleri, ac populi imponant, cum fieri nequeat à toto Clero, ac populo imponi. Eorum mentem brevius, clariuſque explicabo, ſi ipſorum verba in medium producam. Lutherus in lib. de poteſtate Papæ ita loquitur: *Hunc ritum per multas epiſtolas Cyprianus commemorat, ſemper ſuffragium populi, & judicium propinquorum Epiſcoporum ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem eſſe cum fiducia pronuntiet.* Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 3. §. 15. ſic ſcribit. *Habemus, eſſe hanc legitimam ex verbo Dei Miniſtri vocationem, ubi ex populi conſenſu, & approbatione creantur, qui viſi fuerint idonei; Præeſſe autem electioni debere alios Paſtores, ne quid vel per levitatem, vel per mala ſtudia, vel per tumultum à multitudine peccetur.* Illyricus vero cent. 1. lib. 2. cap. 4. inquit: *Habet Eccleſia in quolibet loco tum Laicorum, tum Clericorum conjunctim poteſtatem eligendi, vocandi, & ordinandi Miniſtros idoneos.* Similia habent alii.

156. Dico 1. contra Wiclef., Epiſcopos non à ſolo Deo eligendos eſſe.

Id primò ſuadeo evertendo Wiclefi fundamentum. Ideo enim ad ſolum Deum Epiſcopos eligere pertineret, quia tantùm boni, ac prædeſtinati eligendi ſunt; ut eſſe poſſint veri Paſtores, ac Miniſtri; at quam falſum ſit hoc conſtat ex electionibus ab ipſo Deo factis; elegit enim Saulem in Regem, qui reprobus erat; elegit & Judam in Apoſtolum, qui proditor fuit.

Secundò idem probo ex quo non à Deo ſolo, ſed ab Apoſtolis Actor. 6. fuerunt electi Diaconi; inter iſtos autem

tem fuit unus, nempe Nicolaus, qui inde fuit hæresiarcha.

Tertiò; inquiro, quo pacto à Deo hujusmodi electio facienda foret; certè vel modo invisibili, vel signo aliquo visibili; utrumque dicere stultissimum est: si fieri deberet modo invisibili, hoc nobis nihil prodesset, cum semper ignotum esset, quemnam Pastorem habere, & agnoscere deberemus; non aliquo signo visibili, cum experimento constet, hæc visibilia signa rarissimè contigisse, & dicat mihi Wiclef. utrum sibi, aut alteri ex suis aliquod unquam visibile signum datum sit.

157. Fortasse dicet, electionem faciendam esse per sortem, quam dirigit Deus, juxta illud prov. 16. *Sortes mittuntur in sinu, à Domino autem temperantur*. Et sicut factum legimus ab Apostolis act. 1. cum elegerunt Mathiam.

Id si affirmat, licitum erit tentare Deum; cum neque desit humanum consilium, quo sapienter electio fieri possit; nec Deus sortium eventum promiserit: Neque Salomonis dictum suffragatur; non enim ibi denotavit, omnia per sortes gubernanda esse, ac divinæ providentiæ relinquenda; sed sortium exemplo demonstrare voluit, nihil tam fortuitum contingere, quod divino dominio, ac providentiæ non subsit.

Inane etiam in re nostra est illud Apostolorum exemplum; primò quia id ab ipsis actum est non absque peculiari Spiritus Sancti inspiratione; ut quemadmodum alios Apostolos Christus ante mortem per se ipsum elegerat; ita & per se ipsum post resurrectionem Apostolorum collegio alterum sociaret. At ex hoc non licet inferre; ita semper faciendum esse, cum fuerit peculiare privilegium, quod raro conceditur, ut observat Beda in illud caput, & Hieronym. in illud Joan. 1. *Et dixit vir ad Collegam*: privilegia singulorum facere non possunt legem communem. Præterea. Chrysost. hom. 3. in acta Apostol. aliique Patres Apostolos excusant, quod id fecerint, quia nondum Spiritum Sanctum acceperant, & revera post adventum Spiritus Sancti septem Diaconos non sorte, sed consilio, & voluntate sua elegerunt: Quanquam non est cur excusentur; agebatur tunc enim de duobus tantùm, & ambo digni erant; ita ut nullum periculum esset; sive unus sive alter eligeretur; in quo casu licitum esse sortibus uti docet S. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana c. 28., ubi proposito casu, quo quidpiam in eleemosynam erogandum esset, & occurrerent duo pauperes æquè indigentes, ait: *Nihil justius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset*. Aliæ non deessent responsiones, sed istæ pro hac re sufficiant.

158. Dico 2. contra Novatores, electionem Episcoporum ad populum non pertinere.

Hoc declaraturus exordium sumam ab electione Aaronis facta in veteri testamento: Hic certè non fuit electus à populi multitudine, sed à Moyse, ut habetur Levit. 8., Moysem autem fuisse Sacerdotem asserit David psalm. 98. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Et Philo lib. 3. inquit: *Hæc fuit vita Moysis Regis, Legislatoris, Vatis, Pontificis*. Prosequar exemplo Christi, qui Joan. 20. dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, quibus verbis declarat, ita ab Apostolis post ejus discessum Ecclesiam fore gubernandam, sicut ipse gubernavit, dum visibiliter erat in mundo; Christus autem elegit Apostolos, & septuaginta duos Discipulos absque populi suffragio; Atque ita revera fecerunt Apostoli; qui nullo expectato multitudinis consensu Jacobum elegerunt in Episcopum Hierosolymitanum, aliosque plures, quos mittebant ad populos absentes, & infideles, quod est maximum argumentum: Qui enim dicunt ad populum pertinere Episcoporum electionem; ideo hoc asserunt, ne po-

populus accipiat Pastorem, quem nec novit, nec cupit.

159. Hisce pondus addent Conciliorum decreta, Sanctorumque Patrum testimonia. Ex Conciliis clarissima sunt verba Laodiceni 1. can. 13., quæ sunt ista: *Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium promovendi*. Et si diceret Calvinus, excludi per hunc canonem electionem factam à populo solo sine interventu seniorum, perperam diceret; quia cum semper interfuerint seniores, nihil per Concilium definitum fuisset. Clarissima alia Concilii 4. Constantinopolitani, seu octavi Generalis. Ecce quod statuit can.28. *Sancta, & universalis Synodus definit, neminem laicorum Principum, vel potentum semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cujuslibet Episcopi; præsertim cum nullam in talibus potestatem, quemlibet potentium, vel cæterorum laicorum habere conveniat; sed potius silere, ac attendere sibi, usquequo regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis*. Alia duo momenta præterivi. Unum est in Concilio Martini Papæ cap. 1. Decretorum Martini Bracarensis, quod sic habet. *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur; sed in judicio Episcoporum sit*. Alterum Nicæni secundi can.3. ita statuentis. *Omnem electionem, quæ fit à Magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere; Oportet enim eum, qui est promovendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi*.

160. Ex Patribus sufficiat id quod ait Hieronymus in epist. 85. ad Evagr., & à nobis in anteced. productum fuit, nimirum; *Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionisium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant*. Cur verò in Sanctorum dictis congerendis immorabor, cum centum non deessent exempla, quibus compertum sit, absque ullo populi non solum consensu, sed etiam notitia, Episcopos electos fuisse? An non Athanasius Frumentium Episcopum Indorum creavit, nec quidem Indis cogitantibus? lege Rufinum lib. 10. Historiæ cap.9. An non Gregorius Magnus, si Angli fidem recepissent Augustinum designavit Episcopum, atque ab Arelatensi Episcopo ordinari jussit; quin Angli vel eligerent, vel quidpiam ab ipsorum votis expectaretur? lege Bedam lib. 1. Anglorum Historiæ. An non &c. Ex quibus omnibus, aliisque infra dicendis, certo certius est, ad populum jure Divino Episcoporum electionem minimè pertinere. Meritò propterea Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. hæc habet: *Declarat Sancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis Sæcularis potestatis, & Magistratus consensum, sive vocationem, sive authoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio*. Et can.7. definit: *Si quis dixerit ordines collatos sine populi, vel potestatis Sæcularis consensu, aut vocatione irritas esse; anathema sit*.

ARTICULUS II.

Afferuntur Hæreticorum argumenta.

161. PLura præteribo utpote quæ ex aliarum Quæstionum notitia facilè refelli possunt; & tantùm præcipua in medium producam.

Primò. Ipso sub Ecclesiæ initio Ministrorum electio populi suffragio facta est; ergo jure Divino ea populo convenit; Ant. ostenditur ex iis, quæ habentur Act. 6. legitur enim. *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt &c. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia &c. & placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum*

num &c. Vides, à multitudine electionem factam fuisse.

Secundò. Vetustissima fuit consuetudo in Ecclesia Christi per tot sæcula servata, ut, nonnisi accedente populi suffragio, nulla fieret Episcoporum electio, & secus facta irrita haberetur: exempla plurima non desunt tam in Ecclesia Orientali, quàm Occidentali; pauca referam: Eusebius lib.3. de Vita Constantini cap. 60. refert electionem Eusebii Cæsariensis in Episcopum Antiochenum; Constantinus verò hac de re scripserat ad Episcopos, atque in illa epistola inquit: *Hoc litteris vestris continebatur, ut juxta populi, ac prudentiæ vestræ suffragium, ac voluntatem Eusebius Ecclesiæ Antiochenæ præsideret*. Chrysostomi etiam electio ita peracta est, ut populus suum suffragium contulerit, & inde Arcadius Imperator manum suam dederit; scribente Sozomeno lib.8. Historiæ cap. 1. *Postquam Populus, & Clerus suffragium suum contulissent, etiam Imperator adstipulatus fuit &c.* atque hujusmodi electionis mentionem facit Palladius in Chrysostomi vita, dicens: *Viri Sacerdotalis quidem ordinis, sed nihil habentes dignum Sacerdotio, dum meritis diffidunt suis, Pontificis solium electione fidelium adipisci desperantes &c.*

162. Quanquam in hac re immorandum non sit, utpotè certissima, ac tradita ab omnibus ferme Concilis, ac Patribus: Concilium Carthagin. 4. formulam edidit, juxta quam ad Episcopatum promovendi deberent examinari; & addidit can. 1. *Cum in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè institutus, tunc cum consensu Clericorum, & Laicorum &c. ordinetur Episcopus*. Toletanum 4. can. 18. statuit; Nec ille deinceps Sacerdos erit, quam nec *Clerus, nec populus propriæ Civitatis elegerit &c.* In Caroli Magni capitularibus lib.1. c.84. leguntur hæc verba. *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Ecclesia suo liberiùs potiretur honore, ad sensum ordini Ecclesiastico præbuimus; ut scilicet Episcopi per electionem Cleri, & Populi secundùm statuta Canonum de propria Diæcesi eligantur*. Idem servatum fuit in omnibus electionibus usque ad Sæculum 12. neque singula nobis placet commemorare.

163. Quidquid à nobis dici posset, satis superque jam dixerunt Patres. Plura procul dubio occurrerent Cypriani testimonia, sed duo præcipua sunt lib.1. epist.4. sic autem ait. *Plebs obsequens præceptis dominicis, & Deum metuens, à Peccatore præposito separare se debet, nec se ad Sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa maxime habeat potestatem eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi; quod & ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur*. Rursus sic scribit. *Diligenter, de traditione divina, & Apostolica observatione servandum est, & tenendum quod apud nos quoque, & fere per Provincias universas tenetur; ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit &c.* Observa, Sanctum Doctorem divinam auctoritatem, divinam traditionem, & Apostolicam observationem in hisce locis commemorare. Idem etiam tradidit S. Leo epist. 12. dicens; *Cum de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postularit &c. ne Civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa, quàm convenit, cui non licuerit habere, quem voluit*.

164. Quare autem dixerit Cyprianus id à divina traditione, & auctoritate descendere, necnon ab Apostolica observatione, arbitror, id in causa fuisse;

ſe; quod ex aliquibus ſcripturæ locis id colligi poſſe videatur, & erit aliud hæreticorum argumentum: Joan. 10. præcipit Dominus, ut alienorum vocem homines non ſequantur, nec audiant, ſed illorum; quos noverint; affert enim exemplum ovium, *quæ illum ſequuntur, cujus vocem ſciunt, alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum*. & Matt. 7. jubemur, ut fugiamus falſos Prophetas; igitur divinum mandatum populo datur Chriſtiano, quo tenetur ad bonos paſtores inquirendos, vocandoſque; falſos vero ac improbos reicijendos. Præterea affertur id quod dictum eſt primo loco num. 161. necnon factum Mathiæ & Barnabæ, qui à tota multitudine electi ſunt, ut unum ex eis Deus aſſumeret.

165. Denique ſunt quædam Concilia, quæ intelligi non poſſunt, niſi populo Epiſcopos eligendi poteſtatem concedamus. Tale eſt Nicænum, quod in epiſt. ad Alexandrinos penès Theodoretum lib. 1. hiſtoriæ cap. 9. ita ſcribit. *Dignum eſt, vos poteſtatem habere & eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi, qui Clero ſunt digni, & abſolutè facere omnia ſecundum leges, & ſanctiones Eccleſiæ; ſi quem verò contigerit requieſcere in Eccleſia, tunc provehi in honorem Defuncti eos, qui nuper aſſumpti ſunt, ſolummodo ſi videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente ſimul, & deſignante maximè Alexandrinæ Civitatis Epiſcopo*. Obſerva illa verba, *poteſtatem habere eligendi, populus eos elegerit, condecernente & deſignante &c.* ita ut ſimul cum populo decernat & deſignet Epiſcopus. Tale eſt Concilium generale 2. in epiſt. ad Damaſum apud Theodoret. lib. 5. hiſt. cap. 9. ubi hæc leguntur. *Reverendiſſimum ac Deo amabilem Nectarium Epiſcopum ordinavimus coram univerſali Concilio cum omni concordia, ſub aſpectu etiam Deo amabilis Impratoris Theodoſii univerſique Cleri, cuncta decernente pariter Civitate*. Propterea dicendum ſupereſt &c.

ARTICULUS III.

Refelluntur præcedentia argumenta.

166. Paucis hæc omnia à nobis rejicienda ſunt; & ſi diceremus populum quidem elegiſſe Epiſcopos, alioſque Eccleſiæ Miniſtros, ſed facultate ſibi data ab Apoſtolis, & Eccleſia, non autem jure divino, ut contendunt hæretici, omnia adducta concederemus, & nihil ab ipſis probaretur. Revera autem res ita ſe habuit. Atque incipiamus à primo, quod protulerunt, juxta quod explicanda erunt cœtera. Quis convocavit multitudinem? Certè Apoſtoli; Quis convocatæ multitudini dixit, *Conſiderate ergo fratres &c.* certè Apoſtoli; ſed ad quid convocarunt, ad quid conſiderandum ſuaſerunt? *Quinam viri eſſent boni teſtimonii*. Ita ut ad multitudinem pertineret viros eligendos cognoſcere, & teſtes fierent, an quis dignus eſſet, vel indignus. Ecce totam electionis facultatem ibi multitudini conceſſam: Quod quidem licet æquali modo hiſce temporibus ab Eccleſia non ſervetur, attamen ſuo modo ſervatur, cum Epiſcopus publice ex altari interroget Archidiaconum, utrum ordinandi ſint digni, & reſpondet; Quantum humana fragilitas patitur, ſe illos dignos agnoſcere, ſtatimque addat Epiſcopus. *Si quis habet aliquid contra illos pro Deo, & propter Deum cum fiducia excat, & dicat*.

167. Ad 2. fatemur illam conſuetudinem vetuſtiſſimam fuiſſe, atque per tot ſæcula ſervatam, negamus tamen eam jure divino fuiſſe introductam & ſervatam; ita ut quamvis ſervata non fuiſſet, adhuc ordinatio fuiſſet valida, & licita: Id enim actum eſt ſolùm ex Epiſcoporum, & Eccleſiæ conceſſione, ut plebis votis magis ſatisfieret, & nullus

lus de electo conqueri posset; atque ut etiam de iis, qui eligendi erant, haberent bonum, ac securius testimonium. Cœterum, quamvis plerumque in Episcoporum ordinationibus id fieret; non ita tamen totius plebis suffragiis adstringebantur Episcopi, ut aliquando populi electionem vel non anteverterent, vel negligerent; ut patet ex iis, quæ à nobis dicta sunt; Peregregiè in re nostra inquit Cyprianus epis. 33. alloquens Clerum, & Populum. *In ordinationibus solemus vos consulere Fratres charissimi, & mores & merita singulorum communi consilio ponderare*. Ecce quid Clerus, & Populus faciebant, nempe vocati consilium dare, mores ac merita proponere; addit inde Cyprianus: *sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt Divina suffragia &c.* nota illa verba, *testimonia humana*. Juxta hæc explica reliqua, quæ de electione, consensu, suffragio populi vel in Conciliis dicuntur, vel in Patribus.

168. Adeo firmum existimant hæretici quod ex Cypriano oppositum est, ut quid Lutherus dixerit, notum sit ex num. 155. sed fallitur impietas hujus, falluntur & illi; Nos vero mentem Cypriani ostendendo, quod supra dictum est, magis confirmabimus. Novi, potissimam vim illius argumenti in illis verbis positam esse, quibus fit mentio Divinæ auctoritatis, Divinæ traditionis, Apostolicæ observationis; Sed observare debuissent, Divinam auctoritatem, Divinam traditionem, Apostolicam observationem desumi posse vel ab iis, quæ in Scripturis sunt tanquam exempla, vel ab iis, quæ sunt tanquam præcepta. Ea, quæ sunt tanquam exempla indicant, esse Divinam auctoritatem, & traditionem, ut similia fieri possint; non tamen ut fieri debeant: In priori sensu appellat electionem Episcoporum aliorumque à Divina auctoritate, ac traditione descendere, non in posteriori: Et quod ita sit, si textum Cypriani consideremus, satis apparet; post enim recitata verba relata in objectione, sequitur: *Sicut in Numeris Dominus præcepit Moysi dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus &c. Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem; id est, instruit, & ostendit ordinationes Sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur; & sit ordinatio justa, & legitima, quæ omnium suffragio, & judicio fuerit examinata*. Observa afferri exemplum, quo potius probatur nullum jus esse in Laicis eligendi; certum enim est in lege veteri, non fuisse à populo Sacerdotes electos; & simul afferri finem, ob quem Laici in Episcoporum electionibus admittebantur, nempe ut aliquorum crimina, siqua essent, detegerentur, & aliquorum merita prædicarentur; Nihil igitur ex Cypriani doctrina contra nos potest inferri.

169. Leonis testimonium explica, sicut superiora; & observa ibi dici, *quem Cleri populique consensus concorditer postulavit*. Quibus verbis certissimè infertur, ipsis jure Divino electionem non convenire. Eodem modo ad Concilium Nicænum; & adverte ibi expressè dici *secundum leges & sanctiones Ecclesiæ* quibus indicatur, Ecclesiam id concessisse; juxta quam concessionem loquitur pariter aliud laudatum Concilium.

170. Superest modo, ut argumentum ex Scripturis repetitum rejiciamus. Quo pacto ex illis, quod insanè docent, confirmare possint, ego non video: Certè alienam vocem audire nemo debet; illa autem aliena vox est, quæ aliquid docet contra Christi, & Ecclesiæ doctrinam; quo in casu, si quis esset tam Improbus Pastor, qui falsa dogmata determinaret, deberent laici ab illo fugere, non tanquam illius judices, sed tanquam illi, qui dicere debe-

rent

rent Ecclesiæ, ad cujus curam pertineret, vel illum corrigere, vel eum ab officio removere: audiant igitur vocem illorum, quos noverint sanam doctrinam edocere; illos autem corrigendos, vel deponendos satagant, qui verbo & moribus oves perdunr, & mactant; atque sic illos fugient, tanquam falsos Pastores, si etiam Pastores nomine possunt appellari. Circa Matthiam & Barsabam jam dictum est quomodo fuerit unus electus, & quo pacto multitudini datum sit ambos eligere, ut quem Deus vellet, assumeret, constat ex dictis.

ARTICULUS IV.

Quibus potissimum de causis Ecclesia ab Episcoporum electionibus summoverit, tam Clericos, quàm Laicos; atque adduntur nonnulla de Concordatis.

171. CUM probatum sit, Episcoporum electionem olim ad Laicos ex Episcoporum & Ecclesiæ conniventia, ac concessione, nunquam verò ex jure Divino pertinuisse; Ecclesiam summovere potuisse hujusmodi facultatem, in controversiam vocari non potest: Manifestum est hoc in aliis, quæ ad disciplinam pertinebant, & pro aliquo tempore opportuna videbantur; inde vel fuisse mutata, vel omnino sublata; Qua de re nunc breviter perpendendum sese objicit, quibus potissimùm de causis id in nostro puncto actum sit.

172. Totum, quod à nobis dici poterit, jam dixerat, præter alios, Chrysostomus lib.3. de Sacerdot., cujus ista sunt verba. *Vis & aliud tibi pugnæ hujus genus aperiam periculis mille plenum? Ito hinc jam, ac publica festa spectato: ea dico, in quibus dignitatum Ecclesiasticarum electiones de more fiunt, & tam multis inibi videbis criminationibus lacerari Episcopum, quanta est illa tota subditorum multitudo.*

173. Incommoda igitur, quæ ex populari electione proficiscebantur, ea fuerunt, quibus Ecclesia permota fuit ad removendum cujuscumque electionis genus à Laicis, ac Clericis. Si enim de Laicis loquamur, ferme omnes imperiti sunt, & quamvis vellent, quinam sit Sacerdotio & Episcopatu dignus, rectè judicare non possent; Si enim Valentinianus Imperator, cum ad eum deferretur ab Episcopis electio Episcopi Mediolanensis respondit apud Theodoretum lib. 4. Hist. cap. 6. *Major res est, quam ut nobis conveniat; Vos autem gratia Divina præditi, & illius splendore fulgentes meliùs eligetis.* Quantò magis id dicendum foret de plebe indocta, nullisque disciplinis instructa? Quid, Deus bone, in discernendis veri Episcopi dotibus, agent mercatores, agricolæ, statuarii, pictores, fabri? &c.

174. Sit jus apud populum eligendi, quid à stultissimo vulgo expectandum? Plures esse insipientes homines ac impios, quam cordatos ac pios, experimento comparamus; Pars igitur major prævalebit; atque ita fiet, ut emeriti viri in angulo delitescant, ac negligantur; præficiantur vero pessimi, iique, quos sibi magis indulgentes, atque etiam ex suo gremio noverint exortos; *Argumentum pessimi turba est*, fuit Senecæ dictum.

175. Sed, quod maximè perpendendum est, electiones populares fere semper tumultibus ac seditionibus obnoxiæ sunt; Ratio naturalis hoc suadet, & quamvis non suaderet, id in re nostra confirmant exempla. Hoc in electione Piniani contigisse, scribit S. Augustinus epist. 110. & alibi; Quid verò non refert Ruffin. lib. 11. Hist. cap. 11. de dissensione exorta Mediolani in Episcopo designando? Ecce illius verba. *Dissensio gravis, & periculosa urbi propriæ maturum parabat exitium.* Amplius verò in electione Sancti Damasi debaccatum est. Tanto animi ardore partes inflammatæ fuerunt, ut testibus Ammiano lib. 27. & Hieronymo in Chro-

Chronico, fuerint in templo 137. homines interfecti.

176. Sed si res ita est, inquit Calvinus, hæc incommoda semper fuerunt, nec tamen à veteribus hujusmodi electio à Laicis submota fuit; alia igitur ratio reddi non potest, nisi quia juris esse Divini, existimabant.

Falsum omnino est, hæc incommoda semper fuisse; Primis enim temporibus fideles pauci erant, iique ferventiores in fide, atque in moribus perfectiores, & postea cum introducta jam consuetudine, auctoque fidelium numero, sed non aucta pietate, ac debita Ecclesiæ subjectione ea exorta sint, non statim Ecclesiæ visum fuit, rem totam ad se avocare, sed paulatim, & servata omnium tranquillitate eam ad perfectum redigere; De reliquo in variis Conciliis, ut nos jam præmonuimus, jam res cœperat definiri, quamvis adhuc non servaretur, sed tandem in Concilio Lateran. 4. sub Innocentio III. can.24. omnis Laicalis potestas abrogata est; atque in Concilio Bituricensi magis hoc fuit confirmatum, ac definitum.

177. Ut vero inter Sacerdotium & Regnum pax summa servaretur, neque jurgiis ac dissensionibus locus daretur, varia concordata inter Pontifices Summos, ac Principes facta sunt, juxta quæ in Episcoporum electionibus diversæ mutationes sunt factæ.

Anno 1448. inter Nicolaum V. Papam, & Fridericum III. Imperatorem, & nationem Germanicam ita res inita fuit. 1. Ut Germani liberis & canonicis electionibus fruantur; dummodo tamen electiones fiant in Ecclesiis Episcopalibus, & Abbatialibus, & electi per Bullas Pontificias confirmentur. 2. Ut Summo Pontifici reserventur omnia beneficia eorum, qui moriuntur in curia, vel duabus non longè diætis, omniumque Cardinalium, & Ministrorum Curiæ Romanæ, ubicumque obierint; de reliquis verò beneficiis sic ratio habeatur, ut sex Pontifici alternatim menses tribuantur incipiendo à mense Januario; eo tamen pacto ut si post tertium mensem, quo vacare incæperit beneficium, Pontificia provisio non innotescat; ad ordinarium illa pertineat; quibus tamen tribus mensibus elapsis jus præventionis Papæ superfit, etiam si facta ab eo provisio post ordinarii nominationem fiat nota. 3. Ut Annatæ Episcopatuum & Abbatiarum Apostolicæ Sedi debeant exsolvi. 4. Ut Pontifici Maximo reserventur omnia beneficia, quæ per dispositionem, vel privationem vel translationem factam per Apostolicam Sedem vacaverint, &c. 5. Ut Papa conferre possit Episcopatus, & Abbatias, nisi canonicæ electiones ad eum referantur tempore, quod Nicolaus Papa III. statuit in decretali *Cupientes* in sexto. 6. Licet electiones forent canonicæ, attamen ex rationabili & manifesta causa, possit Pontifex alium digniorem, atque Ecclesiæ utiliorem nominare; sic tamen ut simul accedat consilium Cardinalium, juxta decretalem laudatam Nicolai Papæ III.

Alia concordata inita fuerunt Bononiæ inter Leonem X., & Franciscum I. Galliarum Regem; nec non inter alios Pontifices pluresque Principes occidentales, de quibus omnibus agit Thomassinus tomo 2. in lib. de veteri, & nova Ecclesiæ disciplina, quæ quisque legere poterit, nobisque in eisdem rescribendis fastidium non leve contingit.

Hic etiam de variis Episcoporum gradibus, quales sunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi sese locus exhiberet agendi; sed cum de ordinibus tantùm, non de diversis dignitatibus institutum præsens postulet pertractari, ideo præterimus. Unum est, quod omittere nequaquam nobis permittitur, nempe de Chorepiscopis, propter id, quod promisimus cap.4. de ordin. in communi §.2. num.70. Quare sit.

CA-

CAPUT UNICUM.

De Chorepiſcopis aliqua.

178. Chorepiſcopi illi dicebantur, qui in pagis ac villulis aliqua Epiſcoporum munera obibant; atque ideo ipſorum in præfatis locis erant Vicarii; cœteriſque Presbyteris ac Clericis velut Moderatores loco Epiſcoporum præſidebant. Quam antiquus fuerit eorum ordo, ſeu dignitatis gradus, communis Scriptorum opinio eſt, ſæculo tertio exordium ſumpſiſſe; cum prima eorum expreſſa mentio habeatur apud Græcos in Concilio Ancyrano can 12. & Neocæſarienſi can.43. an.314.; & apud Latinos in Concil Regienſi can.3. an.439.

179. Quænam autem eſſent illa munera, quæ vices agentes Epiſcoporum exercere poterant, vel actu exercebant, omnia exiſtimo præter ordinationem Presbyterorum, & Diaconorum, tum confirmationem, nec non Templorum, & Altarium conſecrationem. Quod de Presbyterorum & Diaconorum ordinatione dictum eſt, apertè traditur à Concil. Ancyrano can. 12. in quo legitur; *Chorepiſcopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare; ſed nec Presbyteris Civitatis &c.* ſicut legit Dionyſius exiguus; quod etiam in capitularibus Caroli Magni cautum eſt, ubi habetur. *Ut Chorepiſcopi, ſeu Vicarii Epiſcoporum, nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent.* De reliquis, quæ dicta ſunt, ſatis dixerunt Damaſus in epiſt.3. Leo epiſt. 86., & Joannes III. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ; Utrum verò, ex facultate ipſis data ab Epiſcopis, poſſent Subdiaconos ordinare, affirmat Concilium Antiochenum can. 10. dicens: *Nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent, niſi tantùm Subdiaconos*; negat vero apertiſſimis verbis Damaſus in laudata epiſtola; Cœteri verò nec negant, nec affirmant, ſed omninò prætereunt.

180. Utcumque res ſe habeat, de qua ampliora leges apud Balſamonem, Morinum, De Marca, alioſque plures: iſta Chorepiſcoporum dignitas, & nomen prorſus evanuerunt, nec in Eccleſia Græca & Latina aliquod ipſius ſupereſt veſtigium. Ne deinceps Chorepiſcopi crearentur, ſtatutum fuit in lib. 6. capitularium cap. 119., & anno 888. à Leone III. & Patribus in Metenſi conſilio congregatis propter ipſorum vanam, ac temerariam præſumptionem prorſus extincti: Quod ſi in aliquibus locis quidam tolerati fuerunt, cauſam reddit Hincmarus tomo 2. Conciliorum Galliæ dicens: *Quidam Epiſcopi ſcandalum pro ſua quiete, & voluptatibus intromiſerunt ordinantes Chorepiſcopos, & eis, quæ Summis Pontificibus conveniunt agere permittentes; Quos Apoſtolica Sedes ſæpius reprobavit, & Apoſtolico mucrone recidit, ſicut in decretalibus eorum, qui voluerit recenſere, inveniet.*

181. Ex iſtis jam manifeſtum fit, non à Chriſto Domino, ſed tantùm ab Eccleſia Chorepiſcoporum inſtitutionem fuiſſe; Quod enim fuit à Chriſto inſtitutum non multum poſt temporis ab Eccleſia obſervatum eſt & admiſſum, nec ſemel obſervatum & admiſſum potuit abrogari; Chorepiſcopatus autem, ut ſuperiùs dictum eſt, per priora ſæcula in Eccleſia non fuit, nec ulla illius mentio in antiquis Eccleſiaſticis monumentis, in quibus tamen reliqui ordines deſcripti reperiuntur, & ex alia parte jam prorſus deletus eſt, ut videmus; ergo.

182. Hæc paucis à nobis de Chorepiſcopatu dicta ſunt, & modicam ingerunt apud eos, quos eruditos vocant, difficultatem; major controverſia excitatur apud eos in ſtatuendo, utrum Chorepiſcopi, de quibus in ſacris Canonibus eſt ſermo, fuerint veri Epiſcopi. Petrus de Marca lib. 2. concordiæ c. 13. Morinus par. 3. de Sacris Ordination. exercit. 4. cap. 2., nec non Thomaſſin. de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina circa benef. par. 1. lib. 2. cap. 1. putant, Chorepiſcopatum ex vi ſuæ inſtitutionis & ordinationis fuiſſe purum officium ac miniſterium ad levamen ferendum Epiſcopis, ad quod officium plerumque promovebantur Presbyteri. Oppoſitum exiſtimavit Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus in opuſc. de Chorepiſcopis, cujus ſententiam nonnulli amplexi ſunt, præſertim Honoratus Tournely.

183. Iſtius opinionis fundamenta poſſunt eſſe, quæ ſubdo, quæve ad hunc ſylogiſmum revocantur. Qui veram habuerunt Epiſcopalem ordinationem, & Presbyteros ac Diaconos ſaltem ex licentia Epiſcopi ordinare poſſunt, ſunt veri Epiſcopi; atqui Chorepiſcopi habuerunt veram ordinationem Epiſcopalem, & de licentia Epiſcopi Presbyteros ac Diaconos ordinare poterant; ergo erant veri Epiſcopi. Quamvis aliqui ſint, qui majorem negarent quoad ſecundam partem, cum illis perſuaſum ſit, Presbyteros ſimplices ex delegatione poſſe Presbyteros ac Diaconos ordinare; attamen à nobis ex alibi ſtabilitis concedi debet; Ut vero minor probetur, duo Concilia afferuntur. In Ancyrano can. 12. hæc leguntur: *Chorepiſcopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare ſine præcepto Epiſcopi &c.* Licitum igitur erat adveniente Epiſcopi mandato. In Antiocheno can. 10. hæc habentur. *Qui in vicis, & poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint; tamen Sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoſcant, ut gubernent ſibi ſubjectas Eccleſias, earumque moderamine curaque contenti ſint; Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant; Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare, præter Civitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione ſubjectus eſt. Si quis autem tranſgredi ſtatuta tentaverit, depoſitus, quo utebatur honore, privetur: Chorepiſcopum verò Civitatis Epiſcopus ordinet, cui ille ſubjectus eſt;* Plura in hoc canone obſervat laudatus Tournely, quibus quod ſua intereſt demonſtrare contendit; præſertim verò illud eſt, quod ordinationes à Chorepiſcopis factas Concilium irritas non dicit, ſed tantùm depoſitionis pœna ſtatuitur. Reliqua vero ex infra dicendis nullius momenti cenſenda ſunt.

184. Aliud etiam, & fortaſſe validius momentum, arbitrantur deſumere ex Nicolao I. Pontifice Maximo in epiſ. ad Rudolphum Archiepiſcopum Bituricenſem, qui an. Chriſti 864. ipſum conſuluit circa controverſiam Chorepiſcoporum, quæ eo ſæculo Gallicanam Eccleſiam in partes dividebat. Reſponſio fuit hujuſmodi. *A Chorepiſcopis aſſeris multas eſſe in Regionibus veſtris ordinationes Presbyterorum & Diaconorum effectas, quos quidam Epiſcoporum deponunt; quidam verò denuò conſecrant; Nos verò dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas conſecrationes. Ad formam enim ſeptuaginta Chorepiſcopi effecti ſunt, quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officia? Sed quia Sacri Canones vetant, ne omnes omnia ſibi vindicent, ac per hoc dignitas Epiſcoporum ad Chorepiſcopos ſuos transferri videatur, ſiatque vilior honor Epiſcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas ulterius fieri.* Vides primò, ordinationes factas à Chorepiſcopis validas cenſeri; ſecundo, eas ordinationes tantùm juxta canones eſſe prohibitas, & Chorepiſcopos

pos esse ad formam septuaginta discipulorum, quos Episcopos fuisse fatetur.

185. Non nulla alia proferuntur; Primò. Plura Chorepiscopis concessa fuisse, quæ aliis Presbyteris minimè permittebantur, ut præsente Episcopo offerre Sacrificium. 2. Pacificas, seu commendatitias epistolas concedere Presbyteris viatoribus, ac peregrinantibus. 3. Conciliis interesse, ipsisque suam subscriptionem apponere, ut in Concilio Neocæsariensi duo fuerunt, in Nicæno primo generali 15. &c.

186. Qui verò in opposita fuerunt, & sunt sententia, suis etiam momentis minimè carent. Siquidem, ut habeatur Episcopalis ordinatio, à tribus Episcopis conferri debet, saltem de jure Ecclesiastico, quod semper observatum fuit, & nos in proprio loco duximus de jure Divino; Chorepiscopi verò per se & vi propriæ ordinationis à tribus Episcopis nequaquam consecrabantur; nam in laudato can. 10. Concilii Antiocheni legitur, *Chorepiscopum vero Civitatis Episcopus ordinat cui ille subjectus est*; ergo; & observa in illo canone duplex genus Chorepiscoporum distinctum fuisse. Præterea in Concilio Laodiceno can. 15. habetur: *Non oportere in villulis, vel in agris constituere Episcopos, sed Visitatores.* Denique constans est Patrum traditio, Episcopos esse successores Apostolorum; tales autem non fuerunt Chorepiscopi, qui dicuntur facti ad formam septuaginta Discipulorum, ut ex Concil. Neocæsariensi can. 14. Itaque &c. Plura alia proferri possent.

187. Ego tamen ad quamcumque litem dirimendam, atque utramque sententiam veram esse demonstrandum, dicerem. Aliquos Chorepiscopos, de quibus in Sacris Canonibus sermo sit, fuisse veros Episcopos, aliquos nequaquam; eosque, qui fuerunt Episcopi, tales non fuisse ex vi Chorepiscopatus. Quod ex illis aliqui verè fuerint Episcopi, facili negocio hoc possumus declarare: Certum est, aliquos fuisse ordinatos Episcopos, qui vel non fuerunt à sibi statuta Diæcesi recepti; vel alias, seditiones etiam commovendo, occupare præsumpserint; De utrisque sermonem fieri in can. 18. Concilii Ancyrani, quo utebantur prioris sententiæ assertores, compertum fit, si ejusdem Canonis verba producamus. Sunt ista: *Si qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa Parochia, in qua fuerint denominati voluerintque alias occupare Parochias, & vim Præsulibus eorum inferre, seditiones adversus eos excitando, hos abjici placuit. Quod si voluerint in Presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut Presbyteri residere; non abjiciantur propria dignitate &c.* Aliqui etiam fuerunt Episcopi ordinati, qui sponte sua ob populi eorum regimini traditi vitia abdicarunt; inter quos unus fuit Martyrius Antiochensis Episcopus, qui, ut Nicephorus, Cedrenus, Theophanes referunt, cum hæresi corruptam Civitatem frustra revocare conatus esset, & infestis seditiosorum tumultibus agitaretur; convocata multitudine palam dixit *Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuntio, Sacerdotii mihi honorem reservans.* Ex istis igitur plures ut Chorepiscopi ad pagos & rura mittebantur, & de his Episcopos fuisse dubitari non potest: Totum hoc amplius etiam ostendit Concilium Nicænum primùm statuens can. 8. de iis, qui à Novatianorum hæresi ac schismate reversi essent ad Ecclesiam, ut in eodem gradu, quem habebant, reciperentur, & si nullus esset in Urbe Episcopus, ille, qui fuisset in ea hæresi Episcopus, in sede collocaretur, sin autem hoc pacto illi consultum foret; *Ubicumque vero*, ita loquitur Concilium juxta Dionysii interpretationem, *sive in municipiis, sive in Civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati: qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perseverent; Ubi autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo, vel Presbytero constituto, quidam ex illis adveniunt: certum est, quod Episcopus Ec-*

Ecclesiæ habebit Episcopi dignitatem. Is autem, qui nominatur apud eos Episcopus, honorem Presbyterii possidebit, nisi forte placuerit Episcopo nominis ejum honore censeri. Si vero hoc ei minimè placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus, aut Presbyterii locum, ut in Clero prorsus esse videatur, ne in una Civitate duo Episcopi probentur existere.

188. Hisce expositis, atque firmissimè tenendis, facilè potissima argumenta adducta num. 183. rejiciuntur; negatur enim minor, & canones laudati id tantùm probant de illis Chorepiscopis, qui prius Episcopali ordinatione fuerunt insigniti, sed vel non fuerunt recepti, vel sponte sua renuntiarunt; Certum enim est tales, etsi ex vi ordinationis possint Presbyteros & Diaconos ordinare, tamen quia carent jurisdictione, in alterius Diœcesi ordinare non posse; & si ordinarent, utique ordinatio irrita non esset; attamen pœnis à canonibus statutis mulctari deberent: De reliquis verò inquit præfatum Concil. Antiochenum, ordinandos esse ab Episcopo Civitatis; & ne dicant aliqui, Episcopum Civitatis dici consecratorem, sed alios Episcopos, qui simul ordinent, non excludi, meminerint ex Concilio Ratisbonen., ut refertur in Tomo 2. Concil. Galliæ, sic dixisse: *Quia nec ad quandam Episcopalem sedem Civitatis titulati erant, nec canonicè à tribus Episcopis ordinati.*

189. Pro eo, quod de Nicolao I. productum est, non una est Doctorum responsio. Inquit de Marca hìc cap. 13. num. 9. ejus responsionem omninò à canonibus alienam fuisse, & excusari posse, quia diversis occupatus negotiis cursim respondere coactus fuerit; Dicit Thomassin. par. 1. de Benef. lib. 2. c. 2. num. 5. epistolam illam suppostitiam esse; Primò quia, fieri non potest, eum tam constanter dixisse, septuaginta duos discipulos fuisse Episcopos; cum omnium sententia, juxta quam nos etiam plura asseruimus, Episcopi sint successores Apostolorum, Presbyteri verò sint successores discipulorum; Secundo quia Concilium Metense paucos post annos celebratum, hujusce epistolæ nullam mentionem facit, & imo jubet, Ecclesias à Chorepiscopis consecratas iterum consecrari; censuit igitur consecrationes ab illis factas nullas esse. Et certè si in sensu adversantis partis rescriptum Nicolai admittamus, dicendum erit plurium Pontificum rescripta inter se fuisse contraria, cum oppositum omninò tradiderint Leo III. Nicolai prædecessor, & Damasus.

190. Ad 3. Fatemur, plura data esse Chorepiscopis, quæ simplicibus Presbyteris negata erant, inter cœtera posse præsente Episcopo offerre; sed quid ex hoc? etiam Urbis Presbyteri hoc poterant; nunquid igitur Episcopi? & nota in Concilio Neocæsariensi, in cujus can. 13. id Chorepiscopis conceditur, hanc rationem afferri: *ut Comministri autem, propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorentur.* Posse etiam dare epistolas commendatitias, nihil ad rem; Has dant etiam Vicarii generales Episcoporum, nec tamen Episcopi sunt. Pariter non inficiamur, aliquos Chorepiscopos Conciliis interfuisse, ac subscripsisse; sed novum non est etiam à pluribus Presbyteris, imo & Diaconis ex Episcoporum indulgentia & concessione id actum esse.

191. Tandem inquiro: Si Chorepiscopatus fuit revera ordinatione Episcopali insignitus, quinam ritus in ea servabatur? quænam materia, quænam forma? antiquissimos rituales ac recentiores consulo, pro hujusmodi ordinatione nihil invenio scriptum esse. Argumentum hoc promovet Juenin, sed censeo satis infirmum; Respondere enim possunt, fuisse ordinatos Chorepiscopos per manuum impositionem una simul cum oratione; quia Græci nunquam manus imponere consueverunt, quin aliquam orationem proferrent; quod tamen non sufficit, ut dicamus ipsis Sacramen-

mentum aliquod fuisse collatum; quia deest institutio divina, ut diximus num. 181., atque hoc existimo esse non leve momentum, quo concludamus Chorepiscopos ut Chorepiscopos nequaquam Episcopos fuisse. Verùm hæc dicta sint pro benevoli mei Lectoris notitia, cujus ingenio & studio ampliora relinquo.

QUÆSTIO VIII.

De spirituali Episcoporum cum sua Ecclesia Conjugio.

ARTICULUS I.

An Episcopus cum Ecclesia sua spirituale contrahat Matrimonium.

192. NOn aliquo ratiocinio punctum hoc dirimendum seu declarandum est; sed tantum ex sacrorum canonum sanctionibus resolvendum; Adeo verò istæ claræ, & apertæ sunt, ut Episcopos ad aliquam Ecclesiam consecratos cum ipsa Matrimonium spirituale contrahere, catholica mens in dubium revocare non possit. Evaristus Papa ep. 2. Matrimonii carnalis proprietates recenset, differensque de amore viri erga uxorem, & uxoris obedientia erga virum, nec non de uxore non dimittenda, hæc scripsit; *Ipse* (scilicet Christus) *est sponsus, & Ecclesia sponsa, cujus filii nos sumus, & ideo unum Patrem habemus Deum in Cœlis*; *Sacerdotes vero vice Christi legatione funguntur in Ecclesia*: *& sicut ei sua conjuncta est sponsa, idest Ecclesia; sic Episcopis junguntur Ecclesiæ.* Hoc etiam Calixtus Pontifex in epist. 2. ad omnes Galliæ Episcopos cap. 3., ut habetur in can. *Sicut alterius uxor* q. 1. perspicuis verbis explicavit: *Quoniam*, inquit, *sicut alterius uxor, nec adulterari ab aliquo, vel judicari, aut disponi, nisi à proprio viro, & vivente permittitur; sic neque uxor Episcopi, quæ ejus Ecclesia, vel Parochia indubitanter intelligitur, eo vivente absque ejus judicio, & voluntate alteri judicari, aut disponi, aut ejus concubitu frui, nempe ordinatione ullatenus conceditur.* Tandem Innoc. III. in cap. *Inter corporalia. De translatione Episcoporum* sic loquitur. *Cum ergo fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, suo tantùm judicio dissolvendum reservaverit; qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum & feminam, suo tantum judicio reservavit &c.* & in cap. *Licet* de hoc spirituali fœdere ait; Quod sit *in electione initum, ratum in confirmatione, in ordinatione consummatum.*

193. Hæc omnia explicantur iis verbis, quibus post manuum impositionem, post unctionem, post baculi traditionem benedicitur ab Episcopo consecrante annulus, & traditur in annulari digito Episcopi consecrati, nimirum. *Accipe annulum fidei, quatenus sponsam Dei sanctam intemerata fide ornatus illibatè custodias.* Annulus enim apud omnes nationes fuit semper Matrimonii symbolum; & quamvis dicatur Ecclesia sponsa Dei & Christi; attamen hoc non impedit esse etiam sponsam proportione servata Episcopi, qui Christi gerit personam, ita se habens, ut quem-

quemadmodum Christus universali Ecclesiæ jungitur, ita Episcopus jungatur particulari: nec ita loqui debemus de Christo & Episcopo, sicut de viro qui cum femina contrahat Matrimonium per alium, qui illius legatione fungatur; etenim huic non porrigitur annulus, sicuti porrigitur Episcopo.

194. Hoc verò non solum de Episcopis, qui in Ecclesia sua jurisdictionem & Episcopalia munera exercere, & obire possunt; sed etiam de aliis titularibus, qui sedem suam ab hostibus occupatam adire non possunt, asserendum est. Isti enim sunt verè Episcopi, ut statuit Concil. Trident. sess. 14. cap. 1., & si Civitas ab hostium manibus eriperetur illam statim adirent, ut constat ex litteris dimissoriis, seu expeditionis, quas ad hujusmodi Episcopos Romanus Pontifex scribit; in quibus dicitur, ut ad Ecclesias suas eant; non ita ut statim ad illas se conferant; sed, ut quam primùm periculum cessaverit, & sic intelligunt, cum ipsis spirituale Matrimonium contraxisse, interim corpore absentes, sed spiritu præsentes orationibus suis illas Deo commendant, ut debent: Imo plures fuerunt, qui statim post consecrationem invicto animo & periculorum contemptores egregii in suas sedes à barbaris fideique hostibus occupatas se contulerunt: ut de Bartholomæo Bononiensi refert Leander pariter Bononiens. in lib. de viris illustribus.

ARTICULUS II.

Quid sentiendum sit de translatione Episcoporum de una in aliam Ecclesiam.

195. Sentio, translationem Episcoporum de una in aliam Ecclesiam, absolutè loquendo, non solum jure positivo, sed etiam naturali ac divino prohibitam esse.

Priorem partem assertionis satis probarent ea, quæ superiori articulo breviter exposita sunt; nonnulla tamen alia hic addemus. Occurrit canon 14. inter eos, qui Apostolici nuncupantur, in quo hæc leguntur; *Episcopo non licere alienam Parochiam propria relicta pervadere, licet cogatur à plurimis; nisi forte quis rationabili causa compellatur, tanquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, & in causa religionis aliquid profecto prospicere; & hoc non à semetipso pertentet, sed multorum Episcoporum judicio, & maxima supplicatione pertentet*. Occurrit Concil. Carthagin. 4. can. 27. & refertur can. *Episcopus* 7. qu. 1. hæc habens: *Ut Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus. Sanè si id utilitas Ecclesiæ fiendum poposcerit, decreto pro eo Clericorum & Laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur*. Atque idem priùs etiam statutum fuerat in Concil. Sardic. can. 1. sub Osio Cordubensi.

196. Liceat verò ad Evaristum superius laudatum reverti, qui in eadem epistola, ut habetur in can. *Sicut vir* 7. qu. 1. sic loquitur; *Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita neque Episcopus Ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam sacratus est absque inevitabili necessitate, aut Apostolica ac regulari mutatione, ut alteri se ambitus causa conjungat*. Atque idem affirmat de Ecclesia, quæ dimittere non potest Episcopum, cum quo contraxit; idemque sensit Anterus Papa in epist. ad Episcopos Beticæ, ac Toletanæ Provinciæ, & refertur can. *Mutationes* 7. qu. 1. Addatur & Leo in epist. ad Anast. 84., nec tandem omittatur Concil. Antioch. cap. 21., ut ex can. *Episcopum* 7. qu. 1.

197. Posteriorem assertionis partem, præterquam quod declarata satis sit ex vi Matrimonii, quod diximus inter Episcopum, & Ecclesiam contrahi; amplius ostendo ex multis incommodis, quæ ex Episcoporum translatione

non

non semel proficiscuntur. Primò enim ita fit, ut Episcopi Ecclesiam suam non diligant, ejusdemque bonis non prospiciant, sed veluti mercenarii in ea commorentur; Secundo cum istæ translationes plerumque non fiant, nisi post aliquod tempus elapsum, ad aliam Ecclesiam non commigrant Episcopi, nisi in ætate jam senili, in qua viribus fractis nec Episcopalia onera subire, neque munera, ut par est, exercere valent; Tertiò, quod potissimùm considerandum est, ambitioni via latissima aperitur. Nullus enim transferri vult nisi ad pinguiorem Episcopatum, atque ad eam urbem, in qua nobilitas quàm maximè fulget, ut in ea & Episcopus magis effulgere, atque obsequia, & fortasse etiam oblectamenta, percipere possit, ut observavit Osius in Sardic. Concilio can. 1., quæ omnia quantum juri naturali, ac Divino dissona sint, nemo non videt.

198. Hic autem præterire non possum difficultatem, quæ coufurgit ex illo capite Innoc.III. *Inter corporalia* ubi dicit. Fortius esse spirituale vinculum, quàm carnale, proinde strictiùs Episcopum conjunctum esse Ecclesiæ suæ, quàm sit conjunctus Maritus uxori;quod tamen ita non est, quia Matrimonium carnale, si consummatum sit, nulla de causa dissolvitur, saltem quo ad vinculum; nec ad aliam uxorem vir potest transire, vel uxor ad alium virum; si vero fuerit ratum, majori cum difficultate & minus frequenter dissolvitur, quam Matrimonium Episcopi cum Ecclesia, ut experimento compertum est. Itaque textus Innocentii vel admittendus non est, vel dicendum erit, nullius auctoritate posse Episcopum de una ad aliam Ecclesiam transferri, seu vinculum cum semel habita Ecclesia dissolvi non posse.

199. Hisce rationibus adducti Innocent. IV. & Glos. in prædictum caput, dixerunt, vinculum spiritualis matrimonii minus firmum ac debilius esse, quàm vinculum matrimonii carnalis; quia tamen multò nobilius est, cum sit ad procreandos filios spirituales,quorum generatio nobilior est; ideo ab Innocent. III. fuisse dictum fortius. Hanc explicationem affert Hostiensis in sum. tit. de translat. Episc. quæst. 4. num. 5. neque illam reprobare audeo quamvis illam parum consentaneam Pontificis menti possem demonstrare. Censeo tamen alia via argumentum solvi posse, si cum eodem Hostiensi, & Panormitano dicamus, ibi comparationem fieri inter conjugium spirituale, & inter matrimonium ratum non consummatum; Sic enim procul dubio illud isto fortius existimandum est; quia hoc per solam voluntatem alterius, qui velit ingredi religionem dissolvitur sine aliqua alia causa, non sic illud: & si instes, ita loquendum esse de matrimonio spirituali, quod per consecrationem consummatur, sicut de matrimonio pariter consummato; ergo sicut hoc quo ad vinculum dissolvi non potest, ita neque illud: Respondeo, disparem in hoc esse rationem, quod per matrimonium consummatum nova contrahitur obligatio ac peculiaris; quod non contingit in spirituali consummatione, quæ est ipsa consecratio; ut notavit etiam idem Innocentius in eodem capite. Ceterum Innoc.textum deffendere,nostra modo non interest, & ex aliis capitibus assertionem nostram ostendimus.

200. Quantùm ad posteriorem rationem, fateor frequentiùs dissolvi matrimonium spirituale, quam carnale ratum; non quia difficilius hoc solvi possit, quàm illud; sed quia pro illo dissolvendo sint multò plures causæ sufficientes, ut bonum publicum & commune alicujus Ecclesiæ, alterius Episcopum postulantis; Quod si vellent homines post matrimonium ratum ingredi Religionem, frequentiores essent solutiones matrimonii carnalis, quàm spiritualis, cum tantùm à propria uniuscujusque voluntate penderent.

ARTICULUS III.

Ad quem spectet Episcopos transferre, & quibus de causis id fieri possit.

201. QUemadmodum superiùs juxta Sacros Canones vidimus, Episcopos cum Ecclesia sua spirituale conjugium contrahere, sic etiam legimus alicujus facultate posse dissolvi; ita ut fieri possit, Episcopum ab una ad aliam Ecclesiam transferri, & id jam experientia non semel in anno compertum habemus. Quæritur igitur ad cujus auctoritatem pertineat hujusmodi translatio: & jam certum est, hanc ad ipsius Episcopi voluntatem nequaquam spectare, ut superius dictum est ex Canone Apostolico; Sed eadem ratione, potestatem hanc devolutam esse ad Episcopos comprovinciales ex Concil. Carthag.4. cap. 27. ibi laudato, apertè statuitur, quod & tradidit Anterus Papa in epist. pariter laudata, ubi dicit; *Sicut Episcopi habent potestatem ordinandi regulariter Episcopos, & reliquos Sacerdotes; sic quoties utilitas, aut necessitas expoposcerit, supradicto modo mutare, & inthronizare potestatem habent*. Innocent. vero III. citato c. *Inter corporalia*. Episcopos ita transferre ad solum Deum, Romanumque Pontificem divina præditum potestate spectare, docet, quemadmodum dissolvere matrimonia carnalia soli Deo, Romanoque convenit Pontifici: Utique hæc omnia concedenda sunt, non ita tamen, ut ex Pontificis Romani commissione etiam aliis Episcopis convenire non possit; & in hoc sensu explicandi sunt textus omnes, in quibus hæc facultas Episcopis tribuitur.

202. Non est tamen Romani Pontificis tam ampla potestas, ut pro arbitrio suo id possit præstare, sed justa causa præ oculis haberi debet, ac considerari; Væ illi, si in hac re carnis, & sanguinis revelationi aures, animumque præberet. Absit, absit, ut hoc fiat; ut alicujus ambitus augeatur; ut ipsius, vel familiæ commoda & divitiæ parentur: & sicuti hoc nefas esset, etiamsi obtenta Pontificis facultate ipse Episcopus ad aliam Ecclesiam transmigraret; ita nefas esset, si hisce titulis Pontifex ipse transferret. Debet igitur esse justa causa, ex qua vel major Ecclesiæ alterius, vel etiam non desit necessitas; Si enim major oriatur, aut prudenter speretur utilitas, ipsa Ecclesia, de qua transfertur, libenter cedit juri suo illum Episcopum habendi, & libenti animo dat manum, ut alterius Ecclesiæ spirituale bonum conservetur, & crescat.

203. Alia causa est necessitas; cujus nomine id intelligo propter quod expediens esset, ut quis Episcopatui renuntiaret. Porro necessitas ista ad ea, quæ in hisce versiculis continentur revocatur. *Debilis, ignarus, male conscius, irregularis: Quem mala plebs odit, Dans scandala cedere possit*, atque ex istis jam perspicis non omnem necessitatem, quæ sufficit renuntiationi, sufficere translationi; nisi forte translatio fiat ab ampliori Ecclesia magisque conspicua ad strictiorem & minus illustrem; quia tunc translatio censenda foret pœna; Certum enim est Præsulem ignarum & talis criminis reum, ut propterea ordinis executio impediatur, ad aliam Ecclesiam transferendum non esse. Pariter debilitas, propter quam munera Episcopalia quis nequeat obire, si oriatur ex senectute causa sufficiens non est; esset autem, si oriretur v. ca. ab illius Civitatis aeris intemperie ejus temperamento nimis noxia; Scandalum quoque distingui debet; Si enim esset activum, quatenus ejus præsulis opera essent mala, vel haberent speciem mali, præbendo aliis occasionem peccandi; hoc non esset causa sufficiens, sed debet hujusmodi scandalum tolli: Si vero sit passivum, quatenus vel aliquis

quis revera peccat occasione operis, quod neque malum est, nec habet speciem mali ex infirmitate & ignorantia, quod appellatur scandalum pusillorum; vel propter propriam malitiam, quod est scandalum Pharisæorum, censeo in primo casu titulo necessitatis transferri posse, quia sine eo scandalo aliam Ecclesiam regere posset; in secundo verò sicut non esset necessitas renunciationis, quia aliorum malitia alteri nocere non debet; ita neque esset necessitas translationis; atque idem dicendum de malæ plebis odio. De irregularitate verò nihil proferam, cum per se sit res manifesta. Quomodocumque autem id se habeat, nunquam sine licentia Summi Pontificis potest quis suam Ecclesiam relinquere; Unde cum Episcopus Calaritanus petijsset ab Innocentio III. facultatem renuntiandi, & ad solitariam vitam transeuudi, ut in cap. *Nisi cum pridem de Renunciatione*; respondit Innocent. Facilius concedi, ut Monachus ascendat ad Episcopatum, quàm ut Præsul transeat ad Monachatum; & subdit; *Quia vero in postulando cedendi licentiam institisti, tibi te duximus relinquendum; ut distinctis causis, propter quas cedere oporteat, si propter aliquam causam utilem, & honestam in hujusmodi proposito perseveres, de licentia nostra cedas, alioquin cedendi licentiam Auctoritate Apostolica tibi scias penitus interdictam; quoniam si pennas habeas, quibus satagas in solitudinem avolare; ita tamen adstrictæ sunt, ut liberum non habeas absque nostra permissione volatum.*

QUÆSTIO ULTIMA.

De continentia, quæ in Ordinibus constitutis affixa est.

104. DE illorum continentia, qui minoribus tantùm Ordinibus initiati sunt, nihil à nobis proferendum est. De istis Concil. Carthag. V. cap. 3. ann. 398. post obstrictos sacros ministros ad continentiæ legem de aliis Clericis ita loquitur. *Cæteros autem ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Priùs vero in Carth. 3. ann. 397. can. 19. sic Statutum fuit. *Placuit, ut Lectores, cum ad annos pubertatis advenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* In Concilio etiam Eliberitano ann. 305. æquali modò Statutum de Clericis, quo de aliis Sacris Ordinibus, can. enim 33. sic habet. *Placuit in totum probiberi Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, & omnibus Clericis positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios; quicumque verò fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Denique, plura alia prætereundo, Benedictus VIII. & Concil. Ticinense ann. 1020. omnes omninò continentiæ legibus astringunt; quia si Sacerdotes legis Mosaicæ, quia templo deserviebant ad tempus, *cur*, inquiunt, *Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omnibus qui sunt in Clero, jugiter non est abstinendum, quibus juge, & verum est Sacrificium!*

205. Manifestum igitur est in Ecclesia multam circa minores Clericos fuisse in lege continentiæ varietatem; quæ tandem ita finem accepit, ut pos-

sint, si voluerint, uxores ducere, dummodo ab officio excluderentur; ut statuit Alexander 3. *De Clericis conjugatis* cap. 3. nec non Innoc. 3. cap. 7. quod præsentibus etiam temporibus servari, fermè quotidie videmus; neque in hoc aliqua controversia potest excitari.

206. Inquirendum igitur superest de illis, qui in majoribus, seu Sacris Ordinibus constituti sunt; & quia diversa fuit consuetudo in Ecclesia latina & græca, perpendemus primo utriusque Ecclesiæ morem; deinde hujusce legis efficaciam, nempe an fuerit Divina, vel Ecclesiastica, & demum contra Novatores res nostra concludetur.

ARTICULUS I.

De lege, ac Disciplina perpetuæ continentiæ Sacrorum Ministrorum in Ecclesia Latina.

207. Dico primo. Nunquam licitum fuisse Episcopis, Presbyteris, & Diaconis in Ecclesia latina vel uti uxore ducta ante ordinationem, vel ducere post ordinationem.

Infinitus propemodum essem si omnia monumenta per singula sæcula in medium producere contenderem; Conciliorum tantùm sanctiones proferam; Summorum Pontificum Sanctorumque Patrum testimonia exponam; & quantum ad nos attinet, satis fecisse existimabimus. Primò de Ecclesia Africana sermonem instituamus. Occurrit statim Concil. Carthag. 2. ann. 390. can. 2. ita loquens. *Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos, ita placuit, ut condecet Sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas continentes esse in omnibus; quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

208. Pro Ecclesia Germanica afferam Concil. Aquisgranense, Wormatiense, & Moguntinum: Illud ann. 816. cap. 6. ait, *Placuit Patribus, quia sacra Mysteria contrectant, castos & continentes esse debere ab uxoribus*. Secundum ann. 868. cap. 9. *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri &c. abstineant se ab uxoribus, & non generent filios*. Tertium ann. 888. vetat can. 10. ullam feminam cum Presbytero habitare. Ex quibus apparet, Philippum Melanct. mentitum esse, dum in confess. Augustana dicit, nonnisi ante annos 400. cælibatus legem Clericis impositum fuisse.

209. Pro Ecclesia Gallicana habemus Arausican. 1. Arelaten. 2. Turonens. 1. Veneticum, Agathense, Aurelian. 3. Turon. 2. & alia. In primo can. 12. præcipitur ne ordinentur Diaconi conjugati, nisi priùs professi fuerint castitatem; in 2. can. 2. ne aliquis assumatur ad Sacerdotium in conjugio constitutum, nisi conversionem promiserit; in 3. can. 1. ne Sacerdos vel Levita Sacrificium offerre, vel plebi ministrare præsumat, nisi à filiorum procreatione se cohibeat; atque ut cæterorum Statuta prætercam; postremum can. 12. sic inquit. *Episcopus conjugem, ut sororem habeat, & ita sancta conversatione gubernet domum omnem, tam Ecclesiasticam, quàm propriam, ut nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat* & can. 19. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa &c. anno integro excommunicatus habeatur, & depositus ab omni officio Clericali, inter laicos se observare cognoscat.*

210. Pro Ecclesia Hispanica, Toletanum 1. an. 400. can. 1. inquit: *Placuit, ut Diacones, si vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur, ita tamen ut, si qui etiam ante interdictum, quod per Episcopos Lusitanos constitutum est, incontinenter cum uxoribus vixerint, Presbyterii honore non cumulentur: Si quis verò ex Presbyteris ante interdictum filios susceperit, ad Episcopatum non admittatur.* Vides, id etiam

in

in Lusitana Ecclesia servatum esse; Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos incontinentes reprimit quoque Tolet. 3. jubetque illos à suis uxoribus separatos manere. Prætereo Eliberit., Gerundens. & Tolet. 8.

211. Pro Ecclesia Romana Italica est Concilium Romanum sub Sylvestro I., sed pro ista proferemus Summorum Pontificum Constitutiones de quibus infra.

Quanquam, quid hæc vel illa produco; cum in Nicæno 1., Ancyrano, Neocæsarien. Trullano, totum quod dicimus definitum sit?

212. Progrediamur itaque ad Summos Pontifices. Hi sunt Siricius in ep. ad Himerium Tarraconen. ann. 395. Innoc. I. ad Victricium Rothomagen. ep.2. & 3., S. Leo ad Anast. Thessalonic. & ad Rusticum Narbonen., Greg. Mag. ad Petrum Subdiaconum Siciliæ. Præterivi Clem. I. in Canon. Apostol. can.27. Placet verò tantùm Siricii, ac Leonis verba referre. Ille narrat, quosdam Sacerdotes ac Levitas post ordinationem filios ex propriis uxoribus genuisse, atque se excusantes, quod Sacerdotibus, & Levitis veteris testamenti id non foret prohibitum, excusationem hanc evertit, & dicit: *Sacerdotes omnes, atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ sobrietati, & pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora*. Ignoscendum postea inquit illis Sacerdotibus & Levitis; quia se ex ignorantia lapsos esse fatebantur, atque sine ullo honoris signo relinquendos esse. Posterior sic scribit. *Omnium Sacerdotum tam excellens est electio; ut hæc, quæ in aliis Ecclesiæ membris vacent à culpa, in illis tamen habeantur illicita &c. ne aut Levitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate uxoria necdum frenasse detegitur*. Rursus. *Cum ad prædictos pervenerint gradus cœpit eis non licere, quod licuit; unde, ut de carnali fiat spirituale conjugium; oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant, sic habere; quo & salva sit charitas Conjugiorum, & cessent opera nuptiarum*.

213. Hoc, quod Concilia, quod Pontifices Summi tradiderunt, Sanctorum Patrum traditione ad nos fuit demandatum. Origenes hom. 23. in lib.Num. inquit: *Certum est, quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt: unde videtur mihi, quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti ac perpetuæ se devoverit castitati*. S. Epiphan. hær. 59. præclarè se explicat, & simul adversantium responsionem confutat. *Adhuc viventem, ait, & liberos gignentem unius uxoris virum, Ecclesia non suscipit; sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit; maximè ubi sinceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, & Diaconos. At hoc non est juxta canones, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit*. Cyril. catec.12. ait: *Si qui apud Jesum bene fungitur Sacerdotio, abstinet à muliere*. Oecumen. tandem in cap. 3. primæ ad Timot. in illa verba, *Unius uxoris virum* dicit: *Vocatus ad Episcopi munus illud compleat, quod qui habent uxores, tanquam non habentes sint*.

214. Hæc à Patribus Græcis prolata sunt; Quid verò si ad Latinos convertamur? Ambrosio, Hieronymo, Augustino contentus ero. Primus lib.1. de Officiis cap. ultimo sic effatur: *In offensum exhibendum, & immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis, quod ideo non prætervivi, quia in plerisque abditioribus locis, cum ministerium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios susceperunt, & id tanquam usu veteri defendunt, quando per intervalla*

valla dierum sacrificium deferebatur, & tamen castificabatur etiam populus per biduum, vel triduum, ut ad sacrificium purus accederet. Hisce verbis Sanctus Doctor quid à Sacris Ministris agendum sit, præscribit; rejicitque excusationem eorum, qui ita non agebant. Secundus lib. 2. de Adulterinis Conjugiis cap. 20. ait: *Solemus eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducuntur.* Supponit igitur, à Clericis servatam esse continentiam. Demum S. Hieronymus epist. 30. adversus Jovinianum: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* Ipse Joviuianus legem hanc noverat; Unde laudatus Doctor lib. 1. adversus ipsum cap. 19. sic eum alloquitur: *Confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat; alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Denique initio libri contra Vigilant. ait: *Quid faciunt Orientis Ecclesiæ Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* Ex quibus omnibus liquet, semper in Ecclesia Latina Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos continentes esse debuisse.

215. Non ita concludendum est de Subdiaconis; siquidem pro istis varia fuit disciplina: In Concil. Eliberit. can. 33., & Gerunden. can. 6. utique astringuntur ad continentiam etiam Subdiaconi. Idem etiam in pluribus Conciliis Toletanis; sed non ita in Concil. Carthagin. 5. cap. 3. ubi præscripta continentia Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, subditur: *Cæteros autem Clericos non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Idem in Arelaten. 2. can. 2. Turon. 1. can. 1. Agat. can. 9. Lugdun. 3. can. 1., sed non ita in Aurelian. 3. can. 2. nec in Venetico can. 11. & Nicolaus I. Pontifex Maximus conqueritur de Adone Viennensi Archiepiscopo, quod cuidam Subdiacono uxorem ducendi potestatem fecisset. E contrario, cum Pelagius II. juxta leges Ecclesiæ Romanæ Subdiaconos Siciliæ continentiæ legi subjicere voluisset, Constitutionem hanc duriorem existimans hisce verbis epist. 44. temperavit. *Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Ecclesiæ Romanæ suis uxoribus nullatenus miscerentur; quod mihi durum, atque incompetens videtur &c. Unde videtur mihi, ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum facere Diaconum præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit; quatenus & præterita, quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caveantur.* Denique observa, quot textus à nobis adducti sint, in quibus Subdiaconos non includi reperies; Atque ex hoc magis inferes, quo pacto Subdiaconatus semper non fuerit ordo sacer; sicut à nobis probatum fuit; neque ex titulo castitatis annexæ, quo potissimum gloriantur, qui illum Sacramentum esse defendunt.

ARTICULUS II.

De lege ac disciplina continentiæ Sacrorum Ministrorum in Ecclesia Græca.

216. Lex ista ac disciplina bifariam intelligi potest; vel enim referri potest ad continentiam servandam in Matrimonio ante susceptam ordinationem contracto; vel ad continentiam ita servandam, ut qui ordines susceperit, Matrimonium deinceps contrahere jure non possit. De hoc secundo puncto præsertim agendum erit contra Novatores.

Quantum ad primum, Jodocus Clicto-

ftovæus in propugnaculo de continentia cap. 6. & alibi, nec non Claudius Spencecus l. 1. de continent. cap. 4. docent in primitiva Ecclesia sacris hominibus Matrimonio ante contracto uti licuisse. Contrarium omninò tradunt Bellarm. de Clericis cap. 18., Arcud. lib. 7. Concordiæ cap. 33., nec non Thomassin. par. 1. de Benefic. lib. 2. cap. 60. qui continentiæ legem ab Apostolis derivatam esse contendunt; proinde graviter peccasse quotquot cum uxoribus ante ordinationem ductis usum Matrimonii haberent; & tantum excusari potuisse ex contraria consuetudine; ita ut per longum usum lex illa fuisset abrogata.

217. In hanc sententiam descendit P. Vasquez, qui propterea in tertiam partem disp. 248. cap. 1. docet, legem continentię antiquitùs apud Grecos servatam fuisse, utpote ab Apostolis derivatam; sed ante Concilii Nicæni tempora consuetudine contraria in Ecclesia Græca abrogatam fuisse; & ideo licitum fuisse sacris ministris ante ordinationem ductis uxoribus uti.

218. Sunt verò alii, qui putant, laudabili quidem disciplina ab uxoribus ante ordinationem ductis antiquitùs Græcos abstinuisse; nulla tamen universali lege ad continentiam cum illis servandam fuisse obstrictos; atque hoc de Episcopis etiam & Presbyteris sentiunt. Ut clarius res nostra peragatur, distinctæ assertiones statuendæ sunt.

Assertio 1. Episcopis, & Presbyteris primis temporibus Ecclesiæ licitum non fuit, etiam in Ecclesia Græca, uxoribus uti, quas ante ordinationem duxerunt.

Hoc quidem suadeo ex pluribus, quæ adduxi in artic. anteced., quæ non minus probant de Ecclesia Græca, quam de Latina; præsertim quod etiam Græcos Patres non præterivi nu. 213., proferam modo, quæ ibi omisi verba Clementis Romani in epist. ad Jacobum fratrem Domini, quæ sunt ista. *Ad Dominica autem ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam conjuges suas noverint; Quod si post ordinationem Ministro Altaris contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec Sacrificii portitor fiat*. In fine autem ejus epistolæ testatur, se id à Petro Apostolo accepisse. Addamus etiam Siricium Papam in epist. 2., quæ legitur in Tellensi Concilio cap. 7., qui disertis verbis loquens de hac continentiæ lege, asserit, se non nova, sed antiqua præcepta traditurum, Apostolorum & Patrum Constitutione instituta; quæ tamen per ignorantiam & desidiam neglecta erant; atque illud 1. ad Timot. 3. *Unius uxoris virum*, explicat de viro uxorem habente, sed ea non utente. Apostolorum igitur tempore lex ista manavit, quod & dixit Concil. Carthagin. secundum à nobis adductum n. 206.

219. Assertio secunda. In Ecclesia Græca ante Concilium Nicænum continentiæ legem cum uxore ante ordinationem habita contraria consuetudine fuisse abrogatam, Ecclesia Universa non reclamante, probabile est.

Hoc suadet in primis Concilium Gangrense circa ann. 324., quod can. 4. juxta Gratian. dist. 28. can. 25. sic habet: *Si quis discernit Presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat & ab ejus oblatione ideo se abstinet: anathema sit*. Prolatus autem est iste canon contra Eustathianos, qui conjugatos apud Deum spem non habere dixerunt; Non autem alio titulo nuptias illi damnabant, nisi propter conjugii usum; atque ideo Presbyteros conjugatos rejiciebant, non quia uxores habebant; sed quia illis utebantur. Eo igitur tempore Presbyteri usum Matrimoni cum uxoribus suis habebant: Clariùs hoc explicat Clem. Alexandr. l. 3. Stromat. dicens: *Unius quoque uxoris virum admittit*, nempe Paulus, *seu sit Presbyter, seu Diaconus, seu Laicus utens Matrimonio citra reprehensionem*.

Sed

220. Sed quod in re nostra multum probare videtur illud est, quod refert Socrates lib.1.cap.8. & Cassiod. in Tripart. lib. 2. cap. 14., citaturque à Gratiano dist.31. can.*Nicæna Synodus*; Cum enim Synodus sancire decrevisset, ne Presbyteri cum conjugibus, quas ante consecrationem duxerant, dormirent; Paphnutius, licet omninò à nuptiis alienus, Patribus persuasit, ne hujusmodi legem ferrent, asserens esse gravem fornicationis occasionem; atque Paphnutii sententiæ omnes acquieverunt. Nimium prolixus essem, si omnia verba Socratis referre placeret; Ista sufficiant: *Surgens in medio Episcoporum Paphnutius, vehementer vociferatus est, non esse imponendum Clericis, & Sacerdotibus grave hoc jugum: honorabiles nuptias, & thorum immaculatum esse dicens; ne ex nimia severitate damnum potiùs inferrent Ecclesiæ; Neque enim omnes ferre posse tam districtæ continentiæ disciplinam; ac forsitan idem eventurum esse, ut cujusque uxoris castitas minimè custodiretur; Castitatem autem vocabat congressum viri cum uxore legitima &c. Universus Sacerdotum cætus Paphnutii sermonibus assensus est; controversia de hac re exorta penitus sedata est; potestasque permissa cuique pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi.*

221. De hac Historia iterum sermo erit, cum Calvini argumenta rejiciemus; ac demonstrabimus, ejusdem veritatem nullo modo ipsius errori suffragari; Interim tamen, Cardinales duo Baronius, ac Bellarminus, nec non Turrian., Arcudius, Thomassinus, illam tanquam falsam respuendam esse, pluribus momentis declarare contenderunt.

Primò quia, nullus ex Historicis eam referat præter Socratem, & Sozomenum; Eusebius, Theodoretus, Rufinus omninò siluerunt; Socrati autem fides præstanda non est, utpote qui Novatianæ hæresi faveret; pluraque alia scripserit in Historia Concilii Nicæni, quæ ab ipso conficta fuerunt; ut quod Pascha celebraretur juxta cujuscumque Regionis consuetudinem, nec pro hac re nullus Canon editus fuerit; quod manifestè falsum est, cum statutum fuerit, Pascha ubique celebrandum esse proxima Dominica post 14. lunam primi mensis; cujus canonis mentionem faciunt tam Sancti Patres, quam alii Scriptores: Pariter Sozomeno credendum non est, hoc asserente Gregorio Magno lib.6. epist. ep.31.

222. Secundò quia opponitur Epiphanio, Hieronymo, & ipsi Concilio Nicæno. Opponitur Epiphanio, qui in lib. adversus hæreses hær.59. post multa hæc addit: *Sed & adhuc viventem, & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit* (Ecclesia) *sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum, maximè ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici*. Opponitur Hieronymo propter illius sententiam à nobis adductum nu.214. in fine. Opponitur tandem eidem Concil. Nicæno, quod can.3. sic statuit: *Interdicit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Diacono, nec alicui omninò qui in Clero est, licere sibi suam introductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effugiunt*. In quo vides, nullam uxoris esse mentionem; quæ procul dubio facta esset, si uxores fuissent permissæ.

223. Tertiò quia inter eos, qui Concilio Nicæno subscripserunt, Paphnutii nomen non legitur; quo pacto igitur fieri potuit, ut ea diceret, Patribusque suaderet, ne legem illam promulgarent?

224. Non me latet, hæc omnia à sapientissimis viris dicta est, ut è Calvini manu eriperent arma; hoc enim argumento vir perditus utitur, ut ostendat continentiæ legem sacris ministris impositam esse jugum intolerabile,

bile, tyrannicum, & omninò injustum; sed neque ignoro, eo argumento admisso nihil pro Calvino probari, ut inferiùs ostendam. Interim momenta, quibus illi ad illam historiam negandam permoti sunt, parum esse attendenda mihi ipsi suadeo.

Non primum; nam falsum est, illam referri tantùm à Socrate, & Sozomeno; Siquidem ejus mentionem faciunt Cassiodorus loco superiùs laudato, Nicephorus lib. 8. c. 19. Gelasius Cyzicenus, ut adnotavit Photius Codice 15. recensens acta Concilii Nicæni, quæ habita sunt è Bibliotecha Vaticana, quæ Latinè reddita sunt ab Alphonso Pisano ex insigni Societate Jesu; Quod si ipsam præterierunt alii citati Scriptores, quid inde? Omnes non omnia scribunt; Hoc evenit, vel quia ad rem, de qua agunt, omnia non conferunt; vel interdum ex incuria, vel etiam proprio alienoque consilio; Eusebius de Nicæna Synodo, & de Arianæ hæresis damnatione nihil scripsit; igitur ejus historiæ nulla fides adhibenda? perperam hoc diceretur; Quamvis igitur in Socrate, & in Sozomeno plura alia falsa, & conficta deprehendantur; non inde sequitur, historiam, de qua noster sermo, inter fabulas esse adscribendam. Si hoc modo licitum esset argumenta proferre, neque deberemus admittere Christum in Cœna sermonem ad discipulos habuisse; quia de hoc sermone scribit tantum Joannes, alii vero Evangelistæ omnino prætermittunt. Quid etiam refert, Socratem fuisse Novatiana hæresi infectum? nihil omninò ad Novatianum errorem spectabat, sive id statutum fuerit in Concilio Nicæno, sive non. Tandem si res ita esset, ferme nulli ex antiquis Historicis fides habenda esset; Eusebius Arianus erat, & pro Origenis defensione integrum librum scripsit; & tamen ejus historiam approbavit Gelasius Papa in Concil. Romano septuaginta Episcoporum, & refertur in can. *Sancta Romana*, Rufinus perperam senserat de libero arbitrio, sicut observarunt Hieronym. & Gelasius loco laudato; & tamen in aliis rebus ejus scripta ab Ecclesia non rejiciuntur. Itaque &c.

225. Non secundum; & quantum attinet ad SS. Epiphanium, & Hieronymum, cum inter istos & Concilium Nicænum medii fuerint octoginta circiter anni, potuit lex illa, quæ Apostolorum tempore incæpit, ut à nobis dictum fuit, reviviscere; quamvis ante Nicæni Concilii tempora, & eo etiam tempore esset per contrariam consuetudinem abrogata; neque in hoc mirum sit; nam etiam lex de recipiendis vel non recipiendis bigamis diversis temporibus fuit servata, & non servata. Præterea verba Epiphanii plus probant, quam velint; cum lex illa complectatur etiam Subdiaconos; quod certè ab omnibus antiquis monumentis est alienum.

226. Quantum verò spectat ad Canonem tertium Concilii Nicæni, miratur Pater Vasquez, viros adeo doctos eo fuisse convictos ut Paphnutii historiam negarent; quia cum illo canone; minimè conveniret; nec immeritò nam si verbis ejusdem canonis velimus insistere, Patres non solum loquuntur de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis; sed de toto Clero, ut manifestum est; igitur continentiæ lex non solum illis, verum etiam istis esset indicta, quod tamen etiam in Ecclesia Latina servatum & auditum non est: Observandum est itaque, tunc in more fuisse ut apud sacros Ministros, & etiam Clericos introducerentur extraneæ Mulieres, ex quibus multum periculi emergere poterat; atque hoc ipsarum defensionis prætextu à se fieri dicebant, quin imò & appellabant sorores adoptivas, ut habemus ex Chrysostomo sermone adversus eos, qui apud se fovent sorores adoptivas; Istas igitur haberi prohibet Concilium Nicænum, cum disertè dicat, *introductam habere Mulierem*: uxor au-

autem, quam quis ante sacram ordinationem haberet, non poterat mulier introducta appellari; ergo illi historiæ canon iste nequaquam opponitur: Non fuit autem necesse exprimere uxorem, sicut expressit Matrem, sororem, amitam, nam satis se explicaverat, cum Mulieres introductas excluserat. Cœterum sacros Ministros absolutè in suis domibus propias potuisse uxores detinere, plura Concilia decreverunt; ut diximus ex Concil. Turonensi 2. can. 12. num. 208.; imo canon 5. Apostolicus ab officio removet Episcopum, aut Presbyterum, qui prætextu Religionis uxorem propriam abjecerit.

227. Ultimum denique nullius ponderis est; non enim satis accuratè referuntur nomina Episcoporum, qui Nicæno subscripsere Concilio; Quare etiamsi Paphnutius subscriptus non reperiatur, non inde potest inferri; ergo non interfuit; Revera tamen interfuisse testatur Rufinus lib. 1. Hist. cap. 4., qui & dicit fuisse ex illis unum quos Maximinus dextero oculo effosso, & sinistro poplite succiso ad metalla damnaverat; quemque Constantinus tanta veneratione ac studio prosequebatur; ut sæpius avocatum illum amplecteretur, & eum oculum, qui in confessione fidei evulsus fuerat oscularetur. Quod si Alphonsus Pisanus adnotavit, Paphnutium fuisse ex numero Meletianorum; rem hanc non est hujusce loci in examen vocare; sed dicam pro temporum diversitate omnia posse componi.

228. Assertio tertia. Post Concilium Quinisextum Græci Presbyteri ac Diaconi uxores legitimas ante ordinationem ductas apud se retinuerunt, ac jure Conjugali usi sunt.

Antequam hoc probem pro certo habeo, quod post Concilium Nicænum, de quo supra, lex continentiæ, quæ prioribus temporibus servabatur, fuerit iterum ad sui rigorem perstricta; ita ut etiam ab ipsis Grecis uxores tanquam sorores haberentur, quod confirmant testimonia Epiphanii, & Hieronymi jam à nobis exposita, nec non alia, quæ minimè præterivimus. At in quinisexta Synodo Constantinopolitana editus est canon, qui num. 13. est, in quo disertis verbis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis permittitur, suas uxores licitè retinere; atque eis, prout Matrimonium expostulat uti. Operæ pretium est, canonis verba producamus, prout referuntur à Dominico Soto lib. 7. de justitia & jure, quæst. 6. conc. 5. *Quoniam in Romani ordine canonis esse cognovimus traditum, eos, qui ordinati sunt Diaconi, vel Presbyteri confiteri, quod non suis jam copulentur uxoribus; antiquum nos sequentes canonem Apostolicæ diligentiæ, & constitutionis sanctorum virorum, legales nuptias amodò valere volumus, nullo modo ex uxoribus suis connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem in tempore opportuno &c.* Aliter legunt alii, sed in verborum diversitate eadem sententiæ significatio servatur.

229. Non me præterit, Concilium hoc tanquam legitimum non fuisse a Romana Sede approbatum, quamvis Adrianus, quatenùs Romanis institutis non repugnaret, illud receperit. Nihilotamen minùs apud Græcos etiam nunc viget; proinde illius definitionem sequuti; id ab ipsis usurpatum est, quod defendimus, & quidem licitè actum esse, affirmare non dubito: etenim lex continentiæ in sacris Ministris Ecclesiastica tantùm est, ut infra demonstrabo; & ideo si quid fieri consuevit adversus eam non reclamante Ecclesia; licitè fieri non est ambigendum; qua ratione etiam quæ in assertione secunda exposui, confirmantur.

230. Græcos autem legem istam non recepisse testatur S. Antonin. in summa Historica tit. 9. cap. 7. Universam verò Ecclesiam non reclamasse habetur ex Stephano III. can. *Aliter* distin. 31., nec non Innoc. III. cap. *Cum olim. De Clericis conjugatis*. Et quin plu-

plura ex antiquioribus referam, manifestum fit ex Concil. Lugdun. sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. In hisce duobus Conciliis Latinos inter & Græcos pax inita fuit; nusquam tamen Græcis oppositum fuit, quod suis Ministris sacris Matrimonii ante ordinationem contracti usum permitterent; nec pro conditione pacis postulatum, ut eos à conjugum consortio removerent. Itaque &c.

231. Imò tantùm abest, castitatem cum uxoribus à Sacerdotibus, aliisque Ministris ex præcepto postea servatam fuisse; quin potius prava illa fuerit introducta consuetudo, ut nemo ad ordines promoveretur, nisi prius se uxorem habere testatus esset; quam praxim refert, & objicit Græcis Cardinalis Umbertus Legatus Leonis IX. in libro adversùs calumnias Michaelis Patriarchæ, & Leonis Acridani Episcopi Bulgarorum; propter quod etiam Nicolaus I. consultus à Bulgaris, utrum Presbyterum habentem uxorem tolerare ac honorare deberent, respondit, Græcos esse reprehensibiles, sed nihilominùs tolerandos.

232. Hujusmodi tamen consuetudo apud Græcos jam à multo tempore non viget, ut constat ex Hieremia Patriarcha Constantinopolitano in censura Orientalis Ecclesiæ, ubi refert, hoc in more apud eos esse, ut iis Sacerdotibus, qui castitatem servare non possunt, ut priùs nubant facultatem tribuant; neminem tamen cogant.

233. Assertio quarta, nunquam licitum fuit in Ecclesia Græca Episcopis & Presbyteris post ordinationem uxores ducere; imo post Concilium Quinisextum licitum non est Episcopis uxores ante ordinationem ductas retinere, nec cum ipsis cohabitare; & multo minùs consuetudinem habere.

Primam assertionis partem demonstro ex lib.6.Constitut. S.Clement. cap.17. ubi legitur: *Post ordinationem, si uxores non habent, præcipimus ut non liceat ampliùs ducere, aut si antea duxerant, non alias in Matrimonium accipere &c.* & in Concilio Neocæsariensi can.1. habetur: *Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur*. Iterum ad hanc rem facit historia Paphnutii, de qua superius. Patres enim Nicæni adhæserunt ejus sententiæ, quæ erat; *Satis esse, ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem, jam non ampliùs uxorem ducerent*: Facit etiam Justiniani Imperatoris novella 123. cap.14. tom.1. juris orientalis; in qua dicitur: *Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, qui post ordinationem contrahit nuptias, è cœtu Cleri ejiciatur*. Quid tamen de Diaconis dicendum sit, infra statuemus.

234. Posteriorem partem probat canon.12. Concilii adducti; qui sic habet: *Ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africa, & Lybia, & aliis locis, quidam ex iis, qui illic sunt, religiosissimi Præsules, cum propriis uxoribus, etiam postquam ad eos processit ordinatio; una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum, & scandalum offerentes. Cum itaque studium nostrum in eo magnopere laboret, ut omnia ad gregis in manus nostras traditi nobisque commissi utilitatem fiant, nobis visum est; ut nihil ejusmodi deinceps ullo modo fiat. Si quis autem tale quid agere deprehensus fuerit, deponatur*. Sed quod ait de Episcopis Africæ, non ita facilè credam; cum in contrarium plures jam pridem editi fuerint canones. Rursus superius Concilium can. 48. sic statuit: *Uxor illius, qui ad Episcopalem dignitatem promovetur, communi sui viri consensu priùs separata, postquam in Episcopum ordinatus est, & consecratus, Monasterium ingrediatur procul ab Episcopi ordinatione extructum, & Episcopi providentia fruatur &c.* Canon iste confirmatus etiam fuit per Iseaccum Imperatorem in jure orient. tomo 2. atque idem etiam antea senserat Justinianus Imperator novel. 123.

235. Assertio quinta. Diaconis, si non posse continentiam servare protestati fuissent, aliquando concessum fuit post ordinationem uxores ducere.

Suadet hoc Concilium Ancyranum can.9. an.314., cujus juxta versionem Dionysii Exigui verba sunt ista. *Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant; propterea quod Episcopus eis licentiam dederit.* Oppositum de illis definitum fuit, qui tacuissent, & postea nuptiis obligati essent; Ex quo inferes, liberum omnino ipsis fuisse, vel continentiam servare, vel nubere; si tamen mentem suam priùs explicassent, atque etiam observa hujusmodi dispensationem ad Episcopos esse devolutam, neque illorum Matrimonium invalidum esse existimatum, cum pœna ipsis imposita esset tantùm à ministerio cessare.

236. Neque audiendi sunt Baron. ad ann. Christi 314., & Binius in annot., aliique dicentes, canonem istum intelligendum esse de illis, qui inviti, ac reluctantes ordinabantur. Siquidem in dicto canone, nihil de hujusmodi violentia habetur. Res ita peracta est propter eorum inopiam, qui Ecclesiæ ministrarent; atque ideo, cum plures essent, qui ad Ecclesiæ munera obeunda apti essent, quamvis se Matrimonii legibus subdere vellent; ideò facultas hæc concessa fuit: Verum quidem est in Concilio Trullano, seu Quinisexto canonem illum fuisse abrogatum, at tantùm temporis intercessit, quantùm inter an.314., & an.692. Ista nos diximus de consuetudine apud Ecclesiam Græcam, & plura alia diceremus, si omnia proferre placeret, quæ, etsi omittamus, nequaquam nos latent. Interea, quæ præcipua sunt accuratiori studio indagemus.

ARTICULUS III.

An Lex continentiæ à Sacris Ministris observandæ sit Divina, vel tantùm Ecclesiastica.

237. SI diceremus, continentiæ legem Ministris sacris impositam ad jus Divinum pertinere magis quidem nosmetipsos opponeremus hæreticis, contendentibus legem istam fuisse tyrannicam, & omninò non solum legi Divinæ, sed etiam naturali contrariam; ea tamen, quæ in antecedentibus diximus, nequaquam servari possent; & tamen non defuerunt Doctores, qui illud defenderent, inter quos Joannes Major in 4.dis.44. qu.2. Clictovæus de contin. Sacerdotum cap.4., & præsertim Franciscus Turrianus ex præclara Societate Jesu in libro de sexta, septima, & octava Synodo generali; & in toto libro secundo de Dogmaticis Characteribus.

238. Oppositum tamen docuerunt celebriores antiqui Theologi, ut S. Th. 2. 2. qu. 88. art.11. in corpore, Scotus in 4. dis. 37. qu. unic. §. *Hæc est conclusio*, & §. *Ad argumenta*. S. Bonavent. q.2. art.1. ad 3. Richard. Paludan. &c. nec non Recentiores; Bellarm. Vasq. Medina &c. quorum sententiam & ego amplector; quam, ut paucioribus rem absolvamus, iis argumentis probandam ducimus, quibus dicta de Ecclesia Latina & Græca superiùs exposuimus. Quapropter nunc nostra tantùm interest, rationes illas, quæ opponi possunt, nullas esse demonstrare.

239. Primum argumentum desumitur ex Scripturis; In veteri testamente Deuteron. 33. Moyses benedicens populo suo, sic Levi, ex cujus semine Sacerdotes esse debebant, allocutus est: *Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti ad aquas contradictionis. Qui dixit Patri suo, & Matri suæ, nescio vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pa-*

pactum tuum servaverunt. In hoc textu jubenter Sacerdotes filios nescire, proinde neque pro generandis filiis operam dare. In testamento novo plura pro hac re leguntur, sed præsertim Apocalypsis 2., ubi Joannes scribit Angelo ideſt Episcopo Pergami, ipsumque redarguit, quod haberet in Ecclesia sua *tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari*. Ideſt quia non ejiceret Ministros sacros, qui ad exemplum Nicolai, qui fuit unus ex septem Diaconis, uxoribus suis commiscebantur; atque ita Sacerdotes, qui alios doctrina sua purgare deberent, atque ad castitatem hortari, uxores habendo ad concupiscentias provocabant, eosque docebant edere & fornicari; Quapropter errorem Grecorum desumptum esse à Nicolaitis plures docuerunt, ipsisque Græcis objecit Umbertus Cardinalis adversus Nicetam Pectoratum.

240. Quo pacto ex hisce Scripturæ locis id inferatur, quod in nostra causa est, profecto non video; nec in obliquiorem, remotioremque sensum illa possent testimonia detorqueri: Si ex illo Deuteronomii textu quidpiam probaretur; etiam Levitis, ac Sacerdotibus Mosaycæ legis Divino jure continentia fuisset imposita; quod affirmari non potest, nisi omnem Scripturam evertamus. Nescire quidem debent Patrem & Matrem & filios, non solùm Ministri sacri, sed omnes fideles; si ob Patrem, Matrem, & filios quis Dei legem deberet relinquere, in quo sensu etiam dixit Christus: *Qui non odit Patrem & Matrem, non potest meus esse Discipulus*. At si nihil fit in amore erga Patrem, Matrem, & filios, quod Deo debitam obedientiam, & obsequium impediat, lex nulla est Divina, qua eos nescire quis debeat; & certè si filios nescire idem significaret in textu, quod filios non generare; etiam nescire Patrem & Matrem idem innueret, quod à Patre & Matre non generari, & sic lex Divina impossibile præciperet; In alio omnino sensu textum illum exposuerunt Patres, quorum aliquas explicationes, non quia opus sit, sed ut, eum qui nos legerit, absque aliarum lectionum incommodo, instructiorem reddamus, producemus. Vatablus ea verba sic interpretatur, ut Levi judicis sententiam proferens æquitatis leges servaret, neque Patris, vel Matris, vel filiorum amore commoveretur, atque hoc pacto eos nesciret. Cajetani expositio est ut Pater, Mater, & filii non discernerentur in morte, sed idem cum ipsis ageretur, sicut de quovis alio de populo. Aptiùs verò arbitratu meo, juxta Abulensem & Lyranum, Moyses sic benedicens Levi significare voluit zelum illum Religionis, quo Tribus Levi Exodi 32. cum viginti tria millia ex eis occidit, qui vitulum aureum adoraverunt, neque venia data est Patri, vel Matri, vel filiis, vel fratribus.

241. Verba etiam illa Apocalypsis nullus ex Sanctis Patribus ita est interpretatus, ut continentiæ legem pro sacris Ministris ex illis argueret; reprehenditur siquidem à Joanne Episcopus Pergami, non quia in sua Ecclesia teneret quosdam, qui dicerent cum Nicolao uxoribus uti post ordinationem non esse malum; sed quia permitteret, aliquos sectatores doctrinæ Balaam: hæc porrò doctrina fuit, ut Balac mitteret scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari; quod factum est, quando illius consilio missæ sunt Mulieres Moabitidæ in castra Israelitarum, quæ eos ad fornicationem, & sua sacrificia provocarent; sicut evenit, & legimus Numer.25., repetiturque cap.31. dum dicitur: *Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phagor?* Quapropter cum Nicolaus juxta testimonium Clementis Alexandrini lib.3. Stromat. sub initio, cum formosam haberet Mulierem, & ab

ab Apostolis zelotypia ejus exprobaretur, ipsam in medium protulerit, & permiserit, ut qui vellet, ea uteretur, illius factum dictum est juxta doctrinam Balaam, qui docebat scandalum, & fornicari; sed ex hoc perperam infertur, continentiæ legem fuisse in Diaconis, & Presbyteris legem Divinam: Peccavit quidem Nicolaus utendo uxore sua, quia sub initio Ecclesiæ, sicut nos demonstravimus, ab omnibus Deo in ministerio addictis continentia servabatur ex voto; non tamen quia jus Divinum esset ut absolutè continentia servaretur: proinde licet Græci dicantur exemplum Nicolaitarum secuti; attamen sicut Nicolaitæ non peccarunt, aut peccant, cum secuti non sint in eo quod esset contra jus Divinum; De hac Nicolaitarum historia plura alia referunt Clemens Alexandrinus, & Epiphanius.

242. Secundum argumentum desumitur ex Conciliis & Patribus. In Concilio Carthagin. 2. can. 2. dictum fuit de continentia servanda ab Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis; *ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*. Atque in Pontificali Romano Episcopus consecrator admonere debet ordinandos hisce verbis. *Quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit à proposito resilire; sed Deo, cui servire regnare est, perpetuò famulari, & castitatem illo adjuvante, servare oportebit*.

243. Ex Patribus illi omnes afferri possunt, quos nos adduximus in hac quæstione art. 1. à num. 211. usque ad num. 214. quos propterea hic recensere consuetudini nostræ contrarium foret; addique possunt illi, quos art. 2. in assertione prima.

Hisce tamen omnibus paucis respondebimus, nunquam à Patribus, vel Summis Pontificibus legem hanc fuisse dictam strictè Divinam: sed vel derivatam fuisse à lege Divina, quæ in veteri testamento erat, ut Sacerdotes pro tempore vicis suæ ab uxoribus abstinerent, & ita etiam convenientiùs esset, ut abstinerent Sacerdotes legis novæ: vel quia Sacerdotium novæ legis est secundum ordinem Melchisedech; unde sicut de isto non legitur uxorem habuisse; ita etiam valde consonum esset, Sacerdotes alios uxorem non habere, vel uxore non uti: vel quia Christus Dominus semper continentiam summopere in omnibus laudavit; proinde in sacris Ministris foret laudabilior: quæ omnia prospicientes Apostoli legem condiderunt, ut ipsi essent perpetuò continentes; At non omne, quod ita ab Apostolis traditum est, Divinum debet censeri, ut in pluribus aliis contingit; quæ omnia magis declarabuntur ex aliis, quæ dicentur in confutatione argumentorum, quæ contra nos afferuntur ab hæreticis. Neque enim diutiùs in iis immorari debemus, quæ tanquam certa ab omnibus Theologis, & ab ipsa Ecclesia reputantur. Unde fit.

ARTICULUS IV.

Utrum Ecclesia potuerit obligare Sacros Ministros ad continentiam servandam.

244. PER Ecclesiasticas sanctiones vetitum esse Sacris Ministris vel uxoribus uti, quas ante ordinationem duxerunt, vel post ordinationem uxores ducere, manifestum fit ex iis, quæ in antecedentibus diximus: Quamobrem in præsentiarum id tantùm à nobis præstandum erit, ut hæreticorum argumenta, quæ legem istam esse contra jus naturale & Divinum, nec non tyrannicam demonstrare contendunt, producamus; atque rejiciamus; quod quidem præstando, alia momenta pro catholica sententia producemus.

245. Quamvis hujusce hæreticorum erroris aliqui dicant authorem fuisse Nicolaum unum ex septem Diaconis, cujus mentionem fecimus in anteced. atque

atque deinde Vigilantium,ut ex S.Hieronymo initio libri contra eumdem, nec non Jovinianum, asserentem, Matrimonium præferendum esse virginitati, quo factum est, ut plures Sanctimoniales eo audito nupserint, ut dicit S. Augustin. in lib. de hæres. cap. 82., attamen tunc apertè sese cæpit insinuare,cum Wiclef.teste Th.Walden.tom.2. de Sacram. cap.128.& alibi licitum esse post ordinationem uxorem ducere, turpissimè docuit; Id libentissimo animo amplexi sunt alii Novatores; Luth. in lib. de abroganda missa privata; Pomeran. in lib. de conjugio Episcop. Magdeburg. cent.11.cap.7. Philip. Melant. in confess. August. Calvin. lib.4. instit. cap.12. §. 27. Brent. Erasmus &c. Quibus verò argumentis ad hoc asserendum commoti sint, ecce declaro.

246. Primò argumentatur Calvin. Deum reliquisse Matrimonium liberum;juxta quod Apost.1. ad Tim.4. nuptias impedire hæreticum esse scripsit, dicens, in *hypochrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam prohibentium nubere &c.* & ne dicamus, matrimonium à nobis non omnibus prohiberi,sed tantùm personis Ecclesiastico ministerio dicatis; statim occurrit, quod scribit S. Augustin.lib.2. de moribus Manich. cap.18., nempe etiam Manichæos non prohibuisse omnibus nuptias, sed solum electis suis, idest Sacerdotibus, & Monachis, & tamen ab Augustino dicuntur in Apostoli sententiam incidere,eorumque doctrinam esse doctrinam Dæmoniorum.

247. Resp. argumentum hoc esse prorsus inane; Quis enim ex catholicis dicit Ecclesiam prohibere Matrimonium? Nonne hoc in Ecclesia est, & quidem tanquam Sacramentum? Hoc impedit Ecclesia tantùm in iis, qui voluerint, ita ut ipsi liberè volentes Sacris Ordinibus initiari, liberè etiam cedant juri, quod ad matrimonium contrahendum habebant;quod non est onus ab Ecclesia impositum, sed ab unoquoque pro se ipso electum: Hoc tantùm Ecclesia voluit, quod si quis liberè vellet ad Sacros Ordines promoveri, nubendi abjiceret facultatem; quod novum nequaquam esse debet, siquidem neque judicia forensia, aut carnificis munus damnavit Ecclesia, & tamen à suis Ministris hæc exerceri prudentissimè vetavit. Hic tamen observa; jus Matrimonii contrahendi esse quidem divinum & naturale; non tamen esse jus præcepti, sed jus permissionis; quatenus cuilibet permissum est Matrimonium contrahere, non tamen cuique præceptum: Porrò licet Ecclesia juri naturali, & divino in priori sensu considerato derogare non possit; potest tamen in secundo, apponendo aliquam conditionem, ut si quis vellet aliquid efficere, non nisi hoc pacto id consequi posset; & hoc modo actum est in re nostra; nempè si quis vellet Ministri sacri dignitatem habere, ulterius Matrimonium contrahere non posset; quam doctrinam adhibebimus in quæst. de Matrimonio, ubi de consanguinitate pertractabimus. Neque est, cur illud Apostoli ad Ecclesiam nuptias Ministris prohibentem velint detorquere; Id dictum à Paulo est adversus eos, qui dicturi erant nuptias esse malas, omnibusque prohibitas; quales fuerunt Tatianistæ, Marcionistæ, & Manichæi; ut ajunt Augustinus lib.30. contra Faustum c. 4. Ambrosius, & Chrysostom. in illum locum Apostoli; nec non Jovinianus, ut asserit Hieronym. lib.1. adversus eum. Quod denique de Manichæis postremò dictum est, valet; Siquidem Manichæi absolutè nuptias malas esse dicebant; & si eas aliquibus permittebant, hoc ab ipsis non fiebat, nisi quia aliud obtinere non poterant; Unde ait Augustinus loco mox laudato cap.6. *Nec ideo vos dicatis, non prohibere, quia multos auditores vestros in hoc obedire nolentes, vel non volentes, salva amicitia toleratis.*

248. At, inquies, Apostolus id eventurum dicit in novissimis diebus, ait

ait enim; *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide &c.* ergo non potest intelligi de illis hæreticis, quos nos supra memoravimus. Verùm si hoc est, neque intelligi poterit de lege Ecclesiastica, quæ nuptias Sacris Ministris prohibuit; nam profectò, quando prohibuit, novissimi dies non erant, neque modo in sensu hæreticorum sunt; Animadvertant oportet, novissimos dies omnes illos appellari, qui à Christo sunt usque ad judicium: Sicut illi, qui Vineam adjerunt hora novissima, eos denotarunt, qui in lege Evangelica fuerunt in Christi Ecclesia juxta Sanctos Patres: Certè Apostol.1.ad Corint.10. inquit, *Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt*. Et 1. Joan.2. legitur. *Filioli novissima hora est*. Quod si aliter dicendum esset, illi hæretici, qui nuptias condemnarunt, non fuissent ab Apostolo prædicti, quia certè illi in novissimis diebus non fuerunt.

249. Instabis. Responsio nostra nequaquam juxta Apostoli mentem esse potest: Siquidem Paulus 1.ad Timot.3. & ad Tit.1.egregias Episcoporum dotes recensens, inquit, illum eligendum esse, qui fuerit unius uxoris vir: & præterea ad Hebr.13. nulla exceptione facta, asserit; inter omnes honorabile esse conjugium; ergo.

O dignam hæretico, scelesto, ignavoque viro instantiam? Væ vobis, Incliti summèque commendandi Præsules, qui perpetuæ continentiæ candorem ceu terrestres Angeli servastis? Dum dicit Apostolus, Episcopum esse debere unius uxoris virum; præcipit ne, Episcopum esse non posse nisi unius uxoris vir fuerit? In hoc sensu loquutus est, quod Episcopus aut vxorem habere non deberet, aut tantùm eligendum esse ex illis, qui non plures uxores habuerint, sed unam, & quidem ante ordinationem; unde scholasticè loquendo verba illa *unius uxoris virum* non positivè usurpanda sunt, sed negativè; quod etiam concedit Martinus Luther. in propositionibus de Bigamia. Quod si tanta matrimonii dignitas est atque excellentia; reprehendatur Paulus qui dixit. *Qui nubit bene facit; qui non nubit, meliùs facit*.

Pro secundo textu; quis negat inter omnes honorabile esse conjugium? Procul dubio honorabile est, sive fuerint juvenes, sive senes; sive nobiles sive ignobiles, sive Græci, sive Hebræi; dummodo tamen sint legitime conjuncti: & si velit Calvinus nulla exceptione servata conjugium honorabile esse; dicat etiam honorabile esse inter filium & matrem, fratrem & sororem, aut filiorum cum quacumque contra Patris mandatum; quod tamen negat lib.4. instit.cap.19.§.37.

250. Argumentum tertium desumit ex Apostolorum exemplo, quos uxores habuisse ex pluribus monumentis evincitur; Paulus 1. ad Corint.9. inquit. *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* & ad Philip. ultimo. *Rogo te etiam Germane compar, adjuva illas &c.* in Græco habetur *Germana Conjux*. Præterea hoc à Sanctis Patribus traditum est; Ignatius qui Apostolorum temporibus propinquior fuit in epist.6., quæ est ad Philadel. sic scribit. *Non detraho autem cæteris beatis, qui nuptiis copulati fuerunt, quorum nunc memini; opto enim Deo dignus, ad vestigia eorum in regno ipsius inveniri, sicut Abraham, & Isaac, & Jacob, sicut Joseph, & Isaias, & cæteri Prophetæ, sicut Petrus, & Paulus, & reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati, qui non libidinis causa, sed posteritatis subrogandæ gratia conjuges habuerunt*. Clemens Alexandrin. lib.3.stromatum idem docuit, & de Philippo asseruit filias suas viris tradidisse; quem Clementis locum affert Eusebius lib. 3. hist. cap.30. & sequenti narrat, unam filiam fuisse prophetissam apud Ephesum

ſum, alias virgines permanſiſſe, quod & refert Policrates in epiſt. ad Victorem Papam: Si autem hoc de Apoſtolis dictum eſt; cur negabimus aliis, quamvis Presbyteri ſint, quamvis Epiſcopi?

251. Si totum hoc argumentum concedamus, nihil Calvino concedimus. Debuiſſet probare, Apoſtolos poſtquam Apoſtoli fuerunt vel uxores duxiſſe, vel prioribus uxoribus uſos eſſe; & tunc ſatis apte argumentum protuliſſet: At hoc probabit nunquam; ſtatim enim poſt vocationem officio conjugali renuntiarunt juxta id, quod ait Petrus Mat. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*; & reſpondit Chriſtus, *Omnis, qui reliquerit Patrem, aut Matrem, aut Uxorem*.

252. Paululum tamen immoremur ea quæ dicta ſunt conſideraturi, & primò quantum attinet ad Patres, ex iſtis nobis non deſunt, qui id prorſus negarunt. Tertullian. enim lib. de Monogamia, & Hieronym. lib. 1. in Jovinianum, nullum alium Apoſtolorum præter Petrum aſſerunt uxorem habuiſſe; quod & Baronius ad ann. quingenteſimum ſeptimum pluribus Tertulliani ſententiis fretus probare contendit; & priùs Claudius Spencecus lib. 1. de continent. cap. 8. & certè quantum attinet ad S. Paulum; mihi videtur illi nullam unquam conjugem fuiſſe dubitari non poſſe, cum id ex pluribus ejuſdem teſtimoniis manifeſtè colligatur præſertim verò ex illo 1. ad Corint. 7. *Volo omnes vos eſſe, ſicut me ipſum; ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius ſic, alius verò ſic; Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Ibi enim cum loquatur non ſolum cum viduis, ſed etiam cum innuptis, haſque ipſius exemplum imitari ſuadeat, planè evincitur, illum nunquam nuptias contraxiſſe; aliter dicere potuiſſent innuptæ, nubemus ſicut tu, deinde ſicut tu, permanebimus; & ſi ipſe integer ſemper ac continens non fuiſſet, optando, ut cœteri eſſent, ſicut ipſe, voluiſſet etiam omnes nubere; quo ſibi contraria Doctor veritatis tradidiſſet, cum alibi virginitatem præ omnibus commendaſſet. Hæc quidem breviter quantùm ad Paulum, quibus aliud non leve momentum addere poſſumus, quia Elion hoſtis Pauli infenſiſſimus, teſte Epiphan. hæreſi 30. quamvis Paulum pluribus calumniis, ac conviciis exagitaverit, attamen ipſum nunquam conjugio copulatum aſſeruit, imo dixit ad Chriſtum fuiſſe converſum, quia puellam, quam vehementer amaverat, in uxorem obtinere non potuit: Si autem Paulus ante converſionem uxorem non duxit multò minùs poſt converſionem, cum ſe totum ſpiritui ac Deo mancipaverit, quod vir uxorem habens facere non potuiſſet, quia ſicuti ex ejus doctrina mulier nupta cogitat, quomodo placeat viro, ita vir nuptus, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.

253. Interim ad alios Apoſtolos progrediamur, & jam de Sancto Joanne, qui Virgo electus ab ipſo, Virgo in ævum permanſit, negare non poſſumus, niſi Eccleſiæ totius traditionem negemus. Clementem verò Alexandrinum, alioſque, qui ejuſdem teſtimoniis uſi ſunt, deceptos fuiſſe, pro certo habeo, non ſolum quia ejus opera à Gelaſio Papa in can. *Sancta Romana* diſ. 15. inter apocrypha recenſita fuerunt, ſed etiam quia Philippus ille, de quo dicitur quatuor filias habuiſſe, non fuit Apoſtolus, ſed unus ex ſeptem Diaconis, qui act. 6. inter alios commemoratur.

254. Magis probare videtur auctoritas Ignatii, quæ præhabenda eſt auctoritati Tertulliani, & Hieronymi; quia fuit antiquior, & de Apoſtolis poterat ampliora & magis vera referre: attamen nomen Pauli, quod in ea reperitur, additum credimus ab aliquo, cum in exemplari Oxonienſi Vaticano, & alio Matthiæ Corvini Pannoniæ Regis, quod

quod se legisse testatur Ambrosius Camaldulensis penes Marianum Victorium in epist. Hieronymi 22., nequaquam Paulus habeatur: sicut, etsi dixerit, *reliqui Apostoli* judicandum est, noluisse Joannem comprehendere; cum de isto satis nota haberetur exceptio. Cœterùm de aliis, non video, quomodo Ignatii scriptura tanquam falsa rejici possit; & neque Baronius illam vel corruptam vel depravatam ostendit.

255. Præstat modo textibus ejusdem Pauli respondeamus. In primo, dum mulierem sororem nominat, nequaquam voluit uxorem exprimere, sed mulierem, quæ illi tanquam soror, non quidem sanguine, sed charitate, ministraret; quæ explicatio tradita est ab omnibus Patribus Græcis, Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto; & Latinis, Ambrosio, Haymone, Anselmo, quos reliqui expositores secuti sunt: loquitur igitur de piis illis fæminis, quæ sicuti Christum sequebantur, ita & sequebantur Apostolos illisque ministrabant, vel etiam illos fortasse opibus suis sustentabant, quemadmodum Sunamitis 4. Regum alimenta præbebat Eliseo. Neque obstat, Apostolum dicere se potestatem habere, quo dicendi modo videtur, non nisi de uxore fuisse locutum, cum in aliam potestatem habere non potuisset; siquidem potestas illa idem significat, quod facultas & licentia, sicut ante dixerat: *Numquid non habemus potestatem manducandi & bibendi*, videlicet licentiam; & præterea etiam si diceremus, potestatem illam sumi pro auctoritate incongruè non diceremus; nam licet non habuisset potestatem eam quam habet vir in uxorem, illa tamen non caruisset, quam habet Magister in discipulam; & rursus aliud est potestatem habere in mulierem; & aliud in illius actiones, qualis est illam circumducere.

Pro alio textu optimè dixit Paulus *Germane Compar*, quia hac voce significatur alius, qui socius est in eodem onere sustinendo; poterat & dicere *Coniux*; vel quia erat Maritus alicujus ex fæminis antea memoratis, idest Evodiæ, aut Synthichesis, ut dixerunt Chrysostomus, & Theophylactus; vel quia erat socius suus in Evangelii prædicatione, ut tradunt Theodoretus, & Haimo: si verò vis legere *Germana* parum refert; quia hoc explicavimus, sicut de muliere sorore dictum est.

256. Ultimum argumentum Calvini desumitur ex illa Socratis historia, quam nos art. 2. recensuimus n. 219. Verum hæc historia probat quidem continentiæ legem non esse de jure Divino; non probat autem id, in quo controversia est inter Catholicos & hæreticos, qui dicunt licitum esse etiam post ordinationem Matrimonium contrahere; imò evincitur oppositum, cum Paphnutius ita dixerit: *Satis esse, ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem jam non ampliùs uxores ducerent.*

257. Post Calvinum, Philippum Melancthonem audiamus oportet. Primo argumentatur ex illo Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*, in quo innuitur præceptum Divinum; sed etiam est jus naturale, quod colligitur ex naturali inclinatione, quam quis ad generandum habet, atque ad conservandam propriam speciem; Quapropter sicut nemo potest vel à se ipso, vel ab alio obligari ad non comedendum; quia hoc esset contra naturalem inclinationem conservandi individuum; ita nemo potest vel à se vel ab alio obligari ad non ducendam uxorem; quia hoc est contra naturalem inclinationem conservandi speciem.

258. Equidem de hoc argumento nihil hic dicendum foret, cum in quæstionibus de Matrimonio idem dissolvendum occurret; In eo autem tantùm indicatur natnræ virtus non præceptum Divinum; cum idem dictum sit etiam avibus & piscibus, quibus tamen nihil pro-

propriè præcipi poteſt: Et ſi velis fuiſſe præceptum Divinum, dicam tunc fuiſſe, quando terra erat per generationem replenda, cum ſubdatur, & replete terram; ſicut & evenit mox poſt diluvium: quam explicationem, quamvis hæretico videatur riſu excipienda; attamen tradiderunt Patres, Tertull. in lib. de Monogamia, Cyprian. in lib. de habitu Virginum, Hieronym. lib. 1. adverſus Jovinian., Auguſtin. de Sancta virginitate cap. 9. Quod ſi omnes homines quovis tempore ad conjugium tenerentur, reprehendendi tot ſancti viri, ac mulieres, quæ virginitatem ſervarunt; reprehendendus ipſe Chriſtus &c. Quod verò dicitur de lege naturali, inconſultò dicitur: nam ſicuti nemo tenetur ad manducandum, niſi quando neceſſitas conſervandi individuum urget: ita nemo tenetur ad nubendum, niſi quando neceſſitas conſervandi ſpeciem apparet, quod nos non negamus; ſed hanc velle ad ſacros Miniſtros deducere, inſanire eſt.

259. Secundo argumentatur ex illo 1. ad Corint. 7. *Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat*. Ergo cum non magis Laici, quam Sacerdotes fornicationis periculo obnoxii ſint; non minus iſtis, quam illis concedenda ſunt conjugia.

Id nequaquam concedere poſſumus, niſi omnium Sanctorum Patrum expoſitiones evertamus; quæ etſi plures fuerint, nulla tamen ad mentem Philippi. Tertullianus & Hieronymus locis nuper laudatis aſſerunt Apoſtolum loqui de conjugatis; qui cum in paganiſmo uxores duxiſſent, dubitabant, an poſt converſionem ad fidem iis uti liceret; atque ipſis reſpondet, ut unuſquiſque apud ſe uxorem ſuam retineret, & conjugale debitum redderet. Alii explicant, hoc dictum eſſe non ſecundum præceptum, ſed ſecundum indulgentiam; juxta illud ejuſdem capitis; *ſi non ſe continent, nubant, melius enim eſt nubere quam uri*. Et. *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*. Quod ſi Paulus abſolutè & de omnibus id dixiſſet; primò, ſicut inquiit, ut omnes haberent uxorem ſuam propter fornicationem; ita præcepiſſet, ut mortua priori uxore aliam duceret; & tamen ibidem ait: *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem*. Secundò ſibi contradixiſſet; etenim docuit: *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*. Plures alias explicationes addere poſſem; ſed iſtæ ſufficiant.

260. Si inquiit Apoſtolus, *ſi ſe non continent nubant*, igitur Sacerdotibus, qui ſe continere non valent, licitum erit nubere; etenim etiam ipſis meliùs erit, quam uri; & præterea; continentiæ lex difficillima eſt, nec omnibus datum eſt illam poſſe ſervare juxta illud Mat. 19. *Non omnes capiunt verbum*.

Non ita non ita loquaris Philippe, aut dicas, quod ſi contigerit, virum uti non poſſe uxore ſua propter infirmitatem, aut propter abſentiam, & ſe continere non poſſit, aliam uxorem ducere poſſe, quod non aſſeris. Sicut igitur, ſicut ante uxorem ductam poterat quilibet nubere, non poſtea; ita ante ſacros ordines ſuſceptos poterat quilibet uxorem ducere, non autem poſtea, quia ſe continere poſſe exiſtimabat, & huic legi ſponte ſe ſubjecit; nemo enim illum ad Eccleſiaſticum gradum adſtrinxit; Hujuſce legis difficultatem debebat prius attentè perpendere: & ſi propter ipſam poſſet quilibet pro ſui arbitrio uxorem ducere, propter difficultates longè majores, quæ ſunt in Matrimonio poſſet etiam Matrimonium ſolvere: Quilibet, qui continere velit, poteſt, dummodo opportuna ac neceſſaria remedia non negligat; Orent, jejunent, occaſionum pericula fugiant, gratia procul dubio non deerit, qua continentiam ſervent, ſicut innumeri alii ſervarunt; Mirum propterea non eſt, ſi hæretici continere non valent; Quilibet mulierem domi ſuæ habere vult;

vult; Quilibet ad satietatem crapulæ indulget, & jejunia omnia abjicit; Canonicarum horarum oratio prorsus neglecta ab ipsis est; Pleni igitur vino & potu, pleni fæminarum conventibus, pleni sint & libidine necesse est.

261. Tertiò argumentatur; quia lex præcipiens cælibatum aliena omninò est ab antiquis Conciliis; igitur iniqua est, & condemnanda. Si autem petas, quibusnam Conciliis opposita sit; Melancthon nequaquam assignat; existimo tamen illa esse, quorum jam in antecedentibus mentionem fecimus, dum pro Ecclesia Græca actum est; Quapropter nihil concluditur: cum permissio data auferri possit, & quod juxta alicujus temporis circumstantiam licitum erat, pro alia possit nequaquam licitum esse: De reliquo ipsi Græci, quibus illa Concilia favent, non dicunt post ordinationem licitum esse Matrimonium contrahere; sed solum uxore antea ducta juxta Matrimonii leges uti; Si Concilia vellent hæretici consulere saltem præclariora, nobis procul dubio manus darent; sed concupiscentia excæcavit eos, & juxta legem carnis omnia explicant ac intelligunt. Hic unicè perpendam can. 35. qu. 1., qui S. Augustino tribuitur, sic autem legitur; *Ecclesia post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia Clericorum.*

262. Verum, etiamsi hoc absolutè admittamus, saltem concludetur, legem continentiæ spectare ad consilium perfectionis, non esset igitur lex impia, tyrannica, injusta, ut ipsi impiissimè contendunt; Cæterum verba illa non sunt Augustini, sed Gratiani, qui verbis Augustini sua addidit, ut non infrequenter solet: dixit autem, continentiam esse consilium perfectionis: quatenus quod juxta Christi institutum erat consilium, fecit Ecclesia, ut pro Clericis esset præceptum. Præterea; falsum est, hoc ab Ecclesia post Apostolica instituta additum esse, cum, ut superiùs demonstravimus fuerit lex ipso Apostolorum tempore observata.

263. Denique opponit: Ex hoc Clericorum cælibatu plurimas oriri lididines, mundum concubinis, & Ecclesiam scandalis repleri.

Voces istæ voces hæretici sunt, nequaquam Pauli, qui diverso prorsus loquitur modo: Quæ sint cælibatus dotes explicat iste 1. ad Corint. 7. nempe cogitare quæ Dei sunt, non quæ Mundi, sanctitatem servare corpore & spiritu, orationibus vacare, & alia hujusmodi, quæ fortasse experirentur Novatores, si Ecclesiæ Romanæ legibus se subdentes continentiam servare vellent. Quod verò in Ecclesia Christi plures sint Clericorum concubinæ, plura scandala objiciantur, non hoc tribuas legi, quæ sancta est, sed legis prævaricatoribus, qui lege abutuntur. Tolle omnia, quæ a Deo bona creata sunt, in ordine naturali; Tolle Sacramenta in ordine supernaturali, quia plerumque homines per ea magis peccant.

264. Præter ista est quædam objectio nobis à Centuriatoribus facta, qua summopere gloriantur, eamque pluribus in locis tanquam in triumphi vexillum attollunt; Afferunt autem unam epistolam Sancti Ulderici Episcopi Augustani scriptam ad Nicolaum Papam, in qua hæc historia narratur: *Beatus Gregorius Magnus Papa I. aliquando suo quodam decreto uxores Sacerdotibus ademit. Deinde paulo post cum idem Gregorius jussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, Piscatores pro piscibus sex millia capita infantium suffocatorum repererunt, quam cædem infantium, cum intelligeret S. Gregorius ex occultis fornicationibus vel adulteriis Sacerdotum natam esse, continuò revocavit decretum, & peccatum suum dignis pænitentiæ fructibus purgavit.*

265. O rem risu simul & indignatione excipiendam? Quis adeo nequam, qui id fabularum genus invenit? Sed quis adeo insipiens, ut hæc cre-

credat? Ad quos potuit ita ſcribere Gregorius,ut Sacerdotibus uxores ademerit? non ad alios certè,quam ad Epiſcopos Siciliæ; Ibi igitur factæ fornicationes, ibi adulteria, & poſtea Romæ, ubi Gregorius commorabatur reperta capita infantium? Quis ea detulit? Quis tam ſecreto in piſcinam injecit? quibus hamis, quibus retibus capta ſunt? & ſi etiam reperta, & capta eſſent, quis Notarii & Teſtium munere perfunctus eſt, ut ſcriberet, ac teſtaretur eſſe filios Clericorum, non Laicorum? tot millia mendacia protulerunt, quot millia capita inventa eſſe dixerunt.

266. Sed licet altiùs rem conſiderare, ejuſque falſitatem oſtendere. In primis ante Gregorium Magnum lex continentiæ pro ſacris Miniſtris habuit exordium, ut à nobis dictum fuit; Secundò inter omnia S. Gregorii opera nullum hujus rei extat veſtigium, & tantùm in epiſt.42. legimus, factum fuiſſe à ſuo prædeceſſore decretum, quo præcipiebatur, ne Subdiaconi Siculi ſuis uxoribus uterentur, & ibi decretum hoc temperat, permittitque, ut uxoribus ante ordinationem acceptis uterentur, ſed inde nemo promoveretur, niſi continentiam voveret, de quo decreto à nobis jam dictum fuit.

Præterea; Si hoc eveniſſet, res certè miranda omnium Scriptorum calamis fuiſſet ad poſteros committenda, & tamen aliquem afferre non poſſunt, non Joannem Diaconum, non Bedam, non Sigibertum, non Adonem, non Ferculphum, aliosque qui illis temporibus floruerunt. Perpendas etiam, quod ſi vera eſſet illa narratio, vel Uldaricus ante ſui nativitatem ſcripſiſſet ad Nicolaum I., vel Nicolaus I. poſt ſui mortem recepiſſet epiſtolam Uldarici. Enimverò S. Uldaricus juxta omnes Scriptores annos vixit 83., ex iſtis 50. in Epiſcopatu, creatus autem fuit Epiſcopus vel anno 924. juxta Abbatem Urſpergenſem, vel ann. 903. juxta Chron. Auguſtanæ Eccleſiæ; Nicolaus Papa I. ex Onufrio in vitis Roman. Pontific. obiit an.867., ex alia parte ſcripſit dum erat Epiſcopus, quia initio epiſtolæ ſe talem nominat; ergo ſequitur id, quod dictum eſt.

267. Contorqueant ſe Centuriatores, & viam aliquam evadendi, ſi poſſunt, inveniant; Dicant, epiſtolam illam fuiſſe ſcriptam ad Nicolaum II. Dicant, fuiſſe duos Uldaricos Epiſcopos Auguſtanos. Hæc profecto eſt mendacium hominum conſuetudo, ut novo mendacio mendacium prius confirment. Si primum aſſerunt: Uldaricus, ſeu Udalricus poſt mortem ſuam ſcripſit, etenim obiit vel anno 953. vel 974. juxta ſuperiorem ſupputationem, Nicolaus autem II. renuntiatus eſt Papa ann. 1059. Si ſecundum; in Catalogo Epiſcoporum Auguſtanorum unus tantum Udalricus reperitur apud Munſterum lib.3. de Germania; & revera nullum auctorem proferunt, qui de hoc alio Udalrico ſcripſerit.

268. Hæc in hac materia à nobis ſcripta ſunt; ampliorem tractatum invenies apud Michaelem Medinam, qui de ſacrorum Miniſtrorum continentia ſex libros implevit; Hoſium in ſuo Dialogo; Claudium Eſpencecum, Alphonſum de Caſtro, Albertum Pighium, aliosque plures, ſed nobis ſatis fuit hæreticorum argumenta nulla, inania, fabuloſa eſſe demonſtrare.

SE-

SECTIO UNICA.

De Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

269. Jamjam te dicentem audio, nihil de Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis scripsisti, ea quidem de causa, qua illorum dignitates non esse in Ecclesia ordines dixeris num. 177. in fine; Cur igitur de eo puncto nunc agendum aggrederis, quod ad Cardinales pertinet, cum tamen nec istorum dignitas ordo sit? Non ineptè, fateor reponis; sed si animadverteres, à me dictum esse num. 98., alibi de Parochis instituendum esse sermonem, amicam manum præberes, neque inconsulto de Cardinalibus aliqua proferenda esse concederes; præsertim quia Joannes Calvinus rem hanc non præteriit. Pauca tamen à me velim expectes, sed præcipua; etenim de aliis effuso scripserunt calamo Augustinus Triumphus, Thom. Wald., Joan. de Turrecremata, S. Antonin., Andreas Barbatius, Onufrius Panvinus, aliique.

270. In primis igitur nonnulla de Parochis observanda sunt. Omittendo autem, quid significet hoc nomen Parochi, & quare Parochia appellata sit illa Ecclesia, ad quam fideles conveniebant; certum est, Parochiam, seu Paræciam esse particularem Ecclesiam certo quodam territorio definitam; & Parochum esse Presbyterum illum, qui eam regit; unde & absolutè talis Ecclesiæ Presbyter appellari consuevit.

271. Ipso autem sub initio Ecclesiæ hujusmodi Parochias, ipsarumque Presbyteros præter plures alios Sanctos Patres, ut Polycarpum in epist. ad Philip., Ignatium ad Ephes., Cornelium Summum Pontificem ad Fabium Antioch., præsertim & clariùs S. Athanas., & S. Epiphan. commemorant. Primus in apol. 2. scribit: *Mareotes regio est Alexandriæ, in qua nunquam Episcopus fuit, aut Chorepiscopus, sed universæ hujus loci Ecclesiæ Episcopo parent Alexandrino; Presbyteri autem singuli suos vicos habent*. Secundus verò lib. 2. hær. 49. ait: *Quotquot Alexandriæ catholicæ communionis Ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique Præpositus est Presbyter, qui Ecclesiastica munera iis administret, qui circa Ecclesias illas habitant*.

272. Porrò Parochi isti, qui pluribus privilegiis tunc exornati erant, ut colligitur ex Hieronymo epist. ad Heliodorum & Augustino lib. 3. contra Parmenian. cap. 2. aliisque, erant à consiliis Episcoporum; præsertim verò Romæ, & isti Cardinales fuerunt appellati, ex quibus constituitur augustissimum illud ac præclarissimum Consistorium, de quo in præsenti sermo noster.

273. Est autem observandum, ædes sacras in Civitatibus duplicis præcipuè generis fuisse: aliæ enim fuerunt, quas titulos vocabant: & erant Parochiarum vice, ad eas enim conveniebant populi tum audituri sacras liturgias, tum etiam sacram Eucharistiam percepturi: aliæ verò appellabantur Diaconiæ, & erant quodammodo publicæ pauperum Hospitales domus, quibus adjuncta erant Sacella, & qui ipsis præerant dicebantur Diaconi, sicuti qui prioribus Presbyteri; Reliquæ vero, si quæ fuissent, Oratorii nomen habebant, in quibus nec baptismus conferri, nec Sacramenta

ta fidelibus ministrari conveniebat; Qua de re ut ab istis illæ distinguerentur, priores dictæ sunt Tituli Cardinales, scilicet præcipuę, & hoc modo eorumdem Presbyteri vel Diaconi dicti erant Cardinales.

274. Nomen igitur hoc fuit etiam commune aliis Ecclesiis præter Romanam; & revera Gregor. Magnus lib. 5. epistolarum cap. 3. misit Diaconum Cardinalem ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, ut ipsum Ecclesiæ Neapolitanæ Cardinalem efficeret; & epistol. 34. lib. 11. mentionem facit Presbyteri Cardinalis ab Episcopo Syracusano constituendi.

275. Hac de re Calvinus lib.4. Institut. cap. 7. §. 10. ait: ante tempora S. Gregorii nomen Cardinalis se non legisse; Verùm vel mendax est, vel ignorans; Si enim legit Synodum secundam Romanam sub Sylvestro, qui Gregorium antecessit annis fere trecentis, procul dubio invenit Cardinalis nomen expressum; etenim c. illius 6. habetur. *Ut Diaconi non essent plus, vel amplius per Parochiarum examen, nisi duo, & Diaconi Cardinales Urbis Romæ septem &c.* & ita mendax est; Si autem non legit, ejus ignorantia reprehendatur; Hic verò Sylvester non statuit hoc nomen Cardinalis, nam septem alios supponit fuisse, & tantùm addit duos alios.

276. Utcumque autem res se habeat; Cardinalis nomen, quod aliis etiam Ecclesiis commune erat, Romanæ potissimum concedendum erat, utpote quæ caput omnium Ecclesiarum & cardo semper habita fuit, atque ejus Episcopus, cui assistebant Presbyteri ac Diaconi, omnium sit maximus Episcoporum; atque ita res peracta fuit, ut nullus Presbyter, nullusque Diaconus alterius Civitatis Cardinalis appellaretur; sed tantùm illi qui Parochias, ac Diaconias, seu titulos habuerunt in Urbe; Olim autem ita se gerebant Presbyteri Cardinales in suis titulis, sicuti aliarum Parochiarum Presbyteri, & ita Diaconi in suis omnia munia obibant, quæ propria sunt Diaconorum, ut habetur in Constitut. Joann. VIII. de jure Cardinalium apud Baron. ad ann. 882.

277. Porrò tria officia Cardinalibus conveniunt. Primum commune est aliis Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis; quia omnes Cardinales aut sunt Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi; Secundum est habere potestatem eligendi Summum Pontificem, in qua electione varia fuit servata disciplina; etenim post Clementem, qui electus fuit ab ipso Sancto Petro, & quod fieri etiam potuisset ab aliis successoribus, eligebatur Pontifex à Clero; deinde electio fiebat ex consensu Imperatorum, imò Justinianus Senior recuperata Italia decrevit, ut sine sua approbatione nullus eligeretur, quod usque ad Constantinum IV. servatum est, qui huic juri, si tamen jus, & non potius usurpatio dici debeat, sponte cessit. Postea Adrianus I. Carolo Magno, & Othoni Leo VIII., ut constat ex Gratiano can. *Adrianus*, & can. *In Synodo*, pro Ecclesię defensione electionis istius potestatem fecerunt, cui quidem potestati cesserunt Ludovicus Caroli filius, ut in can. *Ego Ludovicus*, dist. 63., & Otho I. can. *Constitutio*, eadem distinctione; ex quo tandem jus hoc ad Cardinales translatum est. Postremum verò atque maximum officium Cardinalium est, Summo Pontifici semper assistere, illique in Christi Ecclesia regenda studio, sedulitate, industria, consilio adjumentum præbere.

278. Qua in re tibi summopere gratulor CLEMENS XII., quod tibi tales pro difficillimis rebus, quæ hisce nostris temporibus exortæ sunt, Consiliarios ac Cardinales elegeris, ut si quid humana valet solertia, si quid pietas, si quid eruditio, integritas prosunt, Ecclesiæ Christi nihil mali metuendum superesse, quidquid boni sperandum, atque in posterum obtinendum,

dum, ſicut in cæteris aſſequutus es, videatur. Cæteros quidem, quos Prædeceſſores tui huic ampliſſimo ordini adſcripſerunt, non producam, illoſque aliorum calamis, meo felicioribus, celebrandos committam; Sed neque de illis omnibus, quos Tu ad ſublimem adeo dignitatem evexiſti, ſermonem ullum inſtituam, quippe qui nec omnes novi, nec omnes vidi, fortaſſe etiam de ipſis nec quidquam audivi: Sed dum aliquorum egregias dotes, præclaramque mentem animo perſæpe ſoleo uſurpare, Tibi inquam ſummopere gratulor: Eximios duos, unum ex fratre, alterum ex ſorore, nepotes intueor. *Nerius Corſinus* primus eſt, cujus in rebus agendis perducendiſque ingenium, moderatio, magnanimitas, prudentia, fortitudo, felicitas ſatis commendari non poſſent, niſi omnium plauſu commendarentur. *Joannes Antonius Guadagni* eſt alter, qui ordinis incliti S. Thereſiæ inſtitutum ſequutus, etiam inter purpuræ ornamenta non deſerens, tui Vicarius in Urbe ſpiritualium bonorum incrementa promovet, malorum arcet pericula, amore & majeſtate ſibi omnes conciliat, & quod Tu Chriſto, Ille Tibi. Quid verò de *Antonio Xaverio Gentili* mihi ſummis laudibus attollendo non proponitur? In Datarii munere, quod ipſi addictum eſſe voluiſti, quàm impiger, quàm juſtus? In Tridentini Concilii, cujus Congregationi præeſt, ſervandis juribus ac defendendis, quàm ſedulus, quàm verſatus, quàm conſtans, quàm incorruptus? erga vero litterarum, ſtudiorumque cultores Mecænas Optimus alios ad litterariæ Reipublicæ ſplendorem accendit, alios remuneratione proſequitur, illudque, quod ſuum eſt, à ſcientiarum tecto non dividit. Sed jam occurrit *Dominicus Rivera*, cujus quidem mentem ita condidit Deus, ut moderandis populis, rebus difficillimis diſſolvendis, animiſque Principum Romanæ Sedi conciliandis, addicendiſque meliorem haudquaquam viderim, aut legerim; Hic propterea Optimi Regionis moderator, ac præſes Pontificii ſtatus felicitatem ſervat, in dies adauget, ac quanto Prædeceſſores ſui fortes in bello ſe præſtiterunt, tanto iſte pacis bona cuſtodit, tranquillitatemque intimam, extimamque tutiſſimam reddit; Neque *Marcellum Paſſeri* prætermittere unquam potero. Te, Princeps Eminentiſſime, tua morum integritas, Te tua ingenii, ſtudiique vis, Te tua in rebus omnibus optima conſilia, atque ſententia ad ampliſſimam dignitatem evexerunt, Tibi debet Urbs tota, totus Orbis tibi debet, atque Eccleſia longè latèque diffuſa ex munere, quod SSmi D. Noſtri Auditor præclariſſimè geris, tibi ſe plurimum obſtrictam eſſe fatetur, & gloriatur.

279. Sed jam ad noſtra redeamus, atque illa proſequamur, quæ rurſum de Cardinalibus poſſunt inquiri. Quæri autem primo poteſt, utrum ordo proprius Cardinalium fuerit à Chriſto Domino inſtitutus, & antiquior Epiſcopatu. Hoc affirmat Joannes à Turrecremata, qui lib. 1. Summæ Eccleſiæ cap. 80. ſtatum Cardinalium Romanæ Eccleſiæ ex Divina inſtitutione, ſicuti Epiſcoporum & Presbyterorum, imo antiquiorem Epiſcopatu demonſtrare contendit; Porro diſtinguit ipſe triplicem ſtatum Apoſtolorum, primum pro eo tempore, quo Chriſtum ante ejus aſcenſionem comitabantur, eidemque aſſiſtebant, quibus dictum fuit Luc. 12. *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater, regnum*, nempe Eccleſiam militantem; Secundum pro eo tempore, quo poſt Chriſti aſcenſionem, aſtiterunt Petro Chriſti Vicario in officio univerſalis Paſtoris, ac Papæ; Tertium pro illo, quo ſeparati à Petro miſſi ſunt Marci ultimo, *prædicare Evangelium omni Creaturæ*; concludit deinde in primo & ſecundo ſtatu fuiſſe Cardinales, eiſque Cardinales Romanos, qui Pontifici aſſiſtunt, ſuccedere; in tertio

tertio vero ſtatu repræſentaſſe Epiſcopos, qui à Summo Pontifice diverſis Eccleſiis præficiuntur, atque ad varias mittuntur Diæceſes, ſicut illi à Chriſto in diverſas mundi partes miſſi fuerunt. Ex hac doctrina alia nonnulla conſectaria exponit.

280. Verùm hujuſmodi opinio à communi aliorum Doctorum mente recedit, neque illam refellam, cum ſatis in hac re dixerint alii, præſertim Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 16., & Vaſq. in 3. p. diſp. 242. cap. 4.

281. Quæri ſecundo poteſt de dignitate Cardinalium comparatione facta cum Epiſcopis. Qua in re laudatus à Turrecremata conſectariè docuit, Cardinales Romanos ſive Presbyteros, ſive Diaconos omnibus eſſe præferendos. Ego autem exiſtimo, diſtinguendam eſſe Cardinalium dignitatem, vel quatenus ordine Presbyteratus, & Diaconatus inſigniti ſunt, vel quatenus Pontificem adjuvant in Eccleſiæ Univerſalis regimine. In priori ſenſu major eſt dignitas Epiſcoporum, cum poſſint ordinare alios Presbyteros, imo & Epiſcopos, baptizatos confirmare, quod Cardinali Presbytero non conceditur, multo minus Diacono; Rurſus Epiſcopi in propria Diæceſi poſſunt leges ferre, diſpenſare, punire, excommunicare &c. Cardinales autem non Epiſcopi in ſuo titulo nihil horum præſtare poſſunt, niſi ex Summi Pontificis permiſſione; In poſteriori autem ſenſu, præſtantior eſt dignitas Cardinalium, etenim Epiſcopi, qui Cardinales non ſunt ad Pontificis conſilium non adhibentur, niſi raro, quando nempe Concilia celebrantur, à Cardinalibus etiam judicantur & puniuntur Epiſcopi, proinde &c.

Atque hæc dicta ſint ſatis pro hiſce quæſtionibus, in quibus ſi aliquid boni dictum eſt, bonorum omnium tribue largitori, ſi quid mali, tanquam non dictum revoco; Omnia autem infallibili Eccleſiæ auctoritati ſubjicio.

PARS SECUNDA
DE VENERABILI
EUCHARISTIÆ
SACRAMENTO
QUÆSTIONES
In quartum Sententiarum.

DEI perfecta sunt opera inquit Propheta, perfectiora tamen, in quibus Deus ipse non æterna immensitate sua, sed præsentia sua temporanea in substantia continetur. Hoc est admirabile Eucharistiæ Sacramentum, quod cum expositurus accedo, ingenium deficit, mens obruitur, & omnium sensuum defectui supplementum porrigit fides. In hoc Christus Dominus divitias amoris sui velut effudit; ita ut à Tridentino sess. 13. cap. 2. amor amorum appellaretur, & dictum fuerit Joan. 13. *Cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Si quid igitur roboris, si quid ingenii est, in tanti mysterii contemplatione proferatur. Nihil nos efficiet æquè beatos, quàm mente concipere, quem Beatissima Virgo ventre concepit, cum Deipara ex Augustino fuerit beatior concipiendo mente, quàm ventre; Nihil etiam ad agnitionem Dei nos felicius perducet; Cum & discipuli euntes in Emmaus, in hac sola fractione panis cognoverint Redemptorem.

Hic etiam opponi mihi sentio, quod in Sacramentorum quæstionibus ordinem perverterim; atque statim post confirmationem agendum fuisset de Eucharistia. Ita fateor ab omnibus aliis Doctoribus rem fuisse pertractatam, nec eorum methodum audeo reprobare; Noverint tamen ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1., *Sacrificium, & Sacerdo-*

cerdo-

cerdotium ita Dei ordinatione conjuncta esse, ut utrumque in omni lege extiterit; & observent, ordinationem priorem esse Eucharistia, sicut causa suum effectum præcedit, & consulto à me factum esse, ut priùs de ordine egerim, deinde de Eucharistia, & in eodem opere utrumque sacramentum complexus sim, non nisi temere inficiabuntur.

Tractatum hunc, de quo S. Th. 3. par. à quæst. 73. ad 83. & Scotus in 4. Sentent. cum reliquis Theologis per diversas quæstiones persolvam, agendo in prima de Unitate & essentia hujus sacramenti; in secunda de ejusdem materia; in tertia de ejusdem institutione in quarta de præsentia corporis, & sanguinis Christi; in quinta de forma consecrationis, in sexta de Ministro, & subjecto, in septima de necessitate tum consecrandi sub utraque specie, tum communionem sumendi, in octava de communionis effectu, in ultima de Eucharistia, ut Sacrificium est; Omnia autem ita exponam, ut nihil pro catholico dogmate, nihil pro Scholarum opinionibus defuturum esse pollicear & confidam.

QUÆSTIO I.

De Unitate, & Essentia hujus Sacramenti.

ARTICULUS I.

An Eucharistia sit unum, vel multiplex Sacramentum.

1. TITULUM in supposito deficere dixerunt Arcontici ex Epiphania hæres. 40. Messaliani ex Theodoreto lib. 4. hist. c. 10. Petrobrusiani ex Petro Claniacensi in epist. contra hanc hæresim, asserentes, Christum sacramentum quidem effecisse; aliis tamen ipsius conficiendi non contulisse potestatem, nec non Bogom. ex Euthim. in 2. p. Panopl. tit. 23. cap. 17. existimantes, nihil in Eucharistia præter Orationem Dominicam, & Evangelium esse admittendum. Verum ita prorsus deletæ sunt hæreses istæ, ut vel ipsi hæretici nostrorum temporum, licet de Eucharistia turpiter sentiant; attamen sacramentum esse non negent; imo neque à primis peculiariter negatum esse P. Vasq. 3. par. disp. 177. cap. 1. demonstrare contendit.

2. Ad hanc fidei veritatem explicandam, occurrit Ecclesiæ consensus in quadam collecta dicentis. *Hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam*; occurrunt Concilia Cart. 3. cap. 24. Lateran. ut habetur in cap. *Firmiter* & *cum Marthæ* de celeb. Miss. Florent. in decreto fidei §. *Quinto Ecclesiasticorum*, & pro omnibus Trident. quod sess. 13. & 21. totum est in agendo de Eucharistiæ sacramento, cujus nimis diuturnum esset verba proferre; Occurrunt demum omnes Sancti Patres, quos in decursu proferre necessum erit.

3. Neque verò ratio deest; Eucharistia enim est signum sensibile sacrum causativum gratiæ in suscipiente, quod tantùm ad essentiam sacramenti requiritur, signum inquam sacrum & sensibile, nam in ipsa benedicitur Deus, ipsique gratiæ referuntur; & species ipsius sensibiles sunt, causat verò gratiam, quia Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*.

4. Atque hoc ita asserendum est, ut Eucharistia cum nullo ex aliis sacramen-

mentis confundatur, ut disertè statuit Concil. Trident. sess. 7. can. 1. & ratio desumi potest ex eo, quod gratia collata per istam sit adinstar cibi & potus homini jam regenerato per baptismum, & per confirmationem ad statum perfectum deducto, quod aliis sacramentis convenire affirmari non potest.

5. Jam verò hisce præsuppositis tanquam ad omnes quæstiones necessariis, ad secundam tituli partem resolvendam devenio, quæ potissimum intelligi debet de unitate specifica, & atoma. Fateor tamen in hisce rebus, sicut in aliis, quæ sequentur, invito calamo, & penitus invita mente me scribere, cum sint quædam speculationes, quæ pro utraque parte adhiberi possunt, neque faciant hominem doctum, sed contentiosum, nihilo tamen minus, ut aliquibus fortasse satis faciam, omninò non prætereo.

6. Præmitto autem, plura in Eucharistia concurrere, etenim requiruntur panis, & vinum tanquam materia remota, & duplex consecratio tanquam forma, quarum quælibet rem diversam significat cum per unam significetur corpus, per aliam sanguis Christi: Hoc jam probaret, Eucharistiam duplex sacramentum esse; si quemadmodum significantur res materia magisque explicitè diversæ; significarent etiam forma, & implicitè, quod tamen non contingit: Effectus enim formalis & finis in duplici signo unus est; cum certum sit aliud non innui formaliter, quam gratiam collatam, tanquam convivium, seu satietatem, & refectionem animæ adinstar cibi, & potus spiritualis, quæ gratia per quamlibet speciem etiam divisim acceptam habetur, ut suo loco probabitur, & tantum magis expresse per utramque confertur.

7. Quod totum magis confirmatur, si ad eos scripturæ textus confugimus, quibus appetitum esuriendi, & sitiendi in spiritu nostro non distingui declaratur. Unum afferam Joan. 6. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet; & qui credit in me non sitiet unquam*, ubi August. hom. 25. *Quod dixit non esuriet, hoc intelligendum est, & non sitiet, utrobique enim significatur æterna satietas, ubi nulla est egestas*. Quibus prænotatis.

8. Dicendum. Eucharistiam esse unicum sacramentum unitate specifica & atoma, quam sententiam tradiderunt S. Thom. 3. par. quæst. 73. art. 2., Scot. in 4. dis. 8. quæst. 1., Suarez, Vasq. Cacheran.

Videtur hæc assertio tradita à Concilio Tridentino, & Catechis. Pii V. par. 2. cap. 4. ubi ait, Non plura, *sed unum Eucharistiæ sacramentum Ecclesiæ authoritate docti confitemur*. Quia tamen reponere possent, hæc omnia servari per unitatem in specie subalterna non infima, eo modo quo Diaconatus, Presbyteratus, & Episcopatus sunt ordines diversi; & diversa sacramenta, & tamen omnes constituunt unum sacramentum ordinis; ideo alio momento probandam esse existimamus.

9. Sic autem probo. Eucharistia est unum sacramentum modo exposito, si in plures species vel partiales, vel totales dividi non potest; sed res ita se habet: ergo. Quantum ad totales species non negatur; quantum ad partiales suadetur, quia signa constituentia sacramentum Eucharistiæ plures significationes sacramentales non habent, cum significent sacramentaliter eamdem gratiam, tanquam spiritualem refectionem habitam per cibum & potum; proinde &c.

10. Quod quidem explicari potest; quia sacramentum hoc fuit institutum adinstar spiritualis convivii animam nutrientis, atque reficientis per gratiam quam significat ac producit, & ex qua significatione sacramentum est; Porro quodlibet convivium quamvis constet ex cibo & potu, attamen unicum convivium est, neque per respectum ad convivium cibus & potus specie

cie diſtinguuntur; ergo ſacramentum Euchariſticum conſtans ex duabus ſpeciebus unicum eſt; non quidem unitate indiviſibilitatis, ſed integritatis. Hoc dici poteſt, ſi placet; quamvis, ut hoc dicamus, nihil nos cogit; quia in re noſtra id quod ſe habet ut cibus, ſe habet etiam ut potus, & è contrario, ut prænotatum eſt num.6.& 7. idemque effectus, qui ab uno ſigno profertur; etiam profertur ab alio.

11. Neque obſtat cum aliqua diverſitate ſignificari; etenim hujuſmodi diverſitas eſt tantùm materialis, & ex diverſo modo ſignificandi, non vero formalis, & ex re ſignificata; ab iſta autem, non ab illa unitas vel dupplicitas ſacramenti eſt deſumenda.

12. Dices. Non tantùm ſignificari gratiam accidentalem, ſed etiam ſubſtantialem, ideſt ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti; & hæc ſunt in ſpecie diverſa, ſaltem partiali; ſigna itaque iſta, quæ Euchariſtiam conſtituunt, ſaltem partialiter diverſa ſunt.

Sed contra; Sicut per hoc ſacramentum gratia ſubſtantialis non producitur; ita ejus finis & effectus eſſe non poteſt; & ſubſtantialis gratia ſe habet tanquam cauſa efficiens illius gratiæ, quæ finis eſt ſacramenti; proinde ſpeciem Euchariſtiæ dare non poteſt, & quamvis hanc tribueret, attamen nihil e vinceretur, quia in utroque ſigno totus eſt Chriſtus, & ut loquitur Tridentinum, ſub accidentibus panis eſt corpus, & concomitanter ſanguis; ſub accidentibus vini eſt ſanguis, & concomitanter corpus: proinde non ſolùm ſignificatur eadem gratia accidentalis, ſed etiam ſubſtantialis; & ſola diverſitas eſt in modo, qui in re noſtra conſiderari non debet.

13. Opp.1. In hoc ſacramento ſunt diverſæ materiæ, ſunt diverſæ formæ; nam una materia conſiſtit in accidentibus vini & ſanguine Chriſti; Una forma in verbis conſecratoriis panis, alia in verbis conſecratoriis vini; ſed ubi ſunt diverſæ materiæ, diverſæque formæ, ſacramentum non eſt tantùm diverſum materialiter, ſed etiam formaliter; ergo: præſertim cum iſtæ formæ eſſentia differant; nam ſi una pro alia proferretur, nihil conſecratum remaneret.

14. Reſp. eſſe duas materias, duaſque formas, eamdem tamen eſſe rem ſignificatam, ſicut dictum fuit; ibi autem ſacramentum non eſt unum; ubi ſunt diverſæ materiæ, & formæ, quæ idem ſacramentaliter non ſignificant: quare ad ſummum infertur diverſitas numerica, nequaquam ſpecifica, de qua re nolo quæſtionem inſtituere, utpote inutilem; & verum eſt, iſtas formas differre eſſentialiter in modo ſignificandi; quod ſatis eſt, ut dicamus, nihil conſecratum fieri, ſi una pro alia proferretur; non vero in re ſignificata ex parte ejuſdem rei: quod dico, quia juxta verborum ſignificationem formaliter ponitur corpus, non ſanguis, & è contra; attamen in re ambo ponuntur: Qua de re potius dicerem, quod ſi pro triduo mortis fuiſſet facta conſecratio; tunc duplex partiale ſacramentum futurum fuiſſe. Quod tamen ad rem noſtram non eſt.

15. Opp.2. Eccleſia in collecta quadam ait: *Purificent nos Domine Sacramenta, quæ ſumpſimus.* In Concil. Africano cap. 4., Carthag. 3. cap. 24., & ad mentem Ambroſii lib. 5. de Sacramen. cap. 1. habentur canones *Comperimus. Tribus gradibus. Species. Iteratur.* De conſecr. diſ.2. in quibus in numero plurali ſemper eſt ſermo.

Præterea. In convivio materiali diſtinguitur ſpecie cibus à potu; ergo etiam in convivio ſpirituali, ſicut eſt Euchariſtia.

Tandem. Poteſt conſecrari hoſtia ſine calice, & calix ſine hoſtia; ergo ſunt ſacramenta diverſa.

16. Reſp. haberi etiam, *hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam.* Et; *Deus; qui nobis ſub Sacramento mirabili &c.* Si igitur in numero

ro plurali Eucharistia usurpatur; aliam existimo rationem non esse; nisi quia materialiter & ex modo significandi ita est, quidquid afferant alii Doctores, ut ista concilient.

Ad 2. responsio data est num. 10. juxta dicta num. 6. & 7., & ampliùs dicetur, ubi de sumptione sub utraque speci pertractabitur.

Ad ultimum; id concedimus, ita tamen ut sive consacretur hostia sine calice, sive calix sine hostia, eadem habeatur gratia, idem effectus, & finis. Deinde ad summum probaretur diversitas numerica, de qua re non una est Doctorum sententia.

ARTICULUS II.

An Sacramentum Eucharistiæ consistat in re permanente.

17. Contra hæreticos quæstionem incipimus instituere, quorum errores varii recensentur. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 17. §. 37. cum aliis asserit solum panem & vinum esse sacramentum, dum comeditur, & bibitur; sicut aqua baptismi tunc solùm sacramentum est, cum abluit. Lutherus Eucharistiæ sacramentum primò approbavit, ut constat ex ejusdem libro ad Waldenses; Buceri deinde consilio à sententia recessit, & corporis Christi præsentiam in sola actione cœnæ professus est; quem secuti sunt Melancton. & Kemnit. Non eodem tamen modo actionem cœnæ explicarunt; etenim Calvinus modo dicto illam intelligit; Kemnitius verò, arbitrans sic Patrum testimonia servare, ita actionem extendens, inquit, corpus Christi manere, dum panis benedicitur, frangitur, distribuitur; & etiam dum immediatè ad absentes defertur, ut illum comedant; non verò ut servent: Alii autem dixerunt, usque ad triduum Eucharistiam servari posse, ut ad ægrotos deferatur, & toto illo tempore sacramentum esse. Sed contra istos, & quoscumque.

18. Dicendum; esse fide traditum; Sacramentum Eucharistiæ consistere in re permanente, & perseverare, donec perseverant species panis, & vini.

Hæc assertio Catholica Scripturis, Conciliis, Patribus & traditione comprobatur: & primò si de Scripturis sermo fiat; verba Christi Domini in institutione prolata id manifestè ostendunt; dixit enim: *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis*, quæ verba vera fuerunt statim post prolationem; fuit autem prolatio ante sumptionem; proinde ante sumptionem fuit corpus, fuit sanguis: utrumque autem rem permanentem esse nemo potest ambigere; nisi corporis & sanguinis notionem ignoraverit.

19. Reponit Calvinus primò, alia verba fuisse à Christo prolata, per quæ significatur usus, ut sunt illa: *Accipite, & manducate, bibite ex hoc omnes, hoc facite in meam commemorationem*. Secundo; Verba illa fuisse verba promissionis, nequaquam adimplenda, nisi accedente comestione; Christus enim simul conjunxit præceptum, dicens, *Accipite, & comedite* & promissionem: *Hoc est Corpus meum*: non igitur fuit servata promissio, antequam præceptum adimpleretur.

20. Sed cur non advertit Calvinus, Christum absolutè locutum esse, atque illa tantùm verba perpendenda esse, per quæ demonstrantur corpus & sanguis Christi, cum Eucharistia sit sacramentum corporis & sanguinis? hoc autem præstant tantùm illa verba à me producta. Si velit hæreticus, quid roboris in suo reperiri argumento; dicat etiam, baptismum conferendum esse, & doctrinam evangelicam explicandam deambulando, cum Christus dixerit, *euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* Verba, quæ Calvinus affert, probant tantùm, sacramentum hoc ad refectionem nostram spiritualem institutum esse; at hic ordo ejusdem permanentiam nequaquam destruit; sicut licet

cet cibus & potus materialis ad usum dirigantur: attamen esse rem permanentem, dubitare non possumus.

21. Multò minùs secundam explicationem possumus acceptare; etenim si verba illa fuissent promissionis annexæ præcepti observantiæ; prius deberet observari præceptum, quam esse corpus Christi, sicuti contingit in omnibus aliis promissionibus, quæ annexam habent actionem tanquam conditionem, sine qua non implentur: & ratio est, quia promissionis adimpletio supponit actionem, sicut effectus suam causam; & revera quia baptismo est promissa remissio peccatorum: prius est baptizari, quàm peccatum remitti: & quia precibus & invocationibus promissum est, exaudiendas fore; prius est Deum invocari, quam nos exaudiri: Si autem illud diceretur, neque in ipso usu Eucharistia foret sacramentum corporis Christi, sed immediatè post usum; & ita nemo manducaret corpus Christi, sed post comestionem in se haberet, quod neque Calvinus admittere potest. Præterea, ubi sunt verba promissionis, futurum tempus semper indicatur, nequaquam præsens, ut constat in illis. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit*: atque ut utar exemplo Calvini, *invoca me, & exaudiam te*. At Christus non dixit, Hoc erit Corpus meum, *sed hoc est Corpus meum*.

22. Hæc omnia Kemnitius consideravit in 2. p. examinis cap. 3. & 6., & observans, in sola sumptione sacramentum collocari non posse, inquit actionem cœnæ ad solam comestionem revocandam non esse; sed ad panis in manibus acceptionem, benedictionem, fractionem, distributionem, & manducationem; atque ideo corpus Christi, & sacramentum Eucharistiæ fuit ante comestionem; non tamen ante omnem actionem, nec post omnem actionem superesse; proinde in sola actione consistere: Hoc autem ex Christi verbis satis colligi, ipse arbitratur; etenim Mat. 27. sic legitur: *Accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait, Hoc est Corpus meum*.

23. Hanc Kemnitii explicationem veluti stultissimam rejiciendam esse; quis non videt? Si sacramentum Eucharistiæ in omnibus illis actionibus consistit, quomodo illæ accipiuntur? vel seorsim, vel simul: si hoc dicatur; ergo ante comestionem, quæ est ultima actio, non est corpus Christi, quod igitur benedicitur, frangitur, distribuitur, corpus Christi non est: si dicatur illud; omninò falsum profertur: certe corpus Christi formaliter acceptio non est, quia quod est formaliter acceptio, desinente acceptione desinere debet, quod de Christi corpore nec Kemnitius affirmat, cum existat etiam post acceptionem, dum frangitur, ac distribuitur; Similiter nequit esse formaliter benedictio, fractio, distributio; aliter non existeret, nisi dum hujusmodi actiones fiunt; existit autem per Kemniutium tum ante, tum post: denique non potest esse formaliter manducatio, quia sic asseret idem, quod Calvinus affirmat: & ipse testatur, etiam existere in acceptione, benedictione, fractione, distributione; Itaque in quocumque sensu perperam sentit, ac ratiocinatur: Neque verò attendendus est ordo in verbis illis expressus; aliter neque in usu esset sanguis Christi, sed post usum, cum Marcus cap. 14. hæc habeat. *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, Hic est Sanguis meus*. Dicat, ut rectè dicat, actionibus illis corpus Christi coextitisse, & Christum per illas, panis vinique substantiam in sui corporis sanguinisque substantiam commutasse: atque ita sacramentum hoc permanens fateatur necessum erit: nam quod actioni coexistit, nec est actio, esse debet permanens aliquid.

24. Jam verò ad Concilia devenio; quorum omnium doctrinam complectitur

nos reprehendit Cyril. in epiſ. ad Caloſyrium: Denique S. Gregorius in Vita S. Benedicti lib. 2. Dialog. cap. 24. ſcribit; quod, cum quidam defunctus Monachus ſepeliri non poſſet, juſſit quibuſdam verbis iſtis: *Ite, & hoc Dominicum Corpus ſupra pectus ejus cum magna reverentia ponite*, quo peracto ſepultus fuit. Tunc certè actio cœnæ non erat, Euchariſtia conſecrata non fuit, cum S. Benedictus Sacerdos non eſſet; ſed erat in Eccleſia aſſervata juxta Eccleſiæ morem.

28. Irrideant nunc igitur Novatores, quod à nobis Euchariſtia ſervetur, deferatur ad ægrotos, eamque in proceſſionibus, & altaribus adorandam exhibeamus; nihil agimus profectò, quod à veteri Eccleſia, & antiquis ſanctiſſimis æque ac doctiſſimis viris actum non ſit: dicant, Chriſti præceptum atque inſtitutionem eſſe, ut panis benedicatur, frangatur, diſtribuatur, manducetur; non verò ut ſervetur, deferatur, & poſt dies adoretur, mentiuntur: nam licet hoc expreſsè Chriſti mandatum, & inſtitutio non ſit; attamen ejus præcepto ac inſtitutioni eſt valde conforme, & Eccleſia ſemper conſecrat Euchariſtiam ut manducetur ſtatim, & aliquam partem ſervat, ut opportuno tempore manducetur, propter repentinos caſus infirmorum, qui hoc ſacramento privarentur, niſi ſervatum fuiſſet: & quamvis Sacerdos aliquis conſecrare vellet Euchariſtiam nullo habito reſpectu ad manducationem, ſed ad quemcumque alium finem etiam pravum, adhuc fieret ſacramentum: Vide ergo quo pacto Euchariſtia ab uſu non dependeat.

29. Opp. 1. Si qui Patres docuerunt, Euchariſtiam reſervatam eſſe, tanquam ſacramentum, erraverunt; cæterum Doctiores, prudentioreſque docuerunt in ſolo uſu conſiſtere; Sic Clemens Roman. epiſt. 2. ſi quid ſuperſit poſt communionem, jubet abſumi; Origen. in 7. Levit. hom. 5. ait: *Dominus panem, quem diſcipulis dabat, non diſtulit, nec differri juſſit in craſtinum*. Iſichius lib. 2. in Levitic. cap. 8. dicit, Eccleſiam Euchariſtiæ reliquias comburere conſueviſſe; & Niceph. lib. 17. hiſt. cap. 25. refert, morem fuiſſe in Eccleſia Græca, ut reliquiæ Euchariſtiæ innocentibus pueris manducandæ darentur, quod & à pluribus aliis traditum fuit; imò Concilium Matiſconenſe can. 6. decernit, ut qualibet feria quarta, & ſexta convocentur innocentes pueri, ipſiſque detur, ſi quid ex ſacramenti particulis conſumendum ſit. Humbertus contra Nicetam reprehendit Græcos, quia communicabant ex præſanctificatis, atque ut omnia rejiciantur, ſiqua fuit conſuetudo reſervandi Euchariſtiam, damnata fuit in Concil. Tolet. 1. can. 14., & Cæſarauguſtano can. 3., & Author de Cœna Domini ait: *Panis iſte recipitur, non includitur*, itaque pro hæreticorum dogmate non deſunt Patres, non deſunt Concilia.

30. Reſp. aliquos Patres potuiſſe errare, non potuiſſe Eccleſiam, & mirum eſt, ad tantam veſaniam hæreticos deveniſſe, ut eos Patres adduxerint, quos ſemper acerrimos experti ſunt hoſtes; Quid revera iſti ſenſerint conſtat ex dictis. Ne quid autem ex adductis num. antecedenti evincere confidant, illos exponam.

Clemens ibi loquitur de reliquiis proximis corruptioni, vel de ſuperabundantibus; nolebat enim plus Euchariſtiæ conſervari, quam uſui opportuno foret accommodatum, aliquam vero partem ſervandam eſſe, expreſſiſſimis verbis in eadem epiſ. præſcribit, ait enim: *Tribus gradibus commiſſa ſunt ſacramenta divinorum ſecretorum, Presbytero, Diacono, & Miniſtro, qui cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici cuſtodire debent; ne qua putredo in ſacrario inveniatur; ne cum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria*. Quid autem diligenter cuſtodiendum fuiſ-

fuisset, si nihil reservatum esset?

31. Origenes verum dicit, nec enim aliquid proferre possumus, in quo Christus Eucharistiam servandam esse præceperit: attamen hoc Ecclesia semper servavit ab Apostolis edocta, in quibus ipse Christus docebat, ut etiam circa sacramentum Eucharistiæ scribit August. in epist. 118. Quamvis autem ita Christus non præceperit; attamen Ecclesiasticus usus Christi præcepto est valde conformis, ut diximus num. 28. neque congruum erat, id tunc à Christo committi; cum enim Eucharistia instituta sit in commemorationem sacrificii crucis, non debuit eo die servari, quo Christus se obtulit Patri.

32. Isichius in eodem loco addit sacramenti asservationem non prohiberi, & asserit, reliquias comburendas esse, si forte per manducationem consumi non possent, ne videlicet species Eucharisticę corrumperentur, aut corruptæ conservarentur; quod etiam statutum fuit in Concilio Aurelianensi, & frequentia in hac re habemus documenta; Juxta hæc explicanda praxis Ecclesiæ Græcæ, & decretum Concilii Metisconensis.

33. Humbertus prohibet, sacrum fieri ex præsanctificatis, nam Missa non peragitur sine nova consecratione, contrarium autem à Græcis illis fiebat.

Falsum verò omnino est, consuetudinem asservandi in Ecclesia Eucharistiam fuisse aliquando abrogatam; in laudatis Conciliis præscriptum tantùm fuit, ut fideles in Ecclesiis communionem acciperent, nec Eucharistiam in suas privatas domus deferrent, ut aliquando fieri solebat, atque hujus prohibitionis rationem affert Concil. Lateran. 4. cap. 20., quia aliqui tanto sacramento ad veneficia, aliaque scelera abutebantur; ex quo magis confirmatur assertio nostra; Si enim sacramentum non perseverasset, abusus iste sacrilegus pertimescendus non fuisset.

34. Ad ultimum dico, panem hunc recipi, non includi, hoc est debere aliis communicari, ut inde præcipuus fructus percipiatur; certum enim est, Eucharistiam hominibus gratiam non conferre, si tantum inclusa servetur, sed quando recipitur. Addè; servari inclusam non alio fine, nisi ut opportuno tempore recipiatur; interim verò dum servatur inclusa nostris adorationibus exhibetur, cum adhuc sacramentum sit.

35. Opp. 2. Reliqua sacramenta novæ legis consistunt in usu, ergo etiam sacramentum Eucharistiæ.

Resp. disparitatem colligi ex formis sacramentorum; etenim aliorum formæ actionem essentia sua & usum significant; sic in baptismo, *Ego te baptizo* significatur ablutio, in confirmatione, *signo te signo crucis &c.* indicatur chrismatio; in pœnitentia *absolvo te* peccatorum remissio; non sic forma Eucharistiæ, nam dicendo, *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis* aliquid permanens declaratur; Adde. Eucharistiam continere rem sacram absolutè, cum contineat corpus & sanguinem Domini; reliqua verò sacramenta tantùm per ordinem ad alium, & ideo ut sint sacramenta debent applicari. Tandem de aliis ita sentit Ecclesia, non sic de Eucharistia.

Dices; ergo in Eucharistia quid erit usus?

Resp., esse conditionem applicantem eam ad producendam gratiam, nequaquam autem gratiam producere; sicut nutritio materialis habetur per cibum, non per actionem applicantem cibum, nisi tanquam per conditionem.

ARTICULUS III.

Quid proprie constituat Sacramentum Eucharistiæ.

36. IN Eucharistico sacramento necessarias esse species panis & vini, & necessarium corpus & sangninem Christi, in dubium revocari non potest; nisi

nisi veritas orthodoxa negetur. Constat enim species sine corpore & sanguine non esse cibum animæ; neque corpus & sanguinem sine speciebus esse in aliquo sensibili, sicut ad essentiam sacramenti requiritur: Difficultas est igitur per quid hoc sacramentum propriè, & ut inquiunt in recto, constituatur.

37. Mirum est in quàm varias sententias abierint Doctores Scholastici. Senserunt aliqui, hoc sacramentum esse solum Christi corpus (idem dicas de sanguine) contentum sub speciebus panis; ita ut species pertineant tantùm in obliquo. Pro hac opinione citantur Waldens. lib. 2. de Sacram. cap. 21., Sylvius qu.73. art.1., Estius in 4. dis.8. §.3. Alex. lib. 1. de Eucharist. cap. 5. aliique. Aliqui docuerunt, solas species ut habentes ordinem ad Christi corpus, atque hoc connotantes sacramentum esse; hanc autem sententiam dicunt fuisse Magistri in 4. dis. 8. S. Th. hic qu. 73. art. 1. ad 3. Scoti in 4. dis. 8. qu. 1., eamque defendunt Mastrius disput. 3. qu. 1. aliique Scotistæ, quos ipse citat, Joan. à S. Th., Gonet. &c. Aliqui verò mediam opinionem tenentes, proprium sacramenti constitutivum nec in solis speciebus Christi corpus connotantibus, nec in solo corpore Christi connotante species collocarunt, sed in utrisque; hancque tradunt Suarez, Vasq., Lugus, Madern., Cacheranus, afferuntque pro se S.Th. opusc.58. c.17. Bonavent. & Scotum locis laudatis, nec non Alensem par.4. qu.10. art.3. membro 3.

38. Quare autem ita factum sit, ut pro diversis placitis Doctores isti præcipui, tanquam patroni adducerentur; ex eo arbitror exortum esse, quod controversia ista sit tantùm de nomine, & secundum diversam considerationem possit utrumque defendi, & sic illos Theologorum Principes modo unum, modo aliud tradidisse. Observandum est enim, Sacramenti nomen bifariam accipi posse; uno modo inadæquate, magisque communiùs, prout solùm includit rem significantem, seu ut inquiunt, substratum significationis; Secundo adæquatè, prout includit rem significantem, & significationem; & utroque modo dicitur sacramentum simpliciter; tertio, prout includit id, quod in sacramento simpliciter & absolute dicto vel appellatur sacramentum tantum, vel sacramentum & res. Rursus, prætereundum non est; ab aliquibus illud tantùm sacramenti intrinsecum constitutivum dictum esse, quod in eo explicatur in casu recto, & sic dicentes, sacramentum hoc esse species continentes corpus Christi, existimarunt, corpus intrinsecum constitutivum non esse; ab aliquibus illud, quod adæquate sacramentum dicitur, vel tantùm ut sacramentum est, vel ut res & sacramentum, & sic corpus Christi tantum sacramentum dixerunt, ut connotans species; Aliqui verò pro intrinseco constitutivo acceperunt non solum id quod in recto, sed etiam id quod in obliquo exprimitur, & sic non solum ex speciebus, sed etiam ex Christi corpore Eucharisticum sacramentum intrinsecè constitui, protulerunt; Quapropter lis de nomine ex diversa cujuscumque consideratione facta est; quod apud scholasticos plerumque contingit.

39. Hac de re nihil statuere fermè proposueram, & unumquemque in propria opinione relinquere, nihilotamen minus, ut quibusdam satisfacere non recusem.

Sentio, quod magis ad rem, & juxta veritatem in se loquuntur illi, qui asserunt, tam species panis, & vini, quam corpus & sanguinem Christi intrinsecè sacramentum Eucharistiæ constituere.

Paucis quidem id probabo, paucisque etiam refellam, quæ in oppositum afferri possunt, & solent; sic igitur probo. Ad Eucharistiam propriè & intrinsecè pertinet esse signum sensibile causativum gratiæ; sed hujusmodi non est,

est, vel per solas species panis, & vini, vel per solum Christi corpus, & sanguinem; ergo. Probatur min. per illud est causativum gratiæ, per quod est potus & cibus spiritualis, per illud est sensibile, per quod tangitur, videtur, frangitur, manducatur; sed per solas species non est cibus spiritualis, per solum corpus & sanguinem non videtur, aut tangitur, aut &c. ergo. Min. declaratur; nam solæ species sunt quid materiale, corpus, & sanguis existunt modo invisibili, & spirituali; restat ergo, quod per utrumque constituatur.

40. In ratione itaque signi sensibilis constituitur per species, in ratione causativi gratiæ per corpus, & sanguinem, & ita loquendo melius servatur id quod dicit Christus Dominus; *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus*; Melius, quod definivit Trident. sess.13. cap.2. ubi habet, *Christus sumi voluit sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit, qui manducat me, vivet propter me*; melius quod ait Ambrosius lib. de iis, qui initiantur cap. 9. *In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi; non ergo corporalis est esca, sed spiritualis*; Ex quo infertur, quàm improprie hoc explicent alii de speciebus, ut connotantibus corpus & sanguinem, cum species etiam cum tali respectu non sint quid spirituale neque spirituali modo manducentur. Quare sic assertum confirmo.

41. Esse causativum gratiæ, seu esse cibum & potum spiritualem intrinsecè, & si velint, etiam in recto convenit sacramento, sicut intrinsecè; & in recto convenit esse sensibile; ergo corpus & sanguis Christi intrinsece, & etiam in recto constituunt sacramentum Eucharistiæ, sicut constituunt species, per quas fit sensibile. Recte propterea ait S. Thom. in 4. dis. 8. quæst.1. art.1. *Ex speciebus & corpore Christi fieri unum sacramentum*; & de consecr.dis.2. cap. *Hoc est*, habetur. *Sacrificium Ecclesiæ constat visibili sacramentorum specie, & invisibili Domini Jesu carne*, seu ut loquitur Irenæus; *duabus rebus, terrena, & cœlesti*. Quid autem contra hanc probationem reponat, ne prolixior sim, patebit ex eorumdem objectionibus.

42. Dixi, si velint etiam in recto; nam quamvis concederemus, corpus & sanguinem Christi in obliquo tantùm importari, ut dicunt, adhuc nihil evincerent, neque à ratione intrinseci constitutivi excluderent; Hæc enim significatio in recto, & in obliquo mere grammaticalis est, neque variat rationes intrinsecas. Si hoc videre petis, attende; Paries habet albedinem, redde hanc propositionem, & dices, Paries albus; similiter; Homo habens cognitionem, redde hanc propositionem, & dices. Homo intelligens. Nihil ergo refert, sive in obliquo, sive in recto formam alicujus concreti explices; atque ut omnia declarem, si quis te interroget, quid sit homo, respondebis recte, est substantia habens corpus, & animam rationalem, ecce in obliquo utrumque, & tamen idem dices, si respondeas; est corpus & simul anima rationalis, & sic quod in obliquo erat, apparet in recto. Ita in re nostra; tu dicis, sacramentum sunt species continentes corpus? & ego dicam; sunt species, & corpus; & idem asseremus. Miror, in hisce nugis Theologos detineri; neque nisi invitus eorum speculationes, ut refellam, propono.

43. Opp.1. solas species, ut connotantes corpus & sanguinem, esse sacramentum, consentit Ecclesia; ergo ita est, prob. ant. de consecr. cap.46. legitur. *Quid est Christum manducare? Hoc est solum, in sacramento corpus ejus accipere*. In quo textu distinguitur corpus à sacramento, & cap. *Hoc est* habetur. *Cœlestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum*

Corpo-

Corporis Christi. Trident. sess. 13. cap. 1. docet, *in sacramento Eucharistiæ perfecta consecratione Dominum nostrum Jesum Christum sub specie illarum rerum sensibilium contineri*; ex quibus, aliisque similibus, quibus paginam implent, sic ratio proponitur. Quod in alio continetur, non est id, in quo continetur, sed corpus, & sanguis Christi continentur in Sacramento; ergo non sunt sacramentum.

44. Resp. semper in verbis ludum & nugas iterum excitari; quid est hoc connotare corpus, & sanguinem? est ne continere? aliud certè esse non potest, si autem ita est, concedam antecedens, & illatio erit falsa; Quid ni? Solum corpus ut continens animam est homo; ergo anima intrinsecè non constituit hominem? Qui hoc concederet, nescio, an sit homo. Attamen ut cum ludentibus & ego ludere non dedigner, ne. ant. ad prob. dico; Corpus Christi contineri in sacramento, & esse sacramentum; continetur enim in sacramento sub ea ratione, in qua sacramentum non est, scilicet in ratione sensibilis, juxta quam species sacramentum sunt, est autem sacramentum, ut est causativum gratiæ; Neque hoc mirum sit; nam etiam anima rationalis continetur in homine, & est inadæquatè homo, ita corpus Christi continetur in sacramento, & est inadæquatè sacramentum. Quare ad rationem transf. indistincta major, & minor dist. conf. ergo non sunt sacramentum totale conc. partiale ne. conf. Allata argumenta probant contra sententiam asserentem, solum Christi corpus sacramentum esse, non contra nostram.

45. Opp. 2. solæ species, ut connotantes corpus, & sanguinem Christi, sunt signum sensibile causativum gratiæ; ergo non est, cur recurramus ad corpus, & sanguinem Christi.

Confir. 1. Illud constituit sacramentum in recto, quod est signum sensibile, sed corpus Christi non est signum sensibile: ergo non constituit sacramentum.

Confir. 2. Quod est res & sacramentum, non est neque partiale constitutivum sacramenti, sed in Eucharistia corpus Christi est res & sacramentum, ergo. Secunda pars minoris est nostra assertio; Ostenditur prima; nam significatur per verba, *Hoc est Corpus meum*. Prob. maj. paritate aliorum sacramentorum, sic character in tribus sacramentis illum imprimentibus sacramentum non est. Ratio autem horum omnium est, quia quod est res est signatum, hoc autem nequit esse signum; aliter idem esset relativum, & correlativum, quod in terminis repugnat.

46. Resp. retorsionem fieri posse, quia etiam corpus Christi, ut connotans species est signum sensibile, causativum gratiæ. Directè tamen dist. ant. ita ut magis propriè loquendo corpus & sanguis Christi sint causa gratiæ conc. aliter ne. ant. & conf. Res ita se habet in nostro casu; sicut si quis diceret, animalitas cum rationalitate est constitutivum hominis; si ergo magis propriè loquendo dici debet, animalitas & rationalitas constituunt hominem, etiam dici debet, species & corpus Christi constituunt sacramentum.

Ad primum confirm. probatur tantùm, corpus Christi non constituere sacramentum adæquatè; attamen dici posset, esse sensibile mediatè, scilicet per species, quod sufficit; sicut dolor internus in sacramento pœnitentiæ est pars sacramenti, nec tamen est sensibilis per se, sed tantùm per confessionem: atque hoc docuit S. Th. in 4. dist. 8. q. 1. art. 1. ubi ait: *Omne sacramentum est visibile, non tamen oportet, quod quidquid est in sacramento, sit visibile; vel dicendum, quod verum corpus Christi est visibile, non in se, sed in speciebus, quæ ipsum tegunt*.

Ad 2. confirm. ne. maj. loquendo generatim; ad prob. negatur paritas, nec enim ab aliis sacramentis consistentibus in usu valet argumentum ad sacramentum permanens; ratio autem est; quia

quia in cęteris sacramentis res est dumtaxat aliquid signatum; at in Eucharistia est per respectum ad diversa signatum, & signnm; signatum nempe ex parte specierum, signum verò respectu gratiæ, quam causat; est signatum significatione non sacramentali, signum verò sacramentali.

47. Dices 1. significatio sacramentalis in Eucharistia est per ordinem ad corpus, & sanguinem Christi: ergo. Prob. ant. significatio sacramentalis in Eucharistia est per ordinem ad gratiam permanentem, & ante usum; sed hæc gratia est corpus, & sanguis Christi nimirum gratia substantialis sanctificans species; ergo. Maj. constat, quia est sacramentum permanens, & independens ab usu.

Sed contra. Ne.ant. ad prob.dico, significationem sacramentalem in Eucharistia esse per ordinem ad gratiam permanentem & accidentalem independenter ab usu, in actu primo, non sic in actu secundo, gratia autem substantialis, idest corpus & sanguis Christi est in actu secundo aliter sacramentum non haberetur; Debent igitur sacramenta significare gratiam, non quæ semper causatur; sed quæ ex eorum virtute causari possit; alioquin sacramenta, quæ cum obice suscepta actu gratiam non causant, sua significatione sacramentali carerent.

48. Dices 2. significatio sacramentalis habetur ex verbis, sed hæc significatio est directa ad corpus & sanguinem Christi: ergo significatio sacramentalis est directa ad corpus & sanguinem Christi; ergo corpus Christi erit signatum, non signum; ergo neque sacramentum.

Sed contra. Duplex munus præstatur à verbis. Unum adducere corpus, & sanguinem Christi, aliud esse formam per respectum ad species: hoc secundo modo significant sacramentaliter, & sunt per ordinem ad gratiam accidentalem: ratio est, quia in eo sensu significant sacramentaliter, in quo Eucharistia est cibus & potus; sed talis est per ordinem ad gratiam accidentalem; ergo.

ARTICULUS IV.

An consecratio per verba constituat intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ.

49. NON quæro de consecratione, prout est actio transubstantiativa, per quam fit mutatio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi; accepta enim sub hac consideratione ad causam efficientem revocari debet, non ad intrinsecam & formalem; Inquiro igitur de ipsa consecratione sumpta pro verbis, quæ dicuntur se habere adinstar formæ per respectum ad panis & vini materiam.

50. Etiam difficultatem istam esse de solo nomine arbitrarer, & tamen in ea dirimenda non leve est in schola dissidium. Negativam sententiam docuisse Scotum in 4. dis. 8. qu. 1. ad 3. communius cum Lauræa disp. 17. art. 2. n. 24. & Mastrio disp. 1. art. 2. affirmant; negant Ferchius in epitome Theol. 4. dis. 8. & Pontius disp. 44. q. 1. Qua de re si oppositam opinionem defendam, non est cur Scotistæ de me conquerantur, sed suos ipsos reprehendant, præsertim quod si eam partem retinere possum, in qua aliis oppositæ scholæ adhærere mihi conceditur, illam semper amplecti soleam; Negant etiam Vasq. Catharin. Coninch. Bellarminus &c. Affirmativam verò tradunt. Nugnus, Joan. à S. Th., Gonet. Suarez, Arriaga, Valentia, Esparza, Lugus, Cacheran. &c. atque hanc fuisse mentem S. Th. ex eo evinci potest, quod quotiescumque de sacramentis novæ legis sermonem habet, æquali modo de omnibus loquitur, nec ullam Eucharistiæ exceptionem commemorat.

51. Hanc posteriorem sententiam am-

amplector, atque illam sic probo. Verba in aliis sacramentis sunt forma intrinsecè constituens, uti probatum fuit in quæstionibus de sacram. in gen., ergo etiam in sacramento Eucharistiæ. Prob. conf. Ideo in aliis sacramentis sunt &c., quia præcisis illis materia non est determinata, ut sit signum sensibile gratiæ, sed neque præcisis verbis materia Eucharistiæ, idest species, sunt signum sensibile gratiæ; ergo si verba in aliis sacramentis sunt &c. etiam in sacramento Eucharistiæ; prob. mi. species solæ panis & vini præcisis verbis sunt signum sensibile panis & vini; ergo.

52. Ad hanc rationem revocatur alia, quam solent aliqui proponere, nempe species non spectare ad essentiam hujus Sacramenti, nisi prout sunt consecratæ; præcisis autem verbis non sunt hujusmodi; proinde si species sunt pars intrinseca, hujusmodi etiam esse debent verba: Quod si dicant, species esse consecratas per verba effectivè, formaliter verò per Christi corpus, quod est maximè sanctum & sacrum; spectare verò ad essentiam Eucharistiæ, prout sunt per Chisti corpus consecratæ: respondebo, species esse quidem consecratas per corpus Christi, non tamen modo sacramentali & sensibili; quo modo sunt tantùm & intelliguntur consecratas esse per verba. Quare, si virtute Divina poneretur corpus Christi sub speciebus sine prolatione verborum, vel non esset sacramentum, quia non poneretur sensibiliter; vel non esset sacramentum, sicut nunc est; & certe nemo adorat hostiam, supra quam noverit, verba non esse prolata: ergo verba determinant species tanquam forma intrinseca constitutiva sacramenti.

53. Hæc sanè fuit mens Concilii Florentini, quod in decreto Eugenii assignat pro forma in hoc sacramento verba, sicut in cæteris.

At dices; imò ex Concilio Florentino oppositum colligi; inquit enim sacramenta perfici rebus & verbis, igitur verba se habent tanquam causa extrinseca & efficiens, non formalis, & intrinseca; ad quod magis confirmandum subdit, *quia ipsorum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur*; itaque solum efficienter se habent.

Sed contra; si ita est, ergo etiam res non erunt pars intrinseca sacramenti, quia etiam de istis habetur illud verbum *perfici*. In sensu igitur Concilii idem est perfici, ac componi, & perficere indifferenter significat efficere, & constituere, rectè enim dicimus, hominem perfici anima & corpore; Placuit autem Concilio uti vocabulo indifferenti, cum ibi fieret sermo non solùm de materia & forma, sed etiam de Ministro, qui certè tantummodò efficienter se gerit.

Ad secundum, quod probari potuisset etiam per alia, dum dicit, *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum* & ex Ambrosio lib. de initiandis cap. 9. ubi inquit, *Sacramentum, quod accipis, Christi, sermone conficitur*. Dico, per id probari, verba esse etiam causam efficientem, quod libenter fatemur; at non probatur non esse etiam causam formalem; ut enim prolata à Sacerdote efficiunt actionem transubstantiativam, sed simul complent & determinant species ad significandum sensibiliter corpus & sanguinem Christi; imò etiam determinant corpus & sanguinem, ut sacramentali modo sint sub speciebus. Neque novum videatur, idem respectu diversorum simul efficere, & informare; nonne enim eadem anima convertit per sui virtutem alimentum in substantiam corporis, & partem sic conversam deinde informat? Hoc magis valet in casu nostro, cum non loquamur de forma physicè informante, sed tantùm moraliter, & juxta hominum existimationem.

54. Dices præterea; ibi à Concilio afferri tantùm formam remotam & desinen-

sinentem; sicut affertur solùm materia desinens; & remota, qualis est panis, & vinum.

Sed contra; nomen hoc formæ remotæ apud Philosophos nunquam legi; deinde dico, eadem verba dici pösse formam remotam & proximam; remotam per respectum ad materiam destruendam, qualis est substantia panis, & vini; proximam verò per respectum ad materiam complendam & informandam, qualis sunt species; & certè sicut pro materia remota assignas formam remotam, ita pro materia proxima adinveni formam proximam.

55. Opp. 1. Quod intrinsecè constituit sacramentum Eucharistiæ debet esse quid permanens; sed verba consecrationis nequeunt esse quid permanens, quia prolata jam transierunt; ergo nequeunt intrinsecè illud constituere: ex quod habetur disparitas, quare in aliis sacramentis verba sint pars intrinseca, non sic in Eucharistia; Hoc est unicum adversantis opinionis argumentum.

Resp. debere esse quid permanens vel physicè vel moraliter, non semper physicè, verba autem consecrationis, quamvis physicè transierint, attamen moraliter perseverant in speciebus consecratis, continentibus corpus & sanguinem Christi per respectum ad verba consecratoria jam præterita; quod sufficit ad perseverantiam moralem, sicuti quia verba significant ex hominum institutione, quamvis illa institutio amplius non sit, attamen dicitur moraliter perseverare; Quod magis valet in Eucharistia, cum species prolatis verbis significent eodem modo corpus Christi, ac si tunc proferrentur, & nos adoramus Eucharistiam expositam, tanquam si tunc Sacerdos consecraret.

56. Neque ad tollendam hanc moralem perseverantiam sufficit retractatio Sacerdotis, quia Sacerdos est tantùm causa instrumentalis, & Christus principalis; hæc autem retractatio non fieret nomine Christi, sicut nomine Christi facta fuit consecratio; Neque etiam perseverantia moralis convenit solis actibus voluntatis, sed etiam effectibus servantibus aliquem ordinem ad voluntatem: sic perseverant moraliter benedictiones aquæ, & hujusmodi, & in pœnitentia confessio aliquantulum præcedens absolutionem.

57. Adde etiam, particulam *est* non debere semper limitari ad tempus, pro quo aliquid profertur; si enim dicam, *Hic avis est velociter volans* ineptè dicerem, si tantummodo velociter volaret pro eo tempore, quo profero propositionem, sed ad istius veritatem servandam volare debet etiam pro tempore sequenti, quando volatus continget; ita in re nostra verba consecratoria enuntiantia existentiam corporis Christi sub speciebus apta ad causandam gratiam adinstar cibi, & potus in sumente, non solum veritatem assequi debent pro eo tempore, quo proferuntur, sed etiam quando sumens accedit.

58. Non desunt tamen aliqui, qui propositum argumentum effugientes, dicunt sacramentum Eucharistię partim esse permanens, partim transiens; illud quidem propter species & corpus Christi; istud verò propter verba, quod tamen sufficit, ut absolutè dicatur permanens, cum, ut ait Suarez, denominatio desumatur à principaliori, quod est in aliquo, vel, ut inquit Lugus, verba sint tantùm in obliquo; ut autem permaneat totum, satis est, si permaneat, quod importat in recto.

Non placet tamen ista responsio in utroque sensu; nam si Eucharistia esset sacramentum partim permanens, & partim transiens, non servaretur totum, & integrum sacramentum, neque totum & integrum adoraretur in altari, aut ad infirmos deferretur; Neque laudati Doctores satis sustinent, quod affirmant; nam si ad permanentiam alicujus sufficeret permanentia principalioris, homo perseveraret per animam

sine

sine corpore; & falsum prorsus est, verba se habere in obliquo, quo tamen omisso, non subsisteret illud dictum, alioquin in sententia asserente corpus & sanguinem Christi esse in obliquo, si desinerent corpus & sanguis, adhuc Eucharistia esset sacramentum, quod minime.

Ex his tenes, quomodo à nobis hęc moralis verborum permanentia explicetur; non eam dicimus per puram denominationem desumptam ab existentia præterita, sicut existentia præterita denominat domum antiquam, sic enim esset denominatio & forma purè extrinseca; sed illam explicamus per significationem sacramentalem, quæ perseverat in speciebus, & quam species habuerunt à verbis.

59. Opp. 2. Verba nullam habent significationem sacramentalem; ergo intrinsecè non constituunt sacramentum; Prob. ant. Ut habeant significationem sacramentalem debent significare gratiam accidentalem; sed hanc non significant; ergo. Prob. ant. Significant tantùm corpus & sanguinem Christi, ut manifestum est; ergo.

Resp. ne. ant. ad prob. ne. mi. ad prob. dis. ant. complendo, & informando species, cum quibus significant gratiam accidentalem conc. non complendo, neque informando species ne. ant. & cons. imò si verba desinerent in ita complendis, & informandis speciebus, ipsę species accidentalem gratiam non significarent; quæ omnia patent ex dictis.

QUÆSTIO II.

De Materia Sacramenti Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

Quænam sit materia Sacramenti Eucharistiæ.

60. SErmo sit de materia remota & desinente, cum de proxima, & perseverante quid dicendum sit, colligi possit ex antecedentibus; quamvis & ex dictis de ista, satis de illa posset argumentum haberi; Hanc autem aliam non esse, quàm solum panem, & vinum, fides docet, tenet Ecclesia contra plures, qui in hac re turpiter errasse circumferuntur, quosve nec accusare volo, neque defendere, cum & eos accusandi & defendendi momenta non deessent; sed Theologum ago, nequaquam criticum, ad quem etiam pertinet aliqua peculiaria dicta vel facta, si tamen id evenit, expurgare, ex quibus etiam expurgatis nihil pro Catholico Dogmate inde concluditur.

61. Si fidem exhibeamus Epiphanio hæresi 49., & Augustino de hæresibus cap.28., fuerunt Artotyritæ, quos non distinguunt à Pepuzianis, Priscillianis, Phrygibus, qui dixerunt, hoc Sacramentum in pane, & caseo esse conficiendum; eo ut arbitror cum eodem Augustino, ducti principio, quo sibi proponebant, primos homines de fructibus terræ, & ovium suas oblationes celebrasse.

62. Idem Epiphanius hæres. 49. & Augustin. cap.26. & 27. referunt, Kataphrygas, vetereſque Gnosticos, Eucharistiam confecisse ex farina una simul cum sanguine infantis; qui si post vulnera inflicta vivebat, pro Sacerdote Magno; si vero moriebatur, pro Martyre habebatur: id autem ab ipsis peractum esse suspicor, quia sciebant, ab ortho-

orthodoxis Christianis Christi carnem manducari, & sanguinem bibi: quod etiam magis expresserunt alii, qui abortivum puerum in mortario pistillo contundebant, deinde ex comminuto corpusculo digito delibabant.

63. Sequitur alius error, cujus sola recordatio timorem incutit, excitatque pudorem; fuit autem quorumdam Gnosticorum ex Epiphanio hær.26., vel melius ex Augustin. hær.46. Manichæorum, qui Catharistæ appellabantur, idest purgatores, & mundatores; Isti pro Eucharistia humanum semen propriis manibus susceptum Deo offerebant, dicebantque, *Offerimus tibi hoc donum, Corpus Christi. Hoc est Corpus Christi, & hoc est Pascha, ideo puniuntur corpora nostra, & coguntur confiteri passionem Christi* similiter menstruum sanguinem colligebant ex fæmina, & dicebant. *Hic est Sanguis Christi*.

64. Præterea Aquarii solum panem cum aqua offerendum esse putabant; Beza verò cum aliquibus Calvinistis asseruit, quodlibet esulentum pani posse substitui: quæ omnia relata sunt, prout in variis scriptoribus nobis tradita reperiuntur, quantumvis ab aliis in diverso sensu accipiantur.

65. Sed quidquid sit de hac partiali Eucharistiæ materia; etiam circa aliam, nempe vinum, plures non defuerunt errores; Quidam falsa continentiæ opinione laborantes, vel vinum à malo Deo productum esse, existimantes, solam aquam consecrandam esse, arbitrati sunt. Hoc colligitur ex S.Epiphan. hær. 47., & S. Leone serm. 4. de Quadragesima. Sed quod mirum fortasse videri potest, ipsi etiam Catholici ignorantia decepti, ut plerumque solet, ne persecutionis temporibus Christi sectatores deprehenderentur ex odore vini, aquam solam adhibebant; Alios vero lac; Alios uvas integras; Alios uvas siccas, vel fæces vini aqua permixtas detulisse, fidem faciunt Concil. Carthagin.3., quod primos cap.24. Concil. Brac.4., quod cap.2. secundos; & Alexander III., qui in epist. ad Upsellensem Daniæ Archiepiscopum tertios condemnarunt.

66. Sed hisce ad brevem eruditionem expositis; deveniendum est ad eam veritatem, quam Catholica Ecclesia profitetur, ut à nobis dictum fuit n.60., scilicet solum panem, & vinum esse materiam remotam hujusce sacramenti; qualis autem debeat esse iste panis, istudque vinum, inferiùs statuetur.

Illud autem aptiùs probari non potest, quam ex Evangelica narratione, ubi ad describendam Eucharistiæ institutionem Matthæus cap.26. his verbis usus est: *Cœnantibus illis accepit Jesus panem &c. & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, bibite*. Calicem autem istum accepit ex re contenta, quæ vinum erat; unde addidit, *non bibam autem de hoc genimine vitis*. Neque fit alterius rei mentio; solus igitur panis, solum vinum ad materiam spectant.

67. Atque hoc procul dubio nobis tradiderunt Concilia, & Patres; Istos omittam, nam eorum testimonia proferentur, cum de præsentia reali corporis Christi fiet sermo; Ex Conciliis verò, in promptu est Concilium Chalcedonense act.3., & act.10., in quorum prima Ischirion Diaconus conqueritur de Dioscoro, quia ejus avaritia factum erat, quod in Lybia defectu tritici incruentum Missæ sacrificium non offerretur, & in alia Presbyteri Edesseni conqueruntur de Iba, quod pro Altaris sacrificio vinum non dedisset nisi admodum exiguum, & vitiosum, in promptu Concilium Bracaren. 4. cap. 2. illos condemnans, qui uvas integras consecrabant; in promptu Carthaginen. 3. cap. 24. præcipiens, ut in Sacramentis corporis & sanguinis Domini, nihil offerretur, nisi panis, & vinum aquæ mixtum, & addit, reliqua, ut mel, lac &c. quæ in Altari offeruntur, suam habere propriam benedictionem, & à sacra-

sacramento Dominici corporis & sanguinis distingui; Denique eadem veritas definita fuit in Lateranensi, in Florentino, & expressiùs in Tridentino sess. 13. & 21.

68. Si autem rationem quæras, aptior afferri non potest, quam Christi Domini omnium sacramentorum institutoris voluntas, qui hanc materiam elegit, suoque usu determinavit. Plures tamen congruentiæ non desunt; Prima ad demonstrandam Ecclesiasticam unitatem; Ut enim ista ex pluribus fidelibus ad eumdem finem tendentibus constat; ita, sicut observat Augustinus, panis ex multis granis, & vinum multis racemis conficitur: Secunda ad repræsentandam Christi passionem; per panem enim separatum à vino recolitur memoria corporis separati à Christi sanguine in ara crucis effuso. Tertia ad innuendum, sacramentum hoc esse ad corporis animæque defensionem; corpus enim Christi sub specie panis offertur pro salute corporis, sanguis verò sub specie vini pro salute animæ, quæ ex Levit. 17. est in sanguine. Quarta ex parte instituentis; erat enim Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui non carnes & tauros, sed panem & vinum obtulit Deo: Quinta ex diversitate novæ legis & veteris, Decebat enim, quod sicuti antiquitùs offerebantur caro, & sanguis animalium sine carne & sanguine Christi; ita nunc offerretur caro & sanguis Christi sine carne & sanguine animalium. Alias congruentias adducunt alii Doctores, præsertim S. Th. hic quæst. 74. art. 1.

69. Hæc omnia apud Catholicos semper certa habita sunt; fuit tamen aliqua controversia circa hujusce panis qualitatem, an scilicet esse deberet ex tritico, vel sufficeret ex hordeo, farre, siligine &c. quod affirmasse videntur Gabriel lect. 35. in canonem missæ, Argentina, Paludan., Sot., & Cajet.

Attamen dicendum est, requiri panem ex tritico; Ille enim panis censendus est materia sacramenti Eucharistici, in quo Christus illud confecit, Christus autem confecit in pane triticeo, ut magis demonstrabo: ergo. Melius vero hoc declarari non potest, quam ex consensu Ecclesiæ in Conciliis exposito, præsertim vero in Florentino, nam in decreto Eugenii dicitur. *Ex pane triticeo Christi corpus conficitur*. Et in decreto pro Armenis, *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Atque per ultima verba eluditur responsio quorumdam dicentium, explicari posse Concilium de necessitate præcepti, aut de materia præclariore, & magis præcipua; sicut enim loquendo de vino, loquitur absolutè, excludendo quamcumque aliam materiam; ita loquendo de pane triticeo. Totum hoc firmet Catechismus Romanus cap. de Eucharist. §. 22. dicens: *Nullus panis, nisi triticeus, apta ad sacramentum materia censendus est, hoc enim Apostolica traditio nos docuit, & Ecclesiæ catholicæ firmavit authoritas.*

70. Ratio autem esse potest, quia licet hordeum, far, siligo &c. ex tritico possint aliquando gigni, quod nec affirmo, nec nego; attamen in sacramentis adhibenda est illa materia, quæ certa est, nec in controversiam deducta, sicuti sunt præfata.

Debet insuper panis iste esse compactus ex farina & aqua naturali seu elementari, ignisque calore decoctus; unico verbo, debet esse panis triticeus usualis; & quæ de pane affirmantur, cum proportione dici debent de vino; pro quo addam dumtaxat aliquos scripturæ textus, quibus quam merito pro materia secundę consecrationis electum fuerit, potest ostendi; aptius certè sanguinis Christi signum reperiri non poterat, cum interdum sanguis vinum appellari consueverit; Sic Gen. 49. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Et Isaiæ 73. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vesti-*

stimenta tua sicut calcantium in torculari?

ARTICULUS II.

An iste panis triticeus esse debeat fermentatus, vel azimus.

71. Antequam aliquid in hac re statuatur, operę pretium esset de usu panis azimi vel fermentati tam in Ecclesia Græca, quam Latina nonnulla præmittere, quæ certè non ad dirimendam Theologicè quæstionem, sed ad historicam eruditionem conferre videntur; sed ut verum fatear, adeo varia sunt, quæ apud diversos Scriptores notata reperiuntur, ut non nisi incerta cuicumque viro etiam accuratissimo exhibere contingeret; Qualiacumque sint, illa accipe.

72. Tam in una, quam in altera Ecclesia prioribus sæculis consecrationem factam fuisse in azimo pane, fidem faciunt præcipui Doctores Scholastici, S. Th. qu. 74. art. 4., Scot, in 4. dis. 11. quæs. 6., S. Bonavent. eadem distinct. art. 2. qu. 1., Alens., Paludan., Sot., Richard., atque ritum istum perseverasse usque ad hæresim Ebionitarum existimant; qua deinde exorta, ut ipsis magis Latini & Græci se opponerent, in fermentato consecrare cæperunt; & postmodum occasione cessante ad pristinum azimorum ritum Latini redierunt, in fermentati verò usu Græci perseverarunt: Quod verò usque ad præfatam hæresi n actum sit, sicut dictum est, colligitur ex Epiphan. hæresi 30., ubi docet, ritum in azymo consecrandi ab Apostolis eorumque successoribus servatum esse; & de Ebionitis sic loquitur, *Mysteria autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Ecclesia ab anno in annum per azymos, hoc est non fermentatos panes.*

73. Aliqui è contrario usum fermentati antiquiorem esse, imò primum in Ecclesia Christi arbitrati sunt; ita ut dixerint, tantùm sub Alexandro I. Pontifice Maximo azymi ritum exordium sumpsisse; ex istis Calvin. lib. 4. Instit. cap. 17. §. 43., Martinus Poloñ. ad an. Christi 132., Platina in vita Alexandri &c. atque his accedit Georgius Corcyrensis in Comment. de Sacra Communione, ubi fermentatum panem traditum esse ab Apostolis, & diu in Ecclesia Romana retentum fuisse, probare contendit.

74. Quid in hac opinionum varietate sentiendum foret, plures docti viri mentem ac studium impenderunt; attamen tantam lucem nobis non detulerunt, ut res adhuc dubia & obscura non remaneret. Mabillonius ex inclito Sancti Benedicti ordine in dissertat. de pane azymo & fermentato, nec non Christianus Lupus ex alio insigni S. Augustini tom. 3. Scholior. in decreta, & canones, asserunt, nunquam in Ecclesia Latina fermentati usum fuisse receptum. Ab opposito Jacobus Sirmondus ex præclarissima Societate Jesu azyma fuisse admissa in Ecclesia Latina tantum à sæculo 9. scilicet à schismate Photii, prioribus verò sæculis usum fermentati in ea solemnem fuisse in disquisitione de azymo disertissimè probat; Inter utramque opinionem incedit eruditissimus æquè ac Eminentissimus Bona lib. 1. rerum Liturgicarum, & docet, in Ecclesia Græca perpetuum fuisse ac constantem usum fermentati; in Ecclesia verò Latina fuisse usque ad sæculum decimum tum fermentatum, tum azymum adhibitum juxta temporis, locorumque circumstantias, & opportunitatem; post dictum verò sæculum lege communi ac universali azymum initium sumpsisse, atque usque modo perseverasse.

75. Ego quidem in hac re censerem, satis probabile esse, Ecclesiam Latinam ante nonum sæculum interdum azymum, interdum fermentatum adhibuisse in Eucharistię consecratione. Et quidem si de Apostolorum tempore loquamur, legitur actorum 8., primos fide-

fideles perseverantes fuisse *in doctrina Apostolorum, fractione panis, & orationibus*, quam panis fractionem communiter Sancti Patres de Eucharistia intelligunt, & exponunt; panem autem illum fuisse fermentatum satis probabile est, cum fuerit panis obvius, qualis in hebræorum domibus Apostolis offerebatur; Quis etiam certo ostendere poterit, Christianos, dum persecutione sæviente, in privatis domibus, cryptis, ac speluncis latebant, in sacrificiis peragendis azymum panem exhibuisse? certè verisimilius est, eo pane usos esse, quem sors & necessitas ipsis offerebat, nempe communi & usuali. His accedit auctoritas S. Ambrosiii, qui lib. 4. de Sacramentis cap. 4. adversus eos, qui corporis Christi veritatem in Eucharistia negabant, inquit: *Tu forte dicis; Meus panis est usitatus*. Respondet autem; *Panis iste est quidem panis ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi*. Observa, dici panem *meum usitatum*. Ex quo inferre licet, fermentatum fuisse.

76. Atque hoc ampliùs ostendere possumus, si præ cæteris quæ observare præterimus, consideremus verba Innocentii I. in epist. ad Decent., in qua sic respondet. *De fermento, quod die Dominica per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti; cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione, maximè illa die, non judicent separatos; Quod per Parochias fieri debere non puto; quia non longe portanda sunt sacramenta*.

77. Non me fugit, Baronium ad an. Christi 313. negare, per fermentum sic missum Eucharisticum panem usurpandum esse, sed debere intelligi eulogias, quæ in mutuæ charitatis ac communionis argumentum ad absentes deferebantur; oppositum tamen mihi probabilius videtur: etenim Innoc. ait, non longe portanda esse *Sacramenta*; ibi autem sacramenti nomen secundum esse in propria, & stricta significatione ex pluribus evinci potest. 1. quia in eadem epistola *consecrationis* fit mentio. 2. quia ibidem appellat extremam unctionem *Sacramentum*; certum autem est, eam esse sacramentum propriè dictum. 3. quia eulogiæ etiam extra Civitatem deferebantur. Alias explicationes recensere nolo, ac refellere, sed sicuti non nisi probabiles sunt, ideo probabile reliquunt id, quod à nobis dictum est.

78. Pro usu azymorum nihil proferam, cum id ea probent, quæ diximus ex Epiphanio num. 72., nec non quæ scribit Leo IX. in epist. 1. adversus Michaelem Constantinopolitanum c. 5. & Cardinalis Humbertus in suis adversus Græcos disputationibus; quibus omnibus addimus Concilium Toletan. 16., quod cap. 6. adversus quosdam Presbyteros Hispanos, qui pro conficienda Eucharistia quemlibet panem sibi obvium adhibebant, sic statuit. *Temeritatis atque nescientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus &c.* quibus postremis verbis de azymo sermonem fuisse, satis apparet; addimus etiam testimonium Joannis Maronis, qui ante Synodum sextam scripsit adversus Melchitas, eorumque sententiam profert his verbis. *Qui in fermento offerunt; arguunt nos simul cum Occidentalibus, & Armenis dicentes, azymum non esse panem*.

79. Verùm, quidquid sit; post nonum sæculum usum in azymo consecrandi Universa Occidentalis Ecclesia recepit, atque servavit; Cum enim Michael Cærularius ann. 1053. usum azy-

azymorum tanquam illicitum ac judaicum in Latinis culpaverit: illum tanquam receptum ac firmatum in toto occidente cognovit, atque hoc ex Leone IX., & Humberto laudatis clarissimè demonstratur, & potiùs dicendum foret, Latinam Ecclesiam semper in azymo consecrasse, quem fermentatum semper ante hæc tempora adhibuisse.

80. Quantum verò spectat ad Ecclesiam Græcam; satis probabile est, ejusdem Sacerdotes prioribus sæculis in azymo consecrasse, ut constat auctoritate Epiphanii à nobis num.72.laudata, & tot Doctorum sententia, quos ibi adduximus, atque in hanc rem afferri possunt omnes illi Patres Græci, ut Orig., Chrysost., & Cyrill. Alexand. qui putarunt, Christum in azymo suum corpus tradidisse, sicuti suo loco dicemus; Nec enim verisimile judicari debet, Græcos præter seu contra exemplum Christi, statim voluisse in fermentato sua sacrificia peragere.

81. Aliud etiam, nec leve argumentum suppeditat dissensio illa, quæ fuit inter Ecclesiam Latinam, & Asiaticam tempore Victoris Papæ, quam describit Eusebius lib.5. Hist. cap.22., & 23. Contendebant enim Asiatici, Pascha celebrandum esse die 14. Lunæ Martii, quacumque die illius hebdomadæ contingeret, atque ideo ea die jejunia, quæ ante Pascha fieri consueverant, finem acciperent; Victor verò Papa, ut ex eodem Eusebio, & ex primo Tomo Conciliorum, decrevit, Pascha Christianorum non in quocumque die illius hebdomadæ, sed in Dominica celebrandum esse, & si quartadecima luna in diem Dominicam incidisset, sequenti Dominica esse celebrandum; ne Christiani simul cum Judæis Pascha celebrarent: quod Victoris decretum ægrè tulit Polycrates Asianus Episcopus; coactoque Concilio, ad Victorem scripsit, id à se fieri non posse, qui ab antecessoribus suis edoctis ab Joanne Apostolo, & Philippo, qui unus fuerat ex septem Diaconis, die 14. Lunæ, in quamcumque incidisset diem, semper Pascha peractum fuerat, idemque factum fuit ab Irenæo, qui de eadem re scripsit ad eumdem Papam, affirmans, sibi placere, quod die Dominica Pascha fieri decrevisset; displicere tamen, quod Asianam Ecclesiam tanquam schismaticam condemnasset; quia antiquum morem ab Apostolo Joanne traditum retinebat: refertque, dissidium hoc fuisse etiam inter Polycarpum, & Anicetum; atque ab hoc nunquam illum dimoveri potuisse, quia de hac re ab eodem Apostolo edoctus fuerat; In hac narratione dicerent nonnulli, Pontificem Summum nimium decreti sui tenacem fuisse, & plusquam par erat, austeritate peccasse, quod à tot viris doctis ac sanctis se commoveri passus non fuerit, sed id nequaquam proferrent, si animadvertent, tunc in Asia invaluisse Montanorum hæresim, qui gloriabantur, se à suo Paracleto edoctos fuisse, non aliter Pascha celebrari debere; quique error adeo se evulgavit, ut etiam Romanam Ecclesiam pervaserit, ut scribit Tertullianus lib. de Præscript. cap.53. dicens de Blasto. *Est prætereà his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter vult Judaismum introducere; Pascha enim dicit, non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi, decimaquarta mensis*. His igitur de causis, ut notavit Baronius ad ann. Christi 198. §.15., Victor Asianos damnavit, ejusque decretum postea in Concilio Nicæno contra Quartadecimanos retinendum esse, fuit statutum. Nunc ad rem nostram redeundo, valde probabile est, Asiaticos in azymo consecrasse; nam sicuti id faciebant propter legis mandatum, ita in reliquo legis mandatum observasse, judicari meritò potest, lex autem azyma præcipiebat.

82. Addam denique, ipsum Michaelem Cærularium in epist. ad Petrum Patriarcham Antiochenum, ut refert Baronius ad ann. Christi 1054., fate-

fateri, ad aures suas pervenisse, Patriarchas Alexandrinum, & Hierosolymitanum in azymis vescentes recipere; & interdum etiam in azymis sua sacrificia peragere; Quod si hoc ab ipsis eo sæculo, quod undecimum erat, fiebat, priùs factum esse, dubitare non possumus; tunc enim apud Græcos fermentati usus erat jam vehementissimè confirmatus.

83. Hæc pro modulo nostro dicta sint,ut aliquid ex historiis delibaremus; jamque ad punctum nostrum Theologicum deveniamus; pro quo quidem asserimus;Panem triticeum sive fermentatum, sive azymum esse materiam sufficientem Eucharistiæ; Hoc apertè traditum est in Concil.Florent.in lit.unionis dicente, *Definimus, in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere*. Idem multò priùs tradidit Leo Nonus in laudata epistola, in qua non reprehendit Græcos, quia in fermentato consecrarent, sed tantùm quia Latinos appellabant azymitas, & existimabant eos in azymo consecrantes peccare, neque sacramentum conficere; Preterea Innoc. III. in quarto libro de sacrificio Missæ. Ratio autem est; quia panis azymus & fermentatus ex accidente tantum differunt inter se,& uterque verus panis sine addito potest appellari, ut probat Theodoret. orat. 10. in Danielem, & colligi potest ex facto Christi, qui apparuit discipulis euntibus in Emmaus, cognitusque ab eis fuit in fractione panis; Tunc enim adhuc erant dies azymorum, quibus nihil fermentatum in hebræorum domibus servabatur.

84. Sed hic oritur difficultas, quid agi possit in Ecclesia Græca & Latina; quæ multifariam dividitur. Primo de Latinis & Græcis in propriis regionibus. 2. De Latinis in Græcia, & Græcis extra Græciam. 3. De iisdem in aliquo casu necessitatis, v.g. ne ægrotus careat viatico, vel populus Missa die festo.

Dicendum primò, tam Latinos, quàm Græcos debere sub præcepto Ecclesiastico in propriis regionibus & Ecclesiis proprium ritum servare, scilicet Latinos consecrare in azymo, Græcos in fermentato. Hoc, omittendo alia momenta antiquiora, colligo ex Concilio Florentino dicente; *Unumquemque juxta Ecclesiæ suæ ritum & consuetudinem conficere debere*. Idem præcipit Pius V. in Motu proprio ann. 1566. Incip. *Providentia Romani Pontificis*. Ubi omnibus tam Græcis, quàm Latinis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pæna indignationis & suspensionis perpetuæ à divinis præcipitur, ne Græci more Latino, aut Latini more Græco quocumque prætextu Missas celebrent, aut celebrare faciant.

85. Additur,per talem rituum mutationem à Græco non significari id, quod intendit Ecclesia Græca, nimirum, ut ait S.Gregor. in registro, Verbum Patris indutum esse carne, sicut fermentum miscetur farinæ, neque à Latino significari quod intendit Ecclesia Latina, nempe, Verbum Divinum sine ulla commixtione carnem assumpsisse.

86. Dicendum 2. Græcum advenam transeuntem per loca Latinorum, sed habentem certam sedem in Græcia probabiliùs teneri ad consecrandum in fermentato propter textus citatos, ex quibus videtur, præceptum affixum esse personis. Idem assero de Græco vago nullibi certum domicilium habente. Contrarium de Græco, qui sedem fixit inter confinia Ecclesiæ Romanæ; Græcus autem in iis locis Latinorum, in quibus habet propriam Ecclesiam debet celebrare proprio ritu. Idem valet de Latino in Græcia.

87. Dicendum 3. Non licere nobis consecrare in fermentato, ne populus Missa careat die festo; licere tamen, ne Sacrificium mutilum relinquatur, & pro-

probabilius etiam censeo ad dandum viaticum ægroto. Primæ duæ partes communiter affirmantur. Postrema est contra Ledesmam 1.par.quæst.15. art.4. dub. 1. Suarez, Vasq. Madern. & ferme omnes; sustinetur tamen à Lauræa, & Tannero.

88. Prob. 1. pars, quia præceptum audiendi sacrum die festo est tantùm de jure Ecclesiastico, non obligans, nisi quando sacrum fieri potest cum debita reverentia & forma; sed latinus consecrans in fermentato hoc modo sacrum facere non potest; ergo.

Prob. secunda; Præceptum non relinquendi sacrificium mutilum & imperfectum, est divinum, consecrare verò in azymo vel fermentato, est Ecclesiasticum pertinens ad disciplinam, sed illud prævalet isti, ergo.

Prob. tertia propter eandem rationem. Neque obstat, præceptum sumendi viaticum esse de jure divino positivo, non obligante nisi cum debitis circumstantiis, & legibus ab Ecclesia præscriptis; nam etiam non relinquere sacrificium imperfectum non obligat negativè, seù, ut ajunt pro semper, & ad semper, v.g. si immineret periculum certum, dandum esse canibus, ab infidelibus in malos usus esse auferendum &c. & tamen per Adversarios in fermentato consecratio fieri deberet, ne &c. ergo à pari.

89. Superesset inquirendum, an ritus consecrandi in azymo convenientior sit alio consecrandi in fermentato; Hoc resolvetur in sequenti quæstione.

ARTICULUS III.

Qua necessitate Vinum Aqua miscendum sit, ut sit materia consecrationis.

93. Plures difficultates, quas Doctores Theologi promovent circa vinum, quod est consecrationis materia, nos evitabimus, neque enim in iis, quæ certa sunt, studium nostrum & calamum impendere justum existimamus. Ut autem vides, titulus expositus primò petit ad sui resolutionem, utrum vinum miscendum sit aqua; dum enim inquiritur, qua necessitate aliquid faciendum sit, id faciendum esse planè supponitur.

Hac in re aliqui, ut Innoc. 3. in lib.4. de Sacrif. Missæ cap. 32. nec non Guido Carmelita in Catalogo hæresum, aquam vino miscendam non esse Græcorum erroribus tribuerunt; id tamen parum consideratè actum esse, ex Concilii Florentini testimonio inferiùs adducendo demonstrabo; imò Græcos bis aquam calici infundere, semel ante consecrationem, iterum post, & quidem hanc ferventem unà simul cum particula panis consecrati, refert Cabasilas in expositione Liturgiæ cap.8.& legitur apud Goarium in Missa S. Chrysostomi; imo habetur in Concilio Florentino sess. ultima ante finem, & prima immixtio, ut arbitror, ab ipsis fiebat, ut denotaretur, aquam & sanguinem de latere Christi fluxisse; Secunda verò, ad exprimendam communionem populorum in uno calice: & cum de hac re inquisiti essent ab Eugenio IV. Mytilenensis Episcopus respondens ita satisfecit, ut usus iste ipsis permissus fuerit, & adhùc, ut ego Venetiis vidi; retinetur.

91. Quod certum est, fuerunt Armeni, qui aquæ mixtionem prorsùs rejiciebant; ut notarunt Niceph. lib.28. hist.cap.53.& Theophylactus in cap.19. Joan. quod ideo ab ipsis factum fuit, ne duarum naturarum conjunctionem in Christo faterentur, quam cum Eutyche negabant; Istos damnavit Trullana Synodus can.32. sed nihilominùs ab errore non destiterunt, siquidem ad eumdem propellendum Eugenius IV. sess. ultima Concilii Florentini §. *Tertium est Eucharistia* sic loquitur. *Cum ergo tam Sancta Romana Ecclesia à Beatissimis Apostolis Petro, & Paulo edocta, quam*

quam reliquæ omnes Latinorum, & Græcorum Ecclesiæ in quibus omnis sanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint, & modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac universali ac rationabili discrepet observantia: Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo Orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino.. Et ecce testimonium illud, quo græcos in hoc errore non fuisse, clarissimè declaratur.

92. Hæretici nostrorum temporum ita se gesserunt, ut Lutherus in libro contra Henricum octavum Angliæ Regem nec non in formula Missæ pro Ecclesia Wirtembergensi stolidos eos dicat, qui aquam calici infundunt, & Richerus Calvinista affirmat, esse hæreticos, blasphemos, sacrilegos, ac corruptores; Kemnitius verò in 2. par. examinis sess.22. cap.7. & can.9. hanc rem indifferentem esse dixit, & cum incertum sit quid Dominus fecerit, id nullo pacto præcipi posse.

93. Hucusque de Armenis, & hæreticis dictum; sed Catholicorum sententiæ prætereundæ non sunt. Docuerunt aliqui, ita requiri aquæ mixtionem, ut sacramentum sanguinis sine aqua nequaquam confici possit; proinde necessariam esse necessitate sacramenti: Hoc tribuitur Armacano lib.9. de quæst. Armen. cap.9.atque hanc sententiam fuisse non nullorum tempore S. Bernardi, iste Sanctus Doctor scribit in epist.69.ad Guidonem Abbatem. Aliqui existimant, vinum miscendum esse aqua non necessitate sacramenti, esse tamen necessitate præcepti divini; Hæc opinio tribuitur Alensi 4. parte quæst. 10. Hosio Cordubensi in confess. cathol.cap.14.nec non Alphonso de Castro adversus hæreses hær. 7. Communissima tamen sententia cum S.Thom.& Scoto firmissimè tenet, aquam vino miscendam esse non necessitate Sacramenti, vel præcepti Divini, sed tantùm Ecclesiastici.

94. Hanc nos amplectimur, atque per singulas partes probamus. Primam porro suademus testimoniis Conciliorum, & Patrum. Concilium Carthag.3. cui interfuit S. Augustin. can. 24. ait; *In sacramento corporis, & sanguinis Christi nihil ampliùs offeratur, quàm panis, & vinum aqua mixtum*. Triburiense cap.19. *Confitemur, credimus, & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini, & aquæ sacra perficiat*. Omitto Bracarense 3. can.1. Trul. can. 32. Aurelian.4. cap. 4. Florentinum &c. & affero Trident. sess.21. cap. 7. sic habens contra Lutheranos, & Calvinianos; *Monet Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent*,& can. vltimo; *Si quis dixerit, aquam non miscendam esse vino in calice offerendo anathema sit*.

95. Ex Patribus proferam Justinum, qui in apol. 2. pro Christianis ita loquitur. *A precibus finitis mutuis nos osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini &c.* poculum autem hoc appellat *Eucharistiam*: non præteribo Irenæum, qui lib. 5. adversus hæres. cap.2. inquit. *Quando ergo & factus panis, & mixtus calix percipit verbum Dei, & fit Eucharistia corporis, & sanguinis Christi &c.* Quid autem est, calicem esse mixtum, nisi vinum aqua temperatum? Si Cyprianum quis postularet, referre deberem totam epistolam 63. ad Cæcilium; Præclarè etiam de hac re scribit S.Ambrosius de sacram.cap.4. Interim ex Summis Pontificibus Alexandr. I.epist. 1. jubet, nec vinum solum, nec aquam solam, sed utrumque simul esse offerendum; idemque præcipit Julius I. apud Gratian.de consecr. dist.2.

96. Quare autem ita faciendum sit præter definitiones Conciliorum Sancto-

ctorumque Patrum traditionem, aliquæ possunt afferri congruentię. Primo quia sic melius significatur unio fidelium cum Christo, tanquam cum suo capite, cum per aquas populi significentur juxta illud Apocalyp. 17. *Aquæ multæ, populi multi*. Secundo ad innuendam duplicem naturam in Christo, Tertio ad expressius repræsentandam Christi passionem, in qua aqua permixta sanguini fluxit de latere Christi.

97. Secundam partem, in qua asseritur, hujusmodi mixtionem non esse ex sacramenti necessitate, sic ostendo. Illud est de sacramenti essentia, sine quo sacramentum haberi non potest; sed sine aquæ mixtione haberi potest sacramentum: ergo. Prob. mim. Sacramentum Eucharistiæ consistit in hoc, quod sit refectio spiritualis adinstar potus & cibi; sed sine aquæ mixtione haberi potest refectio spiritualis adinstar &c. ergo. Ratio est, quia sive vinum permixtum sit aqua, sive omninò purum, est verum vinum de vite, & usuale, est igitur materia apta ad consecrationem.

98. Accedit silentium Scripturæ, in qua solius vini mentio habetur, & Chrysostomus hom.83. in Matth. in illa verba: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, contra aquarios ait: *Quæ certè vitis non aquam, sed vinum producit*. Accedit traditio Ecclesię, quę licet juxta Patres doceat, aquam Eucharistico Calici infundendam esse, certò tamen tenet, validè vinum sine aqua consecrari, ac Christi sanguinem fieri, qua in re inquit Cyprianus lib.2.ep.63. ad Cęcilium, *si vinum sine aqua consecretur, sanguis Christi incipit esse sine nobis*; sed ubi est sanguis Christi est verum sacramentum, ergo; atque ibidem etiam ait, simplicitati eorum, qui prętermiserant mixtionem aquæ & vini, esse indulgendum: non fuisset autem, si validè sacramentum non confecissent. Accedit denique authoritas Concilii Florentini, & Tridentini, in quibus tantùm panis triticei ac vini fit mentio, de aqua nihil omninò, atque hujusce postremi doctrinam disertè declaravit Catechis. Romanus p. 2. de Eucharistia num.17. dicens: *Quamvis aquæ admiscendæ ita graves rationes sint, ut eam sine mortali peccato prætermittere non liceat, ea tamen si desit, sacramentum constare potest*.

99. Reliquum, quod positum est in conclusione remanet probatum ex textibus Conciliorum adductis; Quod enim expressè dicitur præceptum Ecclesiasticum, non potest appellari Divinum; & si Dominus mixtionem aquæ præcepisset, certè Concilium Florentinum ad fortiùs cogendos Armenos hoc memorasset.

ARTICULUS IV.

An Christus, cum primum consecravit, aquam vino infuderit.

100. Antequam illa argumenta proponam, quæ contra stabilita in art. antecedente opponi possunt ac solent, resolvendum existimo, an à Christo in calicis consecratione fuerit aqua vino permixta. Hoc incertum esse dixit Durandus in 4. dis.9.q.5. absolute verò negavit Valdensis tom.3. de Sacramentis tit.4. cap.32. num.10., proinde asseruit, præceptum Ecclesiasticum aquam miscendi ab exemplo Christi nequaquam ortum duxisse, sed ab aqua, quæ de latere Christi simul cum sanguine fluxit.

101. Ego tamen existimo, mixtionem hujusmodi à Christo factam esse, pro certissimo habendum esse.

Hoc negare non possumus, nisi illustrioribus antiquissimis monumentis fidem adimamus. Si celebriores liturgias à nobis expostulent, statim exhibemus. In Liturgia Jacobi fratris Domini, quæ est in 6. Tomo Bibliothecę Sacrę, leguntur hęc verba: *Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, & per-*

permiſcens ex vino, & aqua &c. In illa Marci, hęc alia, *Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, accipiens, factaque vini & aquæ commixtione &c.* In Miſſa Æthiopum, juxta Genebrardi verſionem habetur hæc oratio: *Orabo quando ponitur vinum & aqua in calice à Diacono.* Hęc eadem reperiuntur in liturgiis Baſilii, Joannis Chryſoſtomi; Hęc tradiderunt, Nyſſenus in orat:Catechetica cap.37. Theodor. dial.1., Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 14. Ex Recentioribus Syrus Epiſcopus Gazæ in diſp. cum Achmet Sarraceno; Germanus Epiſc. Conſtantin. in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, ut habetur in 6. Tomo laudatæ Bibliothecæ. Hi omnes Græci ſunt.

102. Ex Latinis verò quos proferam? Scio, Clementem Romanum lib. 8. Conſtitution. cap. 17. de Chriſto dixiſſe, *Poſtquam miſcuit ex aqua & vino &c.* Scio, Cyprianum epiſt. 63. tam multa dixiſſe, ut potiùs videatur, mixtionem hanc ad Divinum ſpectare mandatum, ut art. dicemus ſequente; Legat qui velit Ambroſ. lib.4. de Sacram. cap. 4., Auguſtin. tract. 120. in Joan., Iſidor. lib. 1. de Officiis cap. 18., Euſebium Emiſſenum ſerm.5. de Paſch., Bedam in cap. 14. Marci, & 22.Lucę, Bernardum epiſt. 69. Amalarium Trevirenſem lib.3. de Offic. cap. 19., Rabanum lib. 1. de Inſtitutione Clericorum cap.31. Legam ego Hieronym. in illud Marci 14. *Amen dico vobis, quia non bibam &c.* ubi ſic loqnitur. *Accepit Jeſus panem, & benedixit, & fregit &c. formans ſanguinem ſuum in calice vino, & aqua mixto, ut altero purgemur à culpis, altero redimamur à pœnis.*

103. Revoco me tandem ad duo ſæpe memorata Concilia, Florentinum videlicet, ac Tridentinum: In primo dicit Eugenius IV. in decreto Fidei poſt ſeſſ. ultimam §. *Tertium eſt. Aqua autem ideo admiſcetur vino; quoniam juxta teſtimonia Patrum, creditur, ipſum Dominum in vino aqua permiſto hoc inſtituiſſe ſacramentum.* In ſecundo Patres ſeſſ.22. cap.7. reddentes rationem, ob quam vinum aqua miſceri debeat, dicunt; *Tum quod Chriſtum Dominum feciſſe credatur.* Ampliora dicam, dum ea objiciam, ex quibus colligi videtur, mixtionem hanc ad jus Divinum ſpectare; & quidem, quia à Chriſto Domino adhibita fuit.

104. Hic tamen præterire non poſſum, id à Chriſto actum non fuiſſe, ut tantùm temperantię virtutem ſervaret, quamvis quæcumque cauſa id fecerit, noſtro pręſenti inſtituto ſufficeret; agimus enim de quæſtione, quæ ad factum pertinet, nec cauſam inquirimus facti, ſed inquam hoc non fecit Chriſtus, ut tantùm temperantiæ virtutem ſervaret; ſed ut, quod Eccleſiæ ſuæ expediens agnoſcebat, exemplo ſuo Eccleſiæ eidem committeret: Si enim virtute id temperantiæ feciſſet, plus aquæ infudiſſet, quam vini; imò etiam nihil vini percepiſſet; neque, cum ſingulis ex eodem calice propinare deberet, ſicut propinavit, ut habetur Matt.26., Luc.22., Marci 14., opus erat aquam ob temperantiam miſcere, ex quo apparet, quam falſa fuerit opinio Hugonis Heteriani lib.2.contra Græcos c.16. & quam deceptus fuerit Kemnitius, aſſerens, Chriſtum aquam infudiſſe, quia vina Orientalia ſunt validiora; proinde non oportere, aquam ubique miſcere.

105. Sed jam videamus, quid contra hæc poſſunt opponi. Quamdam auctoritatem S. Auguſtini opponit Valdenſis, ubi autem tanti Doctoris verba inveniantur, non dicit, ſed tantùm aſſerit; vinum aqua miſtum non poſt cœnam dediſſe, ſed de latere ejus fluxiſſe. Validiùs probare poteſt teſtimonio Chryſoſtomi hom. 83. in Matt. in illa verba: *Non bibam de hoc genimine vitis.* Ubi dicit, *non aquam bibit reſuſcitatus, ſed vinum; ut aliam hæreſim perniciosam evelleret &c. quoniam & cum myſteria tradidit, vinum tradidit, & cum reſuſcitatus ſub myſteriis nudam menſam appoſuit, vino uſus eſt.* Alii ſic legunt;

gunt; *Christus Dominus non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit, ut radicitus evelleret perniciosam quamdam hæresim eorum, qui aqua in mysteriis utuntur.* Præterea affertur testimonium Rabani in lib. de corpore & sanguine Christi cap. 28., ubi ait: *Planè aqua in sanguine misceatur; Quare misceatur? dum in natalitio sanguinis factum fuisse non legimus. Illa maxima causa est; quia de latere Christi, ubi passio impletur, sanguis pariter cum aqua manavit.* Dum autem legis natalitium sanguinis, intellige primam consecrationem à Christo factam. Porro iste præcipuus scopus Valdensis est, ut probet, præceptum Ecclesiæ miscendi aquam non ab exemplo Christi derivasse, pro qua re adducit etiam epistolam Alexandri I. à nobis laudatam, in qua Summus Pontifex non dixit, miscendam esse aquam vino, quia Dominus aquam infuderit calici; sed ut celebretur passio Christi; nec non Innoc. III. de celebrat. Missar. cap *In quadam nostra*, dicentem: *Neque hoc posset argumento probari, quod in sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino; si de latere Christi non aqua, sed flegma cum sanguine profluxisset.*

106. Verum hæc omnia aut perperam adducta sunt, aut non bene intellecta. Nunquam ex Augustino, quod Valdensis intendit, probabitur; & si fortassis illud Augustini testimonium alicubi reperitur; præsertim in libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 75., qui tamen tanti Doctoris fœtus non est, sed Gennadii, qui fuit unus ex Massiliensibus, pluresque errores in mysterio gratiæ in eo continentur; in eo autem libro eodemque capite apertis verbis traditur sententia nostra; Legitur enim; *In Eucharistia non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine; sed vinum cum aqua mistum, quia & vinum fuit in nostræ redemptionis mysteriis &c.*

107. Miror, adversus nostram assertionem produci Chrysostomum, cum nos ejusdem liturgiam jam produxerimus, & testimonium illud à Trullano Concilio fuerit pro aquæ mixtione expositum. Contra quos tunc agebat Chrysostomus? contra Ebionitas, & Aquarios, qui solam aquam adhibebant in calice; Quare Sanctus Doctor nihil de aqua dixit, sed de solo vino, prout disputatio postulabat, habuit sermonem; at in Ecclesia, in qua Pastor erat, aquam vino miscendam esse, constanter docuit; Quare excludit aquam solam, non aquam admistam vino, per quam mistionem vini denominatio, & natura non deperditur.

108. Testimonium etiam Rabbani nihil in re concludit; Quod aqua misceatur vino, quia de latere Christi una cum sanguine fluxerit, id non negamus; & fuit una ex rationibus à nobis adductis, arbitratus est quidem scriptor ille, eam esse præcipuam rationem; sed non ita senserunt Concilium Florentinum, & Tridentinum; & si dicit, in natalitio sanguinis, scilicet in consecratione, aquam admistam esse vino non legi, hoc si de Scripturis Canonicis loquamur, verum est; Si de Patribus, aliisque monumentis, id est falsum, ut constat ex dictis; Quare affirmare potuit, non esse ita certum, aquam fuisse admistam vino, sicuti certum est, aquam cum sanguine de Christi latere manasse; quia hoc est dogma fidei in scripturis expressum; non ita illud.

109. Quod attinet ad Alexand. I. Pontifex in illa epistola non negat, aquam fuisse à Christo vino infusam; sed tantum dicit præceptum hoc non fuisse à Christo impositum, sed à Patribus, & Ecclesia; quod nos fatemur; quare etiamsi id factum à Christo sit; attamen si Ecclesia non præcepisset, à nobis aqua immiscenda non esset; vel dicas Domini factum non esse unicam rationem, ob quam aqua adhibeatur. Quod tandem de Innocentio III., verissimum est; nam si aqua de Christi latere non fluxisset, certè ex hoc argumen-

mento aquam miſcendam eſſe probari non poſſet; non dicit tamen Papa ex Chriſti facto non poſſe probari; Verum hæc duo poſteriora momenta nimis indirecta ſunt, cum ad ſummum probarent mixtionem aquæ non eſſe deſumptam ex eo quod fecit Chriſtus; non tamen id à Chriſto factum non eſſe.

ARTICULUS V.

Refelluntur argumenta contra dicta in Art. III.

110. OPp. 1. contra primam. In Euchariſtia nihil adhibendum eſt, quod in peſſima ſignificatione uſurpetur, ſed aquæ vinique mixtio ita ſe habet; ergo. Prob. mi. Iſaiæ 1. reprehenditur per illa verba. *Vinum tuum mixtum eſt aqua*.

Secundo. Congruentiæ à nobis adductæ ſunt omnino rejiciendæ; nam aqua in Chriſti paſſione non fuit immixta ſanguini, ſed ſeorſim fluxit; & illa effuſio ſanguinis & aquæ ſignificabat duo ſacramenta, ideſt Euchariſtiam, & Baptiſmum; ut advertit Auguſtinus tract. 120. in Joan.

Præterea. Euchariſtia non eſt memoria unionis fidelium cum Chriſto, ſed iſtius paſſionis; fruſtra igitur quæritur hujuſmodi ſignificatio; & licet etiam quęreretur, illa non fit ante conſecrationem, ſicut ante ſequitur mixtio.

Tandem. Sanguis Chriſti redemit nos ſine permixtione cum noſtro; non debet ergo in calice, in quo redemptio noſtra ſignificatur, aqua miſceri; ne videamur conjungere opera noſtra cum Chriſti laboribus, quaſi iſti non ſufeciſſent.

111. Reſp. idem aliquando reprehendendum eſſe, & interdum laudandum. Iſte mos eſt in ſcripturis. Sic fermentum 1. ad Corint. 5. Symbolum eſt corruptionis. *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* & Luc. 12. ęternę beatitudinis ſimilitudinem præſefert. *Simile eſt regnum cælorum fermento*. Leo ſignificat Dæmonem; Pet. 1. *Adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens*. Et tamen ſignificat Chriſtum: Apocalyp. 5. *Vicit Leo de tribu Juda*. Ita in re noſtra. Verè in Iſaiæ ſenſu mixtio aquæ damnanda erat, nam, ut legit ibi Hieronym. *Caupones tui miſcent vino aquam*, quod nefas eſt; Mixtio tamen iſta alibi in Scripturis Sanctis laudatur; Unde Proverb. 9. legitur: *Bibite vinum, quod miſcui vobis*. Et. *Sapientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum*. Quod ſi hujuſmodi mixtio damnanda foret; nunquam eſſet licita, & ſic in menſis virorum prudentium nunquam adhibenda; Fortaſſe Hęretici ſic argumentantes hac mixtione non utuntur, ideo tamquam ebrii in Eccleſiam debaccantur.

Ad primam rationem contra congruentias dico; à nobis repręſentari in calice id, quod fluxit de latere Chriſti, non modum, quo fluxit; & ſanguis & aqua ſignificabant duo ſacramenta; è contra ſignificatio hic habetur per vinum & aquam: ſignificare autem, & ſignificari ſunt duo valde diverſa. Prętera; Baptiſmus ſignificatur per aquam ablutionis, at in re noſtra habetur aqua refectionis juxta illud, *ſuper aquam refectionis educavit me*.

Ad ſecundam; fatemur, eſſe memoriam paſſionis Chriſti principaliùs, eſſe tamen de ſecundario etiam memoriam unionis fidelium juxta doctrinam Pauli 1. ad Corint. 10. *Unus panis, Unum corpus ſumus &c.* & aqua miſcetur vino, non ut tunc talem unionem ſignificet, ſed ſuo tempore, ideſt facta conſecratione; quod debet Kemnitius admittere, cum & ipſe in 2. par. exam. ſeſs. 13. dicat; panem conſecratum factum eſſe ex multis granis, ut fidelium unionem ſignificet; nec tamen ſignificat, niſi poſt conſecrationem.

Ad ultimam. Aqua mixta vino ſignificat unionem noſtram cum Chriſto tanquam effectum paſſionis, non tanquam

quam concausam: Sed hæc est consueta hæreticorum cantilena, injuriam fieri passioni & merito Christi, si nostra merita & opera ipsi conjungamus; cui jam toties in scriptis nostris responsum dedimus; Neque tamen arbitrentur, à congruentiis, quas exposuimus firmum argumentum à nobis deduci. Hoc habetur ex Conciliis, Patribus, Christi exemplo, Ecclesiæ consuetudine; quam qui non audit, est sicut Ethnicus, & Publicanus.

112. Opp. 2. contra alias partes assertionis nostræ. Materia à Christo instituta est de necessitate sacramenti, & de præcepto Divino; sed materia à Christo instituta est vinum aqua permixtum, sicut à nobis declaratum fuit; ergo.

Resp. conc. maj. ne. mi. ad prob. fatemur, Christum usum esse vino aqua permixto; at non omnia, quę ipse fecit, à nobis facienda esse mandavit: sicut licet Christus consecraverit in azymo, quod in sequenti quęstione ostendemus: non sequitur, solum azymum esse materiam essentialem hujus sacramenti: Miscuit Christus vinum non ad pręceptum, sed ad consilium, relinquens postea Ecclesię sponsę in hac re definitionem.

113. Dices. Responsio superior opponitur Doctrinę Sancti Cypriani, nec non plurium Conciliorum. Cyprianus enim in epist. 63. sępe repetit, Christum miscendo vinum aqua pręcepisse, ac exemplo suo docuisse hujusmodi mixtionem; nullique fas esse aliud offerre, quàm quod Christus ipse instituit, & obtulit, atque ita loquitur de aqua sicut de vino; ita ut, quemadmodum non potest offerri aqua sola, nec possit vinum solum; imo comparat aquam vino, sicut aquam farinę pro pane conficiendo; atqui ita aqua miscetur farinę, ut sit de necessitate sacramenti; ergo etiam aqua in calice erit de necessitate sacramenti.

Idem traditum fuit in Conciliis. Carthaginen. 3. c. 24. ait: *In sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradit; & hoc est panis, & vinum aqua mixtum*. Aurelian. 4. cap. 4. statuto, miscendam esse aquam, subdit: *Quia sacrilegium judicamus, aliud offerri, quàm in mandatis sacratissimis Salvator instituit*. Et Concilium Vormatiense c. 4. inquit: *Non enim potest calix Domini aut esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur*.

114. Sed contra; Cypriani mentem jam exposuimus. Attendendum est, Sanctum Doctorem tunc rem egisse adversus Aquarios; unde cum præceptam dixit mixtionem vini & aquæ, mandatum refertur ad vinum, nequaquam ad aquam, cum pro aqua contendere non deberet, cum jam ab adversariis suis admitteretur: Quare dum dicit, utrumque necessarium, eamdem non exprimit necessitatem, quantum verò ad paritatem spectat, jam notum est, aquam spectare ad essentiam panis; non sic verò ad essentiam vini.

Ad Concilia: Hæc non dicunt esse de necessitate sacramenti, aut præcepti Divini mixtionem vini, sed mixtionem aquæ; ita ut non possit validè offerri aqua sola; agebatur enim contra Aquarios: vel dicendum, ibi sumi pręceptum lato modo, idest pro consilio, & pro Christi facto; vel pro præcepto fundamentaliter, à quo nimirum sumpsit Ecclesia fundamentum pręcipiendi.

115. Opp. ultimo. In Christi passione sicut exivit sanguis, ita & aqua; ergo sicuti necessarium est vinum pro consecratione, ita & aqua: præsertim quia sacramentum Eucharistię repręsentat passionem & mortem Christi, à cujus latere exivit sanguis & aqua.

Resp. fluxisse sanguinem & aquam, sed sub diversa ratione; sanguis quippe suaptè natura spectat ad Christi passionem, cum naturale sit homini vulnerato sanguinem fundere; aqua verò tanquam effectus passionis. Ex quo ad ultimum; sed insuper adnota: primum & dire-

directum ſignificatum Euchariſtiæ eſſe præſentiam realem, & ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti, & per utriuſque ſeparationem formaliter factam per duplicem conſecrationem repræſentari Chriſti paſſionem: ſanguis autem & aqua à latere Chriſti jam mortui profluxerunt, proinde hæc ſignificatio eſſentialis non eſt, ſed accidentaria, & ſecundaria.

ARTICULUS VI.

Quomodo aqua mixta vino convertatur in ſanguinem.

116. DE modo, quo aqua mixta vino, quæ debet eſſe naturalis, & in modica quantitate ad indicandum ex Concilio Tribarienſi maximam eſſe debilitatem populi collatam majeſtati Chriſti; de modo, inquam, quo convertatur in ſanguinem, triplex ſententia profertur ab Innocentio III. cap. *Cum Marthæ*, de celebratione Miſſarum, reſpondente Archiepiſcopo Lugdunenſi hac in re dubio; Prima vult, aquam manere poſt conſecrationem in ſui ſubſtantia vino mutato in ſanguinem; Alia, mutari in aquam, quæ fluxit de latere Chriſti; Tertia, converti in ſanguinem tranſeundo prius in ſubſtantiam vini.

117. Prior non poteſt affirmari, cum forma conſecrationis exigat ad ſui veritatem, totum demonſtratum per pronomen *Hic* converti in ſanguinem, ſicut & totum proponitur fidelibus adorandum, & totum ſumitur à Sacerdote ſine naturalis jejunii violatione.

Sed neque ſecunda admitti poteſt; quia ſicut vinum non tranſit in ſanguinem, neque panis in corpus Chriſti, niſi per verba conſecrationis, ita aqua non poteſt tranſire in aquam, quæ fluxit de latere Chriſti, niſi per verba: nulla autem verba ſunt, quæ hujuſmodi tranſitum indicent; & ſi dicatur, hoc fieri per concomitantiam; contra eſt primò, ea tantùm poni per concomitantiam, quæ ſpectant ad rationem & integritatem corporis: aqua autem, quæ fluxit de latere Chriſti, non ſpectabat ad rationem, & integritatem corporis, cum eſſet aqua elementaris miraculosè producta juxta definitionem Innocentii III., damnantis eos, qui aſſerebant eſſe quemdam humorem aqueum ſeu flegma: ergo. 2. Si aqua illa per concomitantiam poneretur, non eſſet, cur potius id fieret in calice, quam in hoſtia; Nullo igitur pacto ex aqua mixta vino fit aqua lateris Chriſti.

118. Sed jam opiniones iſtæ penitùs obſoletæ ſunt; Quare videndum ſupereſt, utrum tertius dicendi modus tanquam probabilior acceptandus ſit: an verò dici poſſit, aquam ſine aliqua ſui mutatione in vini ſubſtantiam immediatè in ſanguinem converti. Equidem ſi de majori extrinſeca probabilitate loquamur, aquam priùs in vinum converti, quam in ſanguinem, inficias ire non poſſumus; ſiquidem illam docuerunt Theologorum Principes: S.Th. 3. p. qu. 74. art. 8. in corp., Scot. in 4. diſ. 11. qu. ultim., S. Bonavent., Alenſis, & ex Recentioribus Suarez, Vaſq. Averſa, Amic. &c. aliam verò defendunt pauci non nulli Theologi, atque iſti recentiores, Tolet., Lugus, Coninch., Cacheran. &c. dicentes probabilius eſſe, converti immediatè in ſanguinem.

Huic opinioni, ut verum fatear, libenter ſubſcribo; atque jure merito defendi poſſe ſtatim oſtendam. Sed priùs advertere placet, nihil ad praxim & utilitatem Eccleſiæ referre, ſive aſſeratur converſio immediata, ſive mediata, & Patres in quacumque ſententia explicari facillimè poſſunt. Pariter indeciſam relinquo quæſtionem illam philoſophicam, utrum vinum poſſit in ſui ſubſtantiam modicam aquam convertere, quæ ſi negativè cum pluribus concluderetur, mihi multum faveret: attamen admiſſa probabilitate hu-

jus

jus conversionis juxta dicta in physicis disputationibus.

119. Assertionem sic probo. Aqua, quæ non supponatur in vinum conversa, est materia pro calicis consecratione, tanquam si esset conversa, & hoc probabiliùs loquendo; ergo immediatè convertitur in sanguinem; prob. ant. Aqua, quæ non supponatur in vinum conversa, est cum vino vinum usuale, tanquam si esset conversa: & quemadmodum si modicum furfuris, vel hordei esset in farina triticea, adhuc fieret panis triticeus usualis perseverante furfure in sui substantia, & per consecrationem totus panis converteretur in Christi corpus; ita si modica aqua sit in vino, adhuc fit vinum usuale perseverante aqua in sui substantia, & per consecrationem totum, quod est in calice, convertitur in sanguinem Christi.

120. Hujus ratio desumitur à S.Th. qu.74. art.3. ad 3. dicente: *Quod est modicum, quodammodo absorbetur à plurimo, & ideo si fiat modica permixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit ex inde confici panis, qui est materia sacramenti*, in quo testimonio adnotanda est illa particula *quodammodo absorbetur*; ad innuendam non physicam, sed solum moralem conversionem: atque secundum istam explicandi sunt Doctor Angelicus, & Subtilissimus cum quocumque alio, quando dicunt, aquam priùs converti, seu transire in vinum. Quapropter censeo, ab antiquis Scholasticis, & Scholarum principibus me nequaquam recedere.

121. Non me latet, aliquos Doctores, præsertim Lauræam, negare, furfur permixtum farinæ triticeæ converti in corpus Christi; imò sacrilegio se exponere Sacerdotem consecrantem in pane modico furfure infecto; Verùm hic dicendi modus in praxi non mediocriter arctus est, scrupulis obnoxius, reddensque materiam consecrationis nimis incertam; præsertim apud Græcos consecrantes in fermentato, prout invenitur in hac, vel illa domo confectus.

122. Neque etiam nos ita sustinentes probamus, aquam ita necessariam esse ad consecrationem, sicut est vinum; nam aqua divisa à vino nullo modo est materia; ut autem cum vino facit vinum usuale, est materia sufficiens, proinde non necessaria necessitate sacramenti, neque est sufficiens, sicut vinum: nam hoc est etiam hujusmodi, ut divisum ab aqua. Neque etiam potest inferri, quod, cum aqua solùm misceatur ex præcepto Ecclesiastico, Ecclesia determinavit illam, tanquam materiam sufficientem; nam, licet nullum esset præceptum, aqua immixta vino esset materia sufficiens, quia esset vinum usuale; & Ecclesia ita præcepit, non ad determinandam materiam, sed ad alias significationes, ut diximus. Adde: argumentum probare etiam contra conversionem mediatam.

123. Sed neque arbitrentur oppositæ sententiæ propugnatores opinionem nostram sua authoritate carere; Ut alia prætercam Sanctorum Patrum dicta; Ambrosius lib.4. de Sacram. c.4. ait: *Vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis consecratione.* Augustin.4. de Trinit. cap.4. *Aqua mittitur in calicem, & fit sanguis conversione Verbi cælestis.* Damasc. 4. de Fide cap. 14. *Non potest panem suum corpus efficere, & vinum & aquam sanguinem?* Quæ sanè, ac similia testimonia connaturaliùs, & magis juxta litteram explicantur, si de immediata conversione intelliguntur.

124. Patrum effatis subdatur Ecclesiæ consensus; etenim in Missali Romano præscribitur, quod si Sacerdos immediatè ante consecrationem advertat, non fuisse in calice aquam appositam; apponat, & statim consacret; at tunc certè non esset in vinum conversa, quia tam brevi, & instantaneo ferme spatio videtur impossibilis illa conversio, præsertim si vinum debile sit; & ta-

tamen esset conversa in sanguinem; alioquin malè se gessisset Sacerdos, statim consecrando, & malè præcepisset Ecclesia immediatam consecrationem, atque etiam per aquam, quam supponunt in sui substantia permanentem, frangeretur jejunium naturale, quod tamen affirmari non debet: nam die nativitatis Christi Sacerdos posset aliam Missam celebrare. Quod si dicant, illam aquam sumi adinstar vini consecrati, vel salivæ; contra est: supponamus, modicam illam aquam misceri post consecrationem, certè tunc frangeret jejunium, & tamen sumeretur adinstar vini consecrati, & salivæ; ergo etiam priùs, si non convertatur in sanguinem, frangit jejunium.

125. Hoc ampliùs confirmo inquirendo, quanta pars aquæ debeat calici infundi; Scio: Honorium III. cap. *Perniciosus*. De celebrat. Miss. ita loqui: *Perniciosus inolevit abusus: videlicet, quod in majori quantitate de aqua ponatur in sacrificio, quàm de vino: cum secundum rationalem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plùs in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum*. Scio, Eugenium IV. in Armenorum instructione sic præcepisse: *Vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*. Sed scio etiam, priori tempore, nempe sæculo nono, Concilium Triburiense cap. 19. ita statuisse; *Duæ sint partes vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ*. Nunc mihi dicant; duæ partes vini possunt ne convertere in sui substantiam unam partem aquæ; præsertim si modicum tempus detur.

126. Hisce omnibus addo; sententiam contrariam omninò pendere à quæstione phylosophica; Utrum vinum possit in sui substantiam aquam convertere vel non; Hoc autem si negetur, ut plerique non sine pluribus momentis negant, jam illa corruit; Nostra vero, sive negetur, sive affirmetur, semper subsistit; & cum ex alia parte certum sit, aquam converti in sanguinem, planè sequitur, nostram esse probabiliotem, imò & tutiorem; & si Doctores oppositi non possent explicari, ut supra num. 113., eorum sententiam prorsùs improbabilem dicerem. Ampliora dicam in argumentorum solutionibus.

ARTICULUS VII.

Rejiciuntur argumenta contraria.

127. Opp. 1. ex Innoc. III. cap. *Cum Marthæ* de celebrat. Miss. apertè traditur conversio aquæ in vinum, deinde in sanguinem. En verba Pontificis. *Quærebatur, utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur &c.* (hic refert opiniones à me adductas ante conclusionem) deinde concludit: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, aquam cum vino in sanguinem transmutari; Quis enim ambigit, aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?*

Præterea ex Catechis. Romano par. 2. cap. 4. qu. 16. habetur. *Illud Sacerdotibus animadvertendum esse, quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse aquam, nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententia & judicio aqua illa in vinum convertitur*. Et certè, si consideremus authores, tot sunt, ut Capisuchi contr. 1. sexcentos enumeret, & sententia opposita prorsus obruatur.

128. Resp. primo. Innocentium declarare sententiam illam probabiliorem comparatam aliis à se recensitis, & à nobis jam rejectis, non comparatam nostræ, quæ Innocentii tempore non erat, cum nullam ejusdem mentionem fecerit. Secundo loqui de transmutatione morali aquæ in vinum, quatenùs cum vino fit vinum usuale, & certè si juxta litteram & in sensu adversariorum res statuenda esset, jam Pontifex defi-

niisset, aquam physicè in vinum transire, quod tamen plures Physici negant, & tamen ibi dicitur, *Quis ambigit?* Quod si nullus de hac re dubitasset, ut quid cum tanto ardore lis illa excitata esset? nullus unquam ex catholicis dubitavit; vinum converti in substantiam sanguinis, si igitur aqua in vinum convertitur, jam tota controversia inanis erat. Tertiò; In verbis Pontificis multa perpendenda sunt, quæ nobis favent; & primò dicit, *aquam cum vino*. Ergo aquam & vinum, cum ex Arist. 6. Topic. cap. 6. *Qui hoc cum illo assignavit, hoc & illud, aut quod ex ipsis assignavit*; & hac ratione Concil. Ephesin. can. 6. damnavit dicentes, Christum esse adorandum tanquam alterum cum altero, quia iste loquendi modus duo supposita denotabat; Secundo dicit, aquam in vinum transire per admixtionem, ergo non transit specie, seu physicè, sed solum moraliter. Tertiò; ipse lib. 4. c. 11. apertè nostrum docet assertum, cum dicat; *In sacramento est trinitas specierum, scilicet panis, vinum, & aqua*. Supponit itaque remanere species aquę, proinde aquam immediatè in vinum non converti. Tandem inquit: *Quis ambigit aquam in vinum converti, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* At rogo, in calice est ne multum vinum? Si res cum proportione sumatur, quantum aquæ converteretur in vinum, si ingenti dolio infunderetur? Si autem diceres; Innocentium fuisse in adversariorum sententia, & loquutum esse ut Doctorem privatum, nequaquam ex cathedra, omnia solveres; nec enim Pontifices in responsionibus suis semper definiunt.

Ad 2. in illis verbis nulla definitio continetur. Secundo explico verbum illud convertitur de conversione morali; ideo dicitur, modicum aquæ infundendum, quia si multum infunderetur, destrueretur etiam ista; Non desunt authores, qui dicunt, scriptores Catechismi fuisse in sententia opposita; unde ista est quidem probabilis, non tamen probabilior, nisi forte extrinsecè, quod non est ad rem.

129. Opp. 2. Concilium Lateranen. cap. *Firmiter* definit; Corpus & Sanguinem Domini in sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem; si autem aqua converteretur in sanguinem, debuisset etiam dicere, transubstantiata aqua. Florentinum docet, materiam sanguinis esse vinum de vite, cui modicissima aqua infundi debet; ergo distinguit materiam sanguinis ab aqua; consequenter aqua non convertitur immediatè in sanguinem. Trident. sess. 13. can. 2. statuit; substantiam panis converti in corpus, & substantiam vini in sanguinem, remanentibus tantùm speciebus panis, & vini; si autem aqua converteretur immediatè in sanguinem, deberent etiam remanere species aquæ; & can. 3. inquit, sub qualibet specie separatione facta totum Christum contineri; separentur ergo species aquæ sicuti separari possunt, Christus erit ne sub illis? Quis hoc dicet? Ergo aqua convertitur immediatè in vinum, deinde in sanguinem.

Resp. Concilium loqui de speciebus panis, & vini usualis, quod habere potest in se modicum aquæ in se permanentis, & moraliter in vinum transeuntis; idest per denominationem extrinsecam, & communem loquendi modum; ad secundum conc. ant. ne. conf. juxta intentum Adversariorum; Sic enim contradistinguit Concilium, ad innuendum, vinum esse materiam necessariam necessitate sacramenti, aquam verò necessitate præcepti, & licet aqua convertatur in sanguinem immediatè, adhuc totum, quod convertitur, dicitur vinum de vite in sensu superius explicato. Cœterum, Concilium laudatum magis urget contrarios assertores, nam aqua transiens in vinum non potest dici vinum de vite, sed vinum de aqua.

Tri-

Tridentinum intellige de speciebus vini usualis abstrahentis à puro, vel modicè lymphato. Ad ultimum. Si separarentur species aquæ, non ampliùs remaneret Christus, quia aqua sola non est materia, nec dici potest vinum usuale.

ARTICULUS VIII.

De Præsentia, Determinatione, & Quantitate materiæ.

130. HÆC omnia à nobis paucis resolvenda sunt, cum sint quædam moralia praxi servientia: & quantùm attinet ad priorem tituli partem affirmant communiter Theologi, materiam consecrandam ita debere esse præsentem, ut possint cum veritate proferri pronomina *Hoc*, & *Hic*; atque hoc ita assero, ut secluso quocumque discursu, vel nutibus absolutè proferantur; atque ideo illa modica materia, quæ ordinariè consecratur, videtur validè consecrari non posse extra mensam Altaris; Debet etiam esse præsens toto tempore, quo forma profertur, & aliquo sensu cognosci, cum sacramentum peragatur modo humano, & sensibili; quamvis non debeat per visum attingi, cum, ut refert Sotus, quidam Episcopus fermè quotidiè, licet cæcus, Tridenti celebraret; neque necesse est, actu sentiatur, sed sufficit, si paulò ante sit cognita, sicuti satis est, si mediatè tantùm attingatur, ut contingit de particulis in imo pixidis per particulas in superficie. Adverte tamen, hoc medium debere proximè, & immediatè continere materiam, non remotè; Unde si panis, & vinum nimium distent à Sacerdote, vel pariete intermedio, vel post tergum, vel in tabernaculo clauso, vel inter folia missalis, vel sub corporali, validè consecrari non possunt.

131. Quantum ad secundum; materia consecranda debet necessariò determinari per intentionem Ministri. Quare, si Sacerdos ex pluribus particulis præsentibus sex tantùm determinatè consecrare velit, aut dimidiam partem hostiæ, validè consecrabit, si autem indeterminatè; nihil consecraret. Quod etiam assero, si intenderet consecrare quas vellet Deus, quia pronomina *Hoc* & *Hic* non possent determinatè proferri.

132. Sed ad auferendas quascumque difficultates, & scrupulis omnibus consulendum, habeat Sacerdos intentionem consecrandi juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Hic unicè placet addere quæsitum unum; nimirum, an gutta vini non consecrata infusa consecrato, vel particula non consecrata confusa cum consecratis possit aliquo modo consecrari.

Respondeo, esse consecrandum totum quod est in pixide sub conditione, idest, si aliquid non est consecratum; sic enim materia non consecrata potest humano modo determinari, & indicari pronominibus dictis; & licet non possimus uti intentione conditionata sine causa sufficienti; hic tamen occurrit ista causa, ad impedienda scilicet incommoda, quæ orirentur, si ante distributionem illa particula non consecraretur. Hoc tamen non est faciendum pro gutta vini non consecrata immixta vino consecrato, cum totum vinum à Sacerdote sumatur.

133. Quantùm ad tertium; certum est, non esse licitum conficere Eucharistiam in quavis magna, vel minima quantitate; Hoc enim sacramentum in ea quantitate confici debet, in qua possit decenti modo tractari, conservari, & à fidelibus consumi; Si autem fiat quæstio de valida consecratione, dico, non dari neque tam magnam, neque tam parvam quantitatem, quæ consecrari non possit, dummodo sit præsens, & sensibilis. Utraque pars facilè intelligitur; Nam semper cum veritate proferuntur illa pronomina, & proferens non habet sphæram determinatam suæ vir-

virtutis, & actionis, cum agat virtute divina. Quod si dicatur, probabile non esse, Christum ad hujusmodi consecrationem velle concurrere, hoc gratis omninò asseritur, nec hujusmodi Christi limitationis ulla vel in scripturis, vel in Patribus, vel in Conciliis mentio reperitur.

QUÆSTIO III.

De Tempore, quo Christus hoc Sacramentum instituit.

ARTICULUS I.

134. ALIAM difficultatem proponunt Doctores inquirentes, utrum Christus consecraverit in azymo, vel in fermentato, sed quia hæc dependet à determinatione temporis, quo sacramentum hoc institutum fuit, ideo aliis terminis titulum exposui.

Fateor autem eam pluribus obscuritatibus propter varias opiniones & explicationes involutam esse; Siquidem non solum contra Græcos, qui asserunt Christum in azimo non consecrasse agenda res est; sed etiam plura, quæ latini dixerunt, sunt examinanda.

Atque in primis fuerunt aliqui asserentes, Christum eo anno, quo mortuus est, Pascha Judæorum non celebrasse, quia Paschatis dies incidit die Veneris, quo ipse fuit cruci affixus; & seriùs dixit discipulis, ut sibi Pascha pararent. Hoc ex antiquis existimasse Hyppolitum Portuensem, Apollinarem Hieropolitanum, & Clementem Alexandrinum ex Chronico Alexandrino ostendit Petavius lib. 12. de doctrina temporum cap. 15. extat pro hac re opus Nicolai Villagagnonii equitis Melitensis editum ann. 1569. tum lib. 5. de Republica Ecclesiastica cap. 7. Antonii de Dominis, nec non commentarium in cap. 26. Matth. Hugonis Grotii.

135. Contra hanc opinionem, seu melius errorem conclamant omnes alii tam Græci, quàm Latini; Constans tamen Græcorum mens est, Christum legale Pascha comedisse sed uno die præcedente, nempe Christum die, seu luna 13. primi mensis scilicet Martii, Judæos vero luna 14. quod colligitur ex Epiphanio hæres. 50. dicente, Christum occisum fuisse luna 14. ex Chrysostom. hom. 82. in Joan. Theophylac. in illa verba Matt. 26. *Prima autem die azimorum.* Euthymio in cap. 26. Mat. Niceph. lib. 1. hist. cap. 28. &c. Aliqui vero ex græcis dixerunt, Christum præscriptam à lege diem antevertisse, ac luna 13. Pascha legale celebrasse cum pane azymo juxta ritum legis; sed postea in pane communi, ac fermentato Eucharistiam instituisse.

136. Quamvis verò latini omnes fateantur, Christum in azymo consecrasse, atque verè ab ipso legem, de qua inferiùs dicemus, observatam esse; aliqui tamen fuerunt dicentes, Judæos in sequentem lunam seu diem Pascha distulisse; quam opinionem tradiderunt Paulus Burgen. in additione in cap. 26. Matth. Nicolaus de Lyra in illa verba Matt. 26. *Erat autem prima dies azymorum*, Jansenius in concordia c. 128. Onuphrius Panvinus lib. 2. festorum ad ann. 180. & præ omnibus Maldonat. in illud Matt. 26. *Scitis, quia post biduum Pascha fiet.*

137. Aliqui verò existimarunt tam,

Ju-

Judæos, quàm Christum eadem luna 14. Pascha celebrasse ad Vesperam; sed hanc desumendam esse ab initio diei, non à fine; atque ita docuerunt Oleaster in cap. 23. Levitici, & Stella in cap. 12. Lucæ, postea verò Aloysius Legionensis Ordinis S. Augustini in opusculo de utriusque agni typici, & veri immolationis legitimo tempore an. 1590. Horum omnium fundamenta aliquantulum expendemus; Quantum enim ad rem nostram attinet, satis erit, si Christum in azymo consecrasse contra Græcos ostendemus.

138. Interim præmitto. Tres fuisse dierum differentias apud Hebræos, sicut apud nos, idest dierum naturalium, complectentium spatium vigintiquatuor horarum vel ab una ad aliam mediam noctem, vel ab uno ad alium solis ortum; artificialium, qui à noctibus distinguuntur, complectentium spatium inter solis ortum, & occasum; legalium, seu cœremonialium complectentium spatium inter vesperam unius diei, ac vesperam alterius. Oritur igitur difficultas, an cum Judæis præscriptum fuerit, ut die 14. mensis primi ad vesperam immolarent agnum, & ederent panes cum lactucis agrestibus, hæc dies 14. debeat intelligi de vespera, in qua dies incipit, vel de illa, in qua desinit; aliis terminis debeat intelligi de fine diei 13. naturalis, vel de fine diei 14. pariter naturalis; quibus præmissis.

139. Dico; Christum celebrasse Pascha pridie quam pateretur, hęc est prima pars; celebrasse luna à lege præscripta, scilicet 14. desinente, hæc est secunda pars; Judæos etiam eadem luna, nec tempus distulisse; Hæc erit tertia; atque ita adversus præfatas opiniones res peragetur, & in azymo consecisse adversus græcos demonstrabimus.

Prob. prima pars ex textibus Evangelicis. Matt. 26. *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Pascha*; & addit, *paraverunt Pascha, Vespere autem facto discumbebat cum discipulis suis*. Dum legis *discumbebat*, intellige postquam comedit, dicente Chrisost. hom. 81. *Si Pascha comedebant, quare contra legem discumbebant? Verum, dum comederent Pascha, minimè discumbebant, sed postquam illum comedissent, quia omnia, quæ sunt legis adimplevit*. Marci 14. *Prima autem die azymorum; quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli &c.* Luc. 22. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha* ex quibus satis constat, Christum Paschacelebrasse, unde & dixit Lucæ ibidem; *Desiderio desideravi hac Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*.

140. Porro hoc Pascha fuisse legale & judaicum ex eo patet, quod nec aliud Pascha noverant discipuli, nec aliud noverat ille, ad quem à Christo missi fuerunt, nec aliud intellexerat Christus, dum præcepit ut dicerent. *Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis*. Eadem vero die misit Christus Apostolos ut pararent Pascha, & eadem die comedit, quod non est intellectu difficile, nam sicut narrat Josephus lib. 5. de bello Judaico cap. 45., Cives Hierosolymitani pro exteris advenientibus ad celebrandum Pascha, solebant domus & agnos præparare, atque eis vel pretio vendere, vel etiam dono largiri; quo posito corruit opinio aliorum, qui dixerunt, Apostolos præparasse quidem Agnum Paschalem sequenti die comedendum, at Christum illum non potuisse cum discipulis comedere, cum crucifixus fuerit ea ipsa hora, qua comedi debebat; & omnia, quæ ab ipsis afferuntur, fictitia sunt, nec sine textuum Evangelicorum violenta explicatione possunt affirmari; Unde prætereundo innumeros ferme Patres, qui quod nostra interest, tradunt, sufficiat Concilium Tridentinum, quod sess. 22. cap. 1. inquit: *Celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto, multitudo filiorum Israel*

rael immolabat &c. Igitur Christus Judaicum Pascha celebravit.

141. Prob. secunda pars assertionis. Christus celebravit Pascha die à lege præscripto; venit quippe, non ut legem solveret, sed adimpleret; ut ipse de se dicit Mat. 5., & si aliter fecisset, non potuisset Joan. 8., asserere, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* nec Judæi falsis testibus ad eum accusandum indiguissent; sed dies à lege præscriptus est 14. desinens; ergo. Prob. mi. dies à lege præscriptus est, quando agnus Paschalis comedebatur; sed hic comedebatur die 14. desinente, & incipiente 15. ergo. Mi. ostenditur, quia Exodi 12. sic legitur: *Servabitis eum* (idest agnum) *usque ad 14. diem, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, septem diebus azyma comedetis.* Unde, cum ex Num. 28. ultima dies azymorum esset vigesima prima tota & integra, rectè infertur, quod agnus Paschalis comedebatur die 14. desinente, & incipiente 15., de qua Levit. 23. legitur: *Quinta decima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est.* Atque pro hoc puncto sunt illi textus, quos num. 139. retulimus.

142. Neque vero dici potest, Christum celebrasse Pascha luna 14. sed ad primam vesperam, scilicet desinente die 13. & incipiente die 14. ut dicebant Doctores citati num. 137. siquidem hoc pluribus momentis rejicitur; primo quia per vesperam lunæ 14. illa intelligitur, cui immediatè succedit luna 15. tam festiva & solemnis, ut ea incipiente nihil residui ex agno Paschali esse debuisset, sed siquid supererat, igne debebat comburi. Secundo quia Exodi 12. sic præcipitur, *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Et additur infra *septem diebus azyma comedetis* qui septem dies protrahebantur ad diem 21. ejusdem mensis ad vesperam secundam, in qua finem acceperat dies 21., ergo etiam vespera illa lunæ 14., in qua immolandus erat agnus, erat vespera secunda, qua dies illa claudebatur, & incipiebat dies 15. Quare, si prima dies azymorum initium habuisset à prima vespera diei 14. non septem, sed octo fuissent azymorum dies, atque ideo sicut solemnitas azymorum non incipiebat in prima vespera lunæ 14., nam fermentato uti licebat asque ad meridiem, ita agnus Paschalis immolandus erat ad vesperam secundam ejusdem lunæ.

143. Contra dicta num. 141. est, quod Christus potuit Pascha celebrare, seu agnum comedere die 13. quin tamen legis esset transgressor; siquidem lex præcipiebat quidem, ne Pascha postponeretur; non tamen ne anticiparetur; ita Euthymius: Sed hoc falsò dicitur, nam cum lex aliquam diem pro aliqua re facienda statuit, præscribit, ne id fiat ante, nec post, & si admittitur illa responsio, potuisset igitur agnus immolari etiam luna 10. vel 8. Atque observandum est, à lege permissum quidem fuisse, posse celebrari Pascha à contaminatis post unum mensem; dummodo tamen id fieret luna 14.

Addunt alii, qui sequuntur Burgensem, rationem à nobis expositam, quod si Christus legem Moysis non servasset, fuisset ab Judæis accusatus, nec testibus indiguissent, nullius esse momenti; siquidem suum Pascha ita secreto peregit, ut tantum suis Apostolis notum esset, & homini, in cujus domo receptus fuit; sed tenue hoc effugium, siquidem Christus qui nihil in occulto loquutus erat, ut de se ipso dicit, neque rem tam sacram occultè fecit; & quamvis alii non adessent, aderat tamen proditor Judas, qui procul dubio id Judæis indicasset, si contra legem fecisset.

Aliqui verò textus à nobis adductos interpretantur non de die azymorum, qui jam esset, sed qui propinquaret: Unde Lucas dixit, *Venit dies azymorum.* Sed præterquam quod contra hoc sunt ea, quæ diximus, nempe ita Chri-

Christum futurum fuisse legis prævaricatorem; omnem ambigendi locum adimunt alii Evangelistæ: Quod enim dixit Lucas, *venit dies azymorum*, Matth. & Marc. dixerunt: *Primo die azymorum*.

144. Sed quod diximus, Christum die à lege præcepta Pascha celebrasse, traditum fuit, præter Latinos omnes, etiam ab ipsis Patribus Græcis; Origen. tract.35. in Matth., Chrysost. hom.85. in eumdem, Theophylact. & Theophil. Alexandrin. apud Bedam lib.de ratione Temporum cap.57., Theodoret. qu.24. in Exodum &c.

145. Superest modo tertiam partem assertionis declaremus contra Burgensem aliosque relatos num. 136. & antequam ejusdem fundamentum destruam, argumentis positivis sic me gero. Primo repetendo textus adductos num. 139. in quibus dicitur Christus primo die azymorum Pascha comedisse; In illis Evangelistæ vel sermonem habent de prima azymorum die juxta ordinariam consuetudinem Hebræorum, vel non; Si primum affirmetur; jam eo die Hebræi Pascha manducarunt; si secundum: oppositum probat Marcus cap. 14. cum dicat: *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant*; Nec non Lucas cap.22. inquiens: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*. Adnota autem verbum illud, *necesse* quod omnes afficit, omnemque legis dispensationem excludit. Quod si verbum illud *immolabant* explicas de more legitimo immolandi, scilicet quando Pascha secundum legem immolari debebat, vel tantùm limitas ad paucos perfectiores, qui Pharisæorum traditiones contemnebant; perperam te geris, etenim si facta fuisset legis mutatio, vel dispensatio per Summos Sacerdotes, ut Burgensis contendit, jam legitimè debuisset tunc agnus immolari, neque perfectiores viri ab illa cohibere se poterant, imò tanquam Schismatici, & ut inobedientes Synagogæ puniri potuissent. Secundo argumentor: quia si fuisset eo tunc talis dispensatio, quo pacto Apostoli ab ea recessissent, ut à Christo peterent, *ubi vis paremus tibi Pascha?* quo pacto ipse Christus præcepisset, ut pararent? quo pacto homo ille, apud quem pararunt, suam domum commodasset?

146. Sed jam nullam fuisse hujusmodi dispensationem, ut Pascha illo anno ab Hebræis eadem die non celebraretur, ostendamus, & sic hujusce Scriptoris, aliorumque fundamentum penitus corruet. Plura quidem dicerem, si omnia, quæ Jansenius ex quodam Hebræo in libro, qui inscribitur *Sedoralan*, exposuit, afferre placeret, sed illa mihi sufficient, quæ ad rem nostram sunt instituta, ac descripta; nempe eo anno, quo Christus mortuus est, ab ipso celebratum fuisse Pascha luna 14., alios verò ejus celebrationem in sequentem diem distulisse, quia post reædificationem Templi tempore Esdræ ita res sancita erat apud Judæos, ut duo festa duobus diebus sequentibus nequaquam concurrerent, quia nimis molestum fuisset populo ea servare, cum nullum opus servile etiam ad parandos cibos exercere possent; Qua de re, cum eo anno dies azymorum incideret in feriam sextam, cui proximè succedebat Sabbatum: ita res peracta est, ut non luna 15. incipiente, sed 16. qua exordium sumebat Sabbatum Pascha fuerit ab Hebræis celebratum; non sic à Christo, qui hac permissione, ac dispensatione uti noluit, qui voluit occidi, quando cæteri Judæi Pascha erant celebraturi; atque ita figuratum corresponderet figuræ, nempe Christus figuratus in agni immolatione eadem die crucifigeretur, quo ab Judæis immolabatur. Hoc est unicum fundamentum illorum Doctorum, quo deinde plura Scripturæ loca conciliare sibi persuadent, quæ à nobis non ita facilè servantur, quod quidem non inficior, si translatio hujuscemodi festorum locum haberet, & meritò affirmaretur.

Ve-

147. Verum omninò fictitiam esse, & in eamdem incidere difficultatem, quam evitare sibi persuadet, paucis, quantùm potero, declarabo. Non inficior, potuisse Pontifices legem illam dispensare, seu interpretari, nisi tamen aliqua urgeret necessitas id factum esse, non arbitror; quæ autem necessitas eo anno, quo mortuus est Christus? quia, dicunt, incidebant duæ festivitates simul concurrentes, nec poterant ea aptari, quæ ad vescendum necessaria erant. Unde rogo hoc colligis? fervilia opera diebus festis prohibita fuisse, hoc lego, ea parare non posse, quæ ad vescendum spectant non lego, nisi pro die Sabbati, cui hoc tanquam peculiare datum erat, & de die expiationis quamvis solemnis esset, legitur Exodi 12. & Levitici 23. *Nihil operis facietis in ea, exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent?*

148. Præterea. Translationem hanc Neomeniarum, seu festivitatum factam fuisse ab Esdra, ne septimus dies tabernaculorum in Sabbatum incideret, proinde non potuisset dies ista solemnis ludis, & choreis celebrari, quia hujusmodi ludi, & choreæ Sabbato prohibitæ erant, hoc nullius momenti est, & risu excipiendum; nam vel dici deberet, nunquam hoc festum in Sabbatum incidisse, & hoc secundum astrologicam computationem fieri non potuit, vel sine talibus ludis & choreis fuisse celebratum, quod neque:siquidem opera ista, cum ad Dei cultum dirigerentur Sabbati solemnitati opponi non poterant; Unde & Christus Mat. 12. dixit: *Non legistis in lege, quia Sabbatum Sacerdotes in templo violant, & sine crimine sunt?* Fictitia igitur est hæc festivitatum translatio, & legis dispensatio, seu interpretatio; Quod si ita non esset, ejus mentionem fecissent Philo Judæus, & Josephus, qui diligenti calamo Hebræorum cæremonias & leges descripserunt, aut saltem in aliquo ex Latinis & Græcis Patribus de ea adnotationem aliquam inveniremus; quod tamen non contingit: Hanc posterioribus temporibus apud Hebræos inventam esse, non reluctor; At Christi tempore nequaquam erat, ut advertit etiam Petavius in animadversionibus in S. Epiphanium.

149. Sed, si id admitteremus, in eamdem difficultatem ejusdem assertores inciderent; Si enim sibi non succederent ab initio duæ festivitates, succederent in fine, siquidem, si in Sabbato celebratus fuisset primus dies azymorum, jam ultimus eorum dies, qui solemnis erat, fuisset feria sexta, cui succedit Sabbatum, quod pariter apud Hebræos solemne erat; Itaque &c. Atque hæc dicta sint, quamvis hoc parum conferat ad quæstionem nostram, utrum nempe Christus consecraverit in azymo, vel in fermentato.

ARTICULUS II.

Refelluntur argumenta Græcorum.

150. Græcorum tantummodo contendentium, Christum Pascha celebrasse die 13., proinde in fermentato consecrasse, hic producam, etenim de hoc tantùm est nostra controversia.

Itaque opponunt 1. Christus instituit Eucharistiam ante diem festum Paschæ: ergo ante diem 14. qua incipiebat Pascha: ant. patet ex illo Joan. 13. *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus &c.*

Secundo. Christus passus est ante diem Paschæ: ergo etiam instituit Eucharistiam; ant. pluribus ostenditur, & quia Joan. 18. habetur, Judæos non introiisse in prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha; & quia, Principes Sacerdotum consilium facientes, ut Christum occiderent, dixerunt: *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Et quia dies, qua Christus mortuus est, appellatur parasce-

sceves Paschæ, ideft præparatio ad Pascha, & quia dies post Christi mortem appellatur magnus dies Sabbati; ergo erat dies Paschatis, & quia Joseph mercatus est Syndonem, & mulieres paraverunt aromata, nec non Judæi causam egerunt in Christum; hæc autem fieri non licebat die festo, præsertim tam solemni: ergo. Hæc sunt argumenta, quibus moventur Burgensis aliique ad dicendum, Hebræos cum Christo Pascha non celebrasse.

151. Nos tamen respondemus, ad primum negando antec. & Joannes loquitur de die festo considerato artificialiter ab ortu solis ad occasum, non legaliter à vespera ad vesperam; etiam nos die Sabbati Sancti post vesperam dicere solemus. Cras erit Pascha.

Ad 2. ne. ant. singulisque respondeo. Pro primo scias, quod Pascha comedebatur per septem dies, & hoc tantùm mundi edere debebant, ut habetur Paralip.30. & 35. Unde Levitic.22. legitur: *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino*. Quare Pascha in textu ad agnum Paschalem referri non debet, sed alias victimas, & sacrificia, quæ illis diebus offerebantur, de quibus Deuteron. 16. habetur: *Immolabis phase Domino Deo tuo de ovibus, & bobus &c.*

Pro tertio: Quidam consilium illud dederunt, non quia festi solemnitati obsequium præstarent, ut inquit Sanctus Joan. Chrysost. hom. 80. in Matth. sed ut rebus suis magis consulerent; neque daretur latrunculis occasio, qua commodius rapere possent, vel etiam plebi, quæ Christum, tanquam magnum prophetam habebat, eum liberandi, judicesque perdendi; attamen huic consilio nequaquam adhæserunt, cum Judas opportunitatem quæsierit, qua Christus nocte caperetur & extra Civitatem, tantoque odio in Christum agebantur, ut illo die eum morti tradiderint, quo major illi infamia ex majori populi frequentia inferretur: nisi forte velis dicere, quod etsi licitum ipsis non esset die festo quempiam accusare, & damnare: nihilominus Principes Sacerdotum consilio inito judicarunt, tunc expedire Christum occidere, ne gens tota periret, cum ipsum dicerent hominem seditiosum, ac Reipublicæ perturbatorem.

Pro quarto dico; illam diem fuisse parascevem Paschæ, sumendo Pascha non pro die, quo immolabatur agnus, sed pro Sabbato sequenti, quod inter Paschales dies continebatur; Unde eodem Joannis cap. habetur: *Judæi ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent corpora Sabbato &c.*& Marc. 15. *Erat autem parasceve, quod est ante Sabbatum*.

Pro quinto: appellatur magnus dies Sabbati, quia venerabilis erat duplici titulo; ideft quia dies Sabbati, & quia una dies azymorum.

Pro sexto: diebus festis non prohibebantur opera pietatis, quæ ad Divinum cultum spectabant, sicut patet ex facto Tobiæ, qui die festo mortuos sepeliebat; & Deuter.31. præcipitur, ut qui appensus fuerit in patitulo, eodem die sepeliretur; Quod verò Judæi causam egerint in Christum parum refert, nam, præter dicta superiùs, impiè in Christum peccantes non tot scrupulis agebantur; vel dicito, illis non fuisse vetitum diebus festis simul convenire, & de facto convenerunt die Sabbati, ut peterent à Pilato custodiri sepulchrum.

152. Dices; si res ita est, Pentecostes eo anno in die Dominica non contigit: siquidem festivitas hęc celebrabatur quinquaginta diebus post Pascha; si igitur Christus agnum Paschalem comedit luna 14. desinente, prima dies azymorum fuit 15. & feria sexta, secunda fuit Sabbatum, quo numerari incipiebant quinquaginta dies juxta illud Levitici 23. *Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum pri-*

mitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest 50. dies. Atqui omnium consensu Pentecostes eo anno incidit in Dominicam; ergo primus dies azymorum fuit luna 14. seu die Veneris, quo die mortuus est Christus; & ideo Christus, qui Pascha celebravit in secunda vespera feriæ quintæ, nequaquam in azymo, sed in fermentato celebravit.

153. Huic instantiæ non una omnium responsio. Duas afferam, quæ magis placent; Prima inquit, numerandos esse quinquaginta dies à secunda die azymorum non inclusive sed exclusive; quo admisso jam numerari cœperunt à die Dominica, proinde etiam in diem Dominicam incidit Pentecostes; & si dicas, quod in hac sententia debuisset manipulus primitiarum in agro meti die Sabbati, quo omne opus servile prohibitum erat; respondent, opera servilia, quæ ad cultum Dei pertinebant, nequaquam prohibita fuisse.

Secunda docet cum Baronio ad ann. Christi 34., & Bellarm. de Ecclesia triumphante lib. 3. in fine, numerandos esse quinquaginta dies à secunda die azymorum, nisi hæc contigisset die Sabbati; tertia vero die, si ita fuisset: eo autem anno ita fuit: rationem reddit Baronius hisce verbis: *Quia cum hoc anno die sequenti Paschatis esse Sabbatum, quo falcem in messem mittere vetitum erat, manipulum hoc anno constat oblatum fuisse die Dominico, quo Dominus resurrexit; cujus ipse elevatus manipulus figuram exprimebat*.

154. Opp. 2. nonnullos Sanctos Patres. Irenæus lib. 4. cap. 23. asserit, Moysen Deuteron. 16. prædixisse locum passionis Christi, nempe in Hierusalem, diem, quia nominavit diem Paschæ, & horam, cum dixerit, ad vesperam; sed non video, quare aliqui ex hoc colligant, Christum mortuum esse luna 14. quando agnus immolari solebat, proinde cœnam celebrasse luna 13., etenim dies primus Paschæ incipiebat ad vesperam lunæ 14. & durabat usque ad vesperam diei 15., propterea, ut verum sit, Christum passum esse die Paschæ, satis est, si mortuus sit ad vesperam diei 15. sicut de facto mortuus est, hora enim nona expiravit. Ita explica Tertullianum qui solet afferri in libro contra Judæos. Epiphan. hæresi 50. sic habet: *Oportebat, Christum in quarta decima die immolari secundum legem*; sed ibi loquitur de immolatione in typo & figura. Chrysostomus hom. 82. in Joannem dicit, Christum unum diem in cœna manducanda prævenisse, ut moreretur parasceve, quando olim fuit Pascha; sed in primis in hac re posset relinqui Chrysostomus, quia tamen pro nostra assertione illum adduximus, dicimus, id Sanctum Doctorem affirmasse per respectum ad Principes Sacerdotum, qui cum tota nocte occupati fuissent in procuranda Christi morte, non potuerunt cum cœteris tempore debito cœnam Paschalem agni perficere, non per respectum ad Populum, & Judæorum Communitatem, & in hoc sensu etiam explicant textum illum, de quo supra: *Non introjerunt prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Idem dices, si Theophylactus opponeretur.

155. Generatim scias, quod si Patres aliqui dixerunt Christum mortuum esse luna 14., non inferendum esse, ergo luna 13. Eucharistiam instituit; sed vel dicito, diem 14. perseverare usque ad vesperam 15., vel illa die passionem inchoasse, non consummasse. Accipe Bedam super Marcum dicentem: *Licet Christus, qui est Pascha nostrum, sit crucifixus sequenti die; attamen nocte, qua agnus immolabatur, corporis sanguinisque sui tradens mysteria celebranda à Judæis ligatus ipsius immolationis seu passionis suæ sacravit exordia*. Et si instent ex Augustino, & eodem Beda acceleratam fuisse Domini sepulturam, quia ea nocte Judæi cœnam puram

erant

erant manducaturi; hæc cœna non erat Paſchalis, ſed alia, quam ad veſperam feriæ ſextæ ſumebant, vel pro cœna pura intellige victimas Paſchales, ut ſuperiùs dictum fuit. Et tandem, ſi dicant, Anſelmum in cap.27. Matth. affirmare, ſe certa ratione comperiſſe, Chriſtum luna 14. occiſum fuiſſe, & luna 13. præter ordinem legis ſuam cœnam celebraſſe, reſponde, textum Doctoris procul dubio fuiſſe corruptum, & oppoſitum omninò docuiſſe in c.26.

156. Opp. 3. Chriſtus celebravit cœnam tempore à lege præſcripto; ſed hoc tempus fuit circa finem diei 13. ergo. Prob. mi. Exodi 12. immolatio agni præcipitur facienda die 14. ad veſperam, iſte autem terminus ſupponit pro initio diei 14., cum ſupponat pro veſpera ſolemniori.

Secundo. Judæi in egreſſu de Ægypto, dum primò immolarunt agnum, immolarunt in veſpera, quæ erat finis diei 13. & initium 14., ergo ſemper fuit ita factum. Prob. ant. Judæi immolaverunt agnum ante illam noctem, qua egreſſi ſunt de Ægypto; nox autem iſta fuit finis die 14. naturalis. Itaque &c.

157. Reſp. conc. maj. ne. mi. ad prob. quomodo veſpera intelligenda ſit, jam præmonuimus; imò terminus *ad* ſignificat motum, ſeu terminum ad *quem*, proinde ſupponit pro veſpera, quæ erat finis diei 14. naturalis.

Ad ſecundum breviter dico, relinquendo plures circumſtantias in oppoſitum, quæ facillimè unuſquiſque rejiciet, negando antec. argumenti; ad prob. notandum eſt, egreſſum Judæorum de Ægypto ſumi poſſe, vel pro eo tempore, quo Ægyptiorum vi compulſi ſunt confusè proficiſci; vel pro eo, quo in Rameſſe congregati ordine exierunt; Major argumenti eſt vera de egreſſu ſecundo modo conſiderato, non primo, & eo die immolaverunt agnum; unde argumentum nobis favet.

158. Hiſce ſtabilitis occurrit dubium; Utrum Chriſtus inſtituerit Euchariſtiam peracta cœna legali agni, an verò in cœna uſuali: Obſervandum namque eſt, Judæos poſt cœnam, qua comedebatur agnus, conſueviſſe cœnam aliam modo communi manducare; cœna enim agni feſtinanter ſumebatur, & cum ex agno, præſertim in magna familia, modicum ſumi poſſet; aliis cibis communibus in alia cœna corpus reficiebatur. Peregit Chriſtus hanc utramque cœnam, ut evincitur ex textu Evangelii infra adducendo. His prænotatis,

Reſolvo dubium propoſitum dicendo, à Chriſto inſtitutam eſſe Euchariſtiam peracta cœna legali, & in cœna uſuali. Prior pars eſt contra Janſenium cap. 130. Concordiæ, & Joan. à Lovanio; Secunda contra Suarez dicentem, inſtitutam eſſe poſt cœnam uſualem.

Ratio prioris partis eſt; quia Chriſtus Euchariſtiam inſtituit poſt ablutionem pedum Apoſtolorum; hæc autem facta fuit poſt cœnam legalem; nam Evangeliſta iſtam deſcribens, utitur hiſce verbis, *Cœna facta*. Perpendatur etiam Tridentinum ſeſſ 22. cap. 1. ubi ait; *Celebrato veteri Paſcha novum inſtituit*. Perpendatur quod exprimit Eccleſia canens. *Poſt agnum typicum expletis epulis &c.* & firmum erit quod ſtabilivi.

Ratio poſterioris eſt, quia Joan.13. dicitur: Poſt ablutionem pedum Chriſtum acceptis veſtimentis ſuis recubuiſſe, & ante Euchariſtiæ inſtitutionem habuiſſe ſermonem, atque inter cœtera dixiſſe. *Unus ex vobis tradet me*; inſtituit ergo poſtquam recubuerat pro cœna uſuali; ſed magis probat Marcus cap.14. dicens; *Manducantibus illis accepit Jeſus panem &c. Similiter & calicem poſtquam cœnavit*. Proinde &c. niſi forte dicere velis, Euchariſtiam ſub ſpecie panis fuiſſe inſtitutam in cœna, ſub ſpecie vini, poſt cœnam, & ſic Suarii ſententiam cum noſtra conciliabis.

159. Ex dictis habes reſolutam difficultatem, in qua inquiritur, an con-

venientiùs fiat consecratio in azymo, vel in fermentato; Certè enim primum asserendum est, cum illud convenientius fiat, quod à Christo factum fuisse usque modo declaravimus. Præter ea, quæ diximus, ubi primam utriusque Ecclesiæ consuetudinem ostendimus, ubi diximus ab Apostolis acceptum esse ritum in azymo consecrandi, occurrit Paulus 1. ad Corint.5. dicens: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi; Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis & veritatis*: Qua de re sileat Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus; Sileat & impius Calvinus Catholicæ Ecclesiæ ritum appellans frigidas & pueriles nugas, quibus ad stuporem populi excitentur; & uterque audiat Leonem IX. in epistola sua pro hac re. *Illud quis non stupeat, quod post tot Sanctos & Orthodoxos Patres per mille & viginti à passione Salvatoris annos novus Ecclesiæ calumniator Latinorum emersisti, anathematizans omnes, & publicam excitans persecutionem, quicumque participarent sacramenta ex azymis*. Audiat Innoc.III. lib.4. Myst. Miss. cap. 4. dicentem: *Ab ipsis Apostolis Petro, & Paulo quos vivos habuit, & defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit*; quod tamen intellige juxta à nobis dicta art.2. præsentis quæstionis, nempe sine exclusione panis fermentati, quem promiscuè adhibuisse ibi probabiliter declaravimus.

QUÆSTIO IV.

De præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia.

ARTICULUS I.

An Christus sub speciebus sit realiter suo Corpore & Sanguine præsens.

160. ACcerrimum bellum incidit titulus; insidiosius nunquam pugnant Hæretici, fortius nunquam resistunt Catholici. Ipso sub tempore institutionis præsentia realis corporis Christi hostem sensit infidelitatem, dum quidam ex discipulis Joan.6. Redemptori carnem suam promittenti responderunt: *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?* Progredientibus annis plures hæretici errarunt, & mysterium Incarnationis destruentes Eucharistiæ sacramentum tenere non potuerunt; Magis tartareus ignis exarsit sæculo 8., quo Iconomachi dixerunt, Eucharistiam esse tantùm signum & imaginem Christi, quibus corpus ejusdemque sanguis repræsentantur. Dum verò ad annum supra millesimum ventum est, adeo excrevit perfidorum flamma, ut totum mundum Catholicum niteretur incendere; Vidisses prius Berengarium Turonensem, & Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconum, & Petrobusianos; inde Albigenses & Flagellantes, hic Wicleffum, & Carolstadium, illic Lutherum, Calvinum, aliosque sacramentarios, qui tamen non idem æquali sensu docuerunt, ut videbimus.

161. Verum contra quoscumque dicendum est; Dogma fidei esse, in almo sanctæ Eucharistiæ sacramento post panis & vini consecrationem Dominum no-

nostrum Jesum Christum verum Deum atque hominem, verè, realiter, substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium existere, quæ est definitio Concilii Tridentini sess. 13. cap. 1.

Ut hanc Catholicam veritatem ostendamus plura momenta producenda sunt. Primum erit ex Scripturis: Secundum ex perenni Patrum traditione: Tertium ex Ecclesiæ consensu. Postremò aliquid addemus juxta rationes congruas. Itaque ex Scripturis.

Prob. 1. Christus promisit suum verum & reale corpus, verum & realem sanguinem; & instituens Eucharistiam suam promissionem adimplevit; ergo in sacramento Eucharistiæ est verum & reale Christi corpus, verus & realis sanguis; prob. ant. Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ecce promissio: instituens vero Eucharistiam dixit: *Accipite & comedite; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Bibite ex hoc omnes, Hic est Sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* Ecce promissionis executio, ergo Christus promisit suum verum & reale corpus &c. & instituens Eucharistiam suam promissionem adimplevit.

162. Hic tamen observes, quod etsi ex Christi promissione catholicum dogma certo probari non posset, adhuc tamen ex verbis institutionis satis colligeretur; siquidem sermo fuit de corpore, quod tradendum erat, & de sanguine, qui erat effundendus; fuit autem illud verum reale ac substantiale corpus, fuit iste verus realis & substantialis sanguis. Observes inquam; etenim fateor fuisse etiam aliquos Doctores Catholicos, ut Gabriel lect. 84. in Canon. Missæ, Nicolaus Cusanus epist. 7. ad Bohemos, Cajetan. 3. p. q. 80. art. ultimo; Joannes Hesselius in lib. de Communione sub una specie, Cornelius Jansenius cap. 59. Concordiæ, qui textus à nobis adductos pro Christi promissione, explicant non de manducatione reali corporis Christi, sed de manducatione spirituali per fidem; quod unanimi ore dixerunt Novatores: sed non eo animo quo laudati Catholici: nam ideo hoc ab hæreticis dicitur, ut excludant realem Christi præsentiam: ideo autem ab illis Catholicis dictum fuit, ut validiùs veritatem defenderent, nempe ne per illum textum, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* cogerentur ad dicendum, necessariam esse communionem sub utraque specie, sicut urgere solent hæretici: Non erat tamen necesse, ut ad manducationem spiritualem se revocarent, cum alio aptiori modo servando textus veritatem possit & debeat sustineri sufficientia communionis sub unica tantùm specie, ut suo loco demonstrabimus. Quare innumeri alii Scriptores Catholici omnia illa testimonia de reali manducatione intellexerunt, & de illorum paucorum explicatione inquit Maldonatus Comment. in cap. 6. Joan. *Quod, ut benignissimè dicam, temerarium est, gravioribusque condemnarem verbis, nisi compertum haberem, homines benè catholicos, errore magis animi, quam vitio in hæreticorum sententiam impegisse.*

163. Sed reverà ibi Christum promisisse verum suum corpus & sanguinem, atque in eo capite, non quidem in omnibus versiculis, cum certum sit locutum etiam esse de fide, de incarnatione, de panum miraculo; de præsentia reali sui corporis in Eucharistia sermonem habuisse, momentis pluribus, iisque invitis, probari potest.

Atque primo loco contextum perpendamus. Inquit Christus: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Loquutio est pro tempore futuro; si autem sermonem fecisset vel de sua incarna-

na-

natione, vel de carnis manducatione per fidem, nequaquam futurum tempus indicatum fuisset; sed vel præteritum, quia jam incarnatio peracta erat; vel præsens, quia jam multi in eum crediderant, proinde carnis ejus fuerant per fidem & erant facti participes. Sequitur: *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus*. Notetur primo illa particula *verè* quæ ineptè intelligeretur, si tantùm spiritu aut comederetur aut biberetur; notetur pręterea distinctio illa inter cibum & potum, quæ tantùm in sacramentali, & dicam orali manducatione locum habere potest; nam in ea, quæ per fidem habetur inter cibum & potum interest nihil; Unde addit, *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quæ verba, nisi de reali ac sacramentali manducatione intelligantur, viam facient ad explicanda illa verba. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* non de ablutione reali & externa, sed solum interiori & metaphorica; & sic quo pacto Socinianos Calvinistæ convincent? Sequitur: *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt &c.* Aliquid igitur Christus fidelibus daturus erat, quod antiquis Patribus datum non fuit; at antiqui Patres per fidem planè Christi carnem comederunt, biberunt & sanguinem, dicente Paulo 1. ad Corint. 10. *Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt*. Igitur de vera ac reali carnis manducatione locutus est. Quod si ita non esset; Utquid, quando Christus dixit, *Nisi manducaveritis &c.* obmurmuraverunt Judæi dicentes, *quomodo potest hic nobis dare suam carnem ad manducandum*? Utquid discipuli audientes dixerunt. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire*? Si autem Christi sermo fuisset tantum de carne sua manducanda per fidem, quid novi, quid stupendi protulisset, ut obmurmurare possent Judæi, turbari discipuli? Quoties hanc fidem ab eis non postulaverat? Miratus est Nicodemus, dum audivit à Christo; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto* & tunc sermo erat de vera nativitate habenda per ablutionem realem externam corporis. Mirati sunt alii, dum audierunt. *Nisi manducaveritis &c. Caro mea vere est cibus &c.* Et tunc sermo fuit de manducatione reali, externa, oris.

164. Secundo loco videamus, quo pacto laudata verba Sancti Patres intellexerint; & quantùm Novatorum explicatio ab illa Patrum recedat, compertum erit. Eorum certe dicta non proferam, sed satis mihi erit loca indicare, in quibus id asserunt; Totum autem debes Bellarmino afferenti Chrysostom., Cyril., Augustin., Theophylac., Euthym., Rupertum, S. Thom., Nicolaum Lyranum, Dionys. Cartus. Ultra istos Origen. homil. 7. in Num. Athanas. hom. in illud: *Qui dixerit verbum in filium hominis*. Theoph. Alexandr. lib. 2. Paschali, Epiphan. hær. 55. Theodoret. lib. 4. Hist. cap. 11. Damasc. lib. 4. de Fide cap. 14., Addas Cyprian. serm. de orat. Domini; Hilarium lib. 8. de Trinit., Ambros. lib. 6. de Sacram. &c. debes etiam id Maldonato in illud Jo. 6. *Dixit ergo eis Jesus &c.* qui ultra laudatos alios non præterit; Interim, ut uno solum testimonio plura tibi producam, audias, quid Concilium Alexandrinum Præside Cyrillo, sua ad Nestorium epistola à toto Ephesino Concilio approbata scripserit. En verba. *Confitemur, incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare &c. utpote participes sacræ carnis, & pretiosi sanguinis Christi* inde adduntur in illa. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis &c.* Audias & Concil. Nicænum secundum, in cujus actione 6. Epiphan. Diacon. sic legit. *Nullus aliquando tubarum spiritus, Sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum nostrum sacrificium dixit imaginem corporis ejus. Neque enim accepe-* runt

runt à Domino sic dicere vel confiteri; sed audiunt Evangelicè dicentem eum; Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c. Igitur certum, exploratumque apud istos Patres erat, in illis verbis Christum promisisse suam carnem verè ac sacramentaliter manducandam, & non solum per fidem, atque in hac re hereticos damnandos esse; paucos verò illos Catholicos, qui juxta hæreticorum mentem non ita intellexerunt, esse benignè excusandos; ut superius ex Maldonato dictum est.

165. Quod si aliqui ex Doctoribus illis Catholicis dicant, ex Patrum dictis nihil in re nostra quantum ad fidem attinet concludi posse; quia Patres tunc populum alloquebantur, nec sensum litteralem inquirebant sed mysticum, illosque textus utcumque usurpasse, ut Eucharisticum mysterium explicarent; inane & falsum omnino hoc effugium est; nam primò proferant mihi aliquem ex Patribus, qui sensum litteralem excludat, secundò; hoc admisso, nihil unquam ex Patrum traditione tanquam dogma fidei poterit ostendi; tertio; etsi hoc de uno vel alio Patre affirmari posset; attamen de illis, qui in Conciliis, in quibus res fidei definiuntur, nullo pacto dici potest.

Hæc dicta sunt, ut priorem partem majoris in nostro argumento positæ num. 161. probaremus, nempe Christum promisisse verum & reale corpus, verum realemque sanguinem: quod tamen etsi factum non esset, attamen id ex alio capite evinceremus, nimirum, quod instituens Eucharistiam verum ac reale dederit corpus &c. quæ erat pars secunda.

166. Hanc autem ita suademus. Christus Eucharistiam instituens dixit: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, seu *calix sanguinis mei* ut habetur ex Sanctis Evangelii Scriptoribus; sed hæc verba referenda sunt ad corpus Christi verum, ac reale, quale fuit illud, quod è Beatissima Virgine, refugio meo, prodiit; quod inter mortales vixit, ac pro mortalibus, ut mortem destrueret, mortuum fuit; ergo. Minor probanda est, ejusque probationem desumo ex ipsa materia, de qua agebatur, à qua figurata loquutio debet excludi; agebatur tunc certè de institutione Sacramenti, quod neque Novatores negant; agebatur de testamento novo a Christo condito, unde Marci 14. dicitur: *Hic est sanguis meus novi testamenti.* Et Luc. 22. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine* agebatur de fidei dogmate ab omnibus credendo, qui sumere debent Eucharistiam: at in hisce omnibus tropicus & figuratus sermo ineptissimus est; Consideremus sacramenta veteris legis; consideremus & novæ, semper in sensu proprio instituta fuisse compertum erit. Gen. 17. instituitur circumcisio. Exodi 12. agnus Paschalis; in toto Levitico sacrificia, & oblationes statuuntur, & sermo proprius semper occurrit ac litteralis; Mat. & Marci ultimo, nec non Joan. 3. stabilitur baptismus, & verba sumuntur in propria ac materiali significatione. Quis etiam adeo imprudens esset, ut non verbis claris ac in sensu obvio usurpandis testamentum suum non efformaret? Exodi 24. ubi antiquis Patribus testamentum vetus traditum fuit, propriissimis verbis fuit conditum ac promulgatum: Denique dogmata fidei ita sunt committenda, ut nullus ambiguitati, ac variis interpretationibus locus relinquatur; aliter nunquam constaret quid credendum foret; & in re nostra incerti essemus, quid in Eucharistia sumamus; qua devotione & reverentia id sumendum sit.

167. At nos certos esse debere à nobis sumi verum ac reale corpus Christi, nec indignè sine magno scelere sumi posse, admonet egregius Gentium Doctor 1. ad Corint. 11. inquiens: *Quod accepi à Domino, hoc & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus &c. dicens, Hoc est corpus meum.* Et post totius facti narratio-

rationem concludendo subdit. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Si autem ibi non esset verum Christi corpus, quomodo manducans indignè reus corporis esset? Qui lædit imaginem Regis, censetur ne lædere corpus Regis? peccat quidem in Regem, non tamen in ejus corpus: Quomodo etiam corpus dijudicaret, si corpus non esset? Cur etiam tantam præparationis sedulitatem à manducantibus postulasset? Erat manna panis Angelicus; erat Paschalis agnus cibus sanctus; erant panes azymi panes venerabiles, nec tamen qui manducabat indigne tanti criminis reus condemnabatur; ergo in Eucharistia non est signum, non figura, non imago corporis, & sanguinis Christi, sed verè ac substantialiter corpus & sanguis. Mirum tamen est, Calvinistas tantam imagini Christi in Eucharistia venerationem adhibendam esse asserentes, ipsius postea Servatoris imagines, picturas, Crucem discerpere, comminuere, demoliri, atque hoc ad majorem vitæ honestatem, recteque vivendi rationem pertinere, ipsos profiteri.

168. Observanda autem in hac re generalis illa regula, quam tradit Augustin. lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. videlicet, scripturæ verba in proprio ac naturali sensu accipienda esse, quoties nihil continetur, quod juxta litteram usurpatum vel morum honestati opponatur, vel ad fidei veritatem referri non possit: at si intelligamus, ut intelligere debemus, verba illa, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus* in sensu litterali, quid rogo contra morum honestatem, imò quid non juxta optimos mores? cum sic ex reali corporis Christi præsentia magis devotio ac spiritus ardor excitentur; & quam mundos nos esse in ejus sumptione oporteat, edoceamur. Quod vero spectat ad fidei veritatem, dum argumenta diluemus, declarabitur.

169. Verum alia plura prætereundo, quæ magis clara fient, dum hæreticorum inventis responsum dabimus, jam ad Patrum traditionem deveniendum est; quod est nostrum argumentum secundum: Neque verò in pluribus afferendis diutiùs immorabor, eos per singulas ætates in diversis capitibus adducit Eminentissimus Bellarmin. Paucis igitur contentus ero, præsertim cum nonnullos afferre, quos pro se ipsis stare arbitrantur hæretici, necesse erit. Celebre illud est testimonium, quod legitur in libro passionis S. Andreæ ab ejusdem discipulis scripto, ubi hæc verba ejusdem referuntur. *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie sacrifico, qui cum sit verè sacrificatus, & verè à populo carnes ejus manducatæ, integer perseverat, & vivus*; Huic autem libro fidem adhibendam esse, affirmant Ioan. à Lovanio in censura de Sanctorum passionibus, & Aloysius Lipomannus in vitis Sanctorum, & nullus usque modo ejus auctoritatem in controversiam vocavit, quantùm mihi notum est.

Secundus sit S. Ignatius Episcopus Antiochenus, & S. Joannis discipulus Hic in epistola ad Smyrnenses, quam citat etiam Theodoret. Dial. 3. de hæreticis temporis sui, ita loquitur. *Eucharistiam & oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Eucharistiam carnem esse Salvatoris, quæ pro peccatis nostris passa est*. Observandum est autem, quod in ea epistola agit adversus hæreticos illos, qui asserebant Verbum Divinum non assumpsisse veram carnem, sed solùm apparentem & existimatam; & ideo eam etiam negabant in Eucharistia; Quamobrem tam certum esse debet, in hoc sacramento veram realemque carnem reperiri, quam certum est; Christi carnem fuisse veram, & verè pro nobis passam, & mortuam, quod hæretici, adversus quos disputatio nostra, non inficiantur.

Tertius sit Cyprian. in ser. de Cœna

na Domini, qui etsi Cypriani opus negaretur, attamen alicujus doctissimi & antiquissimi Patris esse, non negant; sic autem ait. *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi Dei factus est caro*.

Quartus sit Ambrosius lib.6. de sacram. cap. 1. *Sicut verus est Dei filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam; ita vera caro, quam accipimus*.

Quintus S. Hieronymus in epist. ad Hedibiam quæst. 2. *Nos audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditque Discipulis suis, esse corpus Domini Salvatoris*; Quæ omnia, & alia innumera, quę apud reliquos legenda relinquimus, non valerent, si in Eucharistia vera substantia corporis, & sanguinis Christi non esset.

170. Sed quidquid dixerint Sancti Patres, audiatur Ecclesiæ sententia; Dicit autem Ecclesia verè ac substantialiter adesse corpus; & sanguinem. Quid enim definivit Concil. Nicœnum can.14. & 18.? Quid Synodus Generalis septima? Quid Turonen. sub Vict.2.? Quid Romanum sub Gregor. VII. in quo Berengarius suum retractavit errorem? Apertè loquitur Concilium Lateran.4. Apertè Viennen. sub Clem. V. Apertè Constantien. sess. 13. Apertè Florentin. in decreto unionis; Si tamen omnia Concilia tacerent, unum sufficeret Tridentinum, cujus verba in assertione mea sunt exposita.

171. Pariter ex rationibus congruis, quas recensent Suarez, & Gonetus, istas tantùm exponimus. 1. Quia hæc lex nova perfectior est vetere; Unde si veteris legis sacramenta continebant Christum in figura, aliquod sacramentum novæ debet illum continere in veritate. 2. Conveniens est, amicum adesse amico; fidelibus autem dixit Christus, *Jam non dicam vos servos, sed amicos*. 3. In Eucharistia Christus fit cibus animæ, & quod præstat alimentum corporeum corpori, præbet hoc alimentum spirituale spiritui; sicut igitur alimentum corporeum secundum propriam substantiam unitur, ita & Christus &c.

172. Sed quid dici non posset, si ad ea miracula progrederemur, quibus per hoc, & in hoc sacramento Deus potentiam suam maximam omnibus ferme temporibus manifestam fecit? Non desunt energumeni liberati, cæci videndi facultatem consequuti, mortui etiam ad vitam revocati; loquitur sanguis, qui in hebræorum synagoga ex particula furtim ablata, & impiè ferro confossa, profluxit; loqueretur & illa fœmina, quæ derisionis causa ad communionem accessit; at quia particula in lapidem conversa est, linguam impedit, ideo perterrita sileat & confusa. Utinam & ita confusi tacerent hæretici, atque aliquando luporum naturam deponentes, agni fierent in sinu matris Ecclesiæ Romanæ. Berengarii errorem sequuti, Berengarii pœnitentiam sequerentur, & carnem filii hominis manducantes vitam haberent, neque illis gravis illa immineret sententia. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*.

ARTICULUS II.

Proponuntur argumenta hæreticorum adversus verba promissionis & refelluntur.

173. PAuca ex multis nos diximus catholicum dogma declaraturi, nunc nihil omittemus ex iis, quæ adversus illud urgere possunt, & solent hæretici: & quamvis à nobis dictum sit, quod etsi nullum fuisset verbum quo Christus suam carnem, & sanguinem promisisset, adhùc ex verbis institutionis veritas nostra inconcussa evinceretur; nihilo tamen minus hujusmodi etiam promissionem adversus eos defendamus.

Primum autem argumentum, quod afferemus, illorum erit Doctorum, quos Catholicos agnoscimus, & jam retulimus; inquiunt autem Joan.6. Christum sic effatum esse. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Hic autem loquutum esse de pane vitæ solum spirituali, & de potu solummodo habendo per fidem, quis non intelligit? Quod si in illis verbis; *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem*: sermo esset de comestione vera & reali; quo pacto servari posset, non teneri fideles ad sumendam utramque speciem?

174. Quod attinet ad hoc secundum, in proprio loco resolvetur; & miror; tantùm difficultatis in hoc textu inventum esse, ut ex eo inferre deberent, Christum in eo loco de vera sua carne non esse locutum. Quantum autem ad primum; fatemur, ut jam diximus, in illo capite plura dicta à Christo fuisse, quæ ad sacramentum hoc non spectabant; hujusmodi sunt verba in argumento adducta, in quibus sermonem habebat de fide incarnationis; proinde nihil concluditur.

175. Atque si hoc postremum intelligerent hæretici, ut deberent, plura nobis non opponerent, quæ tamen audent opponere; Hujusmodi est illud Zuinglii in lib. de vera & falsa Religione, quod Christus dixerit, *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet*; deinde Hebræis dicentibus, quid ab ipsis faciendum esset, ut sic operarentur, respondit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*. Etenim priùs dixerat Christus, *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi*. Et rursus, *Pater meus dat vobis panem de Cælo verum* quibus verbis innuit sui adventum in carne, quem credere oportebat, ut spiritualiter alerentur non solum, sed etiam nascerentur; & juxta hæc addidit, *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet*. At in sequentibus non amplius loquitur in præsenti, sed in futuro, & dicit, *Panis quem ego dabo &c.* Quod si ibi nulla mentio fit panis materialis, nulla calicis, nulla fractionis, nulla distributionis, nulla testamenti, aut ejus mortis memoriæ; ex hoc inferas, tunc sacramentum corporis & sanguinis ejus non fuisse institutum, non autem non fuisse promissum.

176. Revera tamen neque fuisse promissum, contendunt Lutherus & alii; etenim sermo ille Joan.6. habitus à Christo fuit ante annum suæ mortis; quo pacto igitur ea verba ad cœnam, seu Eucharistiam referri possunt? & quemadmodum dictum fuit, *Qui manducat hunc panem vivet in æternum* ita & fuit dictum Joan. 4. *Qui biberit ex aqua hac, non sitiet in æternum*. Si igitur ista aqua tantum per fidem bibitur; ita & ille panis tantùm per fidem manducatur, nulla itaque ibi promissio panis, seu corporis sui realis.

Fatemur, Eucharisticum sacramentum non fuisse institutum nisi pridie quam Servator noster pateretur, illudque multo ante promisit; At quid in hoc novi, quid repugnantis? An non Deus Messiam promisit, quem post sæcula dedit? Christus etiam Matt. 16. claves Regni Cœlorum Petro promisit, nec tamen contulit, nisi post resurrectionem. Ad 2. unum textum cum altero comparare non possumus; utrumque dixit Christus sed non æquali modo; & ipse Evangelista referens verba illa Joan.4. *Qui biberit ex aqua hac, non sitiet in æternum*, exposuit cap. 7. *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. In aliis verò verbis, absolute dictum est, *Panis, quem ego dabo caro mea est*. Nec aliam apud Evangelistas explicationem invenies.

Alia non nulla dicunt, sed quia eadem sunt cum iis, quæ infra dicemus, hic omittantur.

AR-

ARTICULUS III.

Refelluntur argumenta, quæ contra verba institutionis Hæretici proferunt.

177. OPp. I. Illa verba *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus* tropicè tantùm & figuratè sunt usurpanda; ergo ex verbis institutionis non infertur vera ac realis substantia corporis, & sanguinis. Ant. ostendunt ex aliis Scripturæ textibus, in quibus verbum *est* adhibetur pro verbo *significat*. Gen. 41. *Septem spicæ plenæ septem anni ubertatis sunt*. Exodi 12. *Agnus est phase, seu transitus Domini*. Luc. 9. *Semen est verbum Dei*. Ioan. 10. *Ego sum ostium*. 1. ad Corint. 10. *Petra autem erat Christus*. Quis hæc juxta litteram explicavit? & si non ista, cur illa, *Hoc est corpus meum*? Certè ipse Dominus in ultima cœna mentis suæ sensum clarissimè aperuit, dum enim dixit; *Hic calix novum testamentum est*, rem contentam pro continente usurpavit, neque testamentum esse poterat, quam per signum, figuramque testamenti; & post illa verba, *Hoc est corpus meum*, addidit, *Hoc facite in meam commemorationem*. Quasi diceret, Hoc est memoria corporis mei.

178. *Si animum occupaverit alicujus erroris opinio, quidquid asseruit scriptura, figuratum arbitratur*; Ait Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana. Si Hæreticorum sensum admittamus, omnia fidei mysteria ruere; quis inficiabitur? Intelligatur illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est* tropicè, jam incarnatio non est facta. Intelligatur illud Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt* figurate; jam personarum trinitas cum essentiæ unitate destructa est. Magis quidem hæresim suam munire poterant Scripturæ textibus Nestoriani, & Ariani, quam Calvinistæ. Potuit Arius dicere, in contextu legi; *Tres sunt qui testimonium dant in terra*; nec tamen unum sunt, & Ioan. 6. *Rogo Pater, ut unum sint, sicut & nos unum sumus*; nec tamen esse poterant quid unum per essentiam. Potuit Nestorius adducere illud Apostoli. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et quod ampliùs est contra Calvinianos; Si propositiones istæ, *Christus est Deus. Hic est filius meus dilectus* tropicè accipiantur, quid Socinianis responderent? Fortasse ignorantes tacerent, aut in se ipsos agnoscerentur pugnare.

179. Illud igitur observent, quod à nobis dictum est à num. 166. usque ad 169. perpendenda sunt antecedentia & consequentia, & quo pacto prædicatum dici possit de subjecto; ita perspicient, illas aliasque similes scripturas in sensu metaphorico esse accipiendas, non sic illa verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Propositiones autem illas adversus nos adductas expendere, operæ pretium non duco; contextus ipse, ac materia, in qua versabantur, satis explicant: à nobis autem superflua evitantur: & si vellemus omnia declarare, volumina nostra tanquam exigua non reprehenderentur; cum tamen nos in aliis plura inania reprehendamus.

Ad secundum in argumento propositum; Si legantur alia Scripturæ verba à nobis adducta, verus sensus statim apparebit; Dum legitur, *Hic est calix &c.* aliquid figuratum præsefertur, facillimè tamen intelligi potest, & si in Luca fit mentio calicis, Matt. tamen & Marcus scribunt, *Hic est sanguis meus*, qui verè fuit testamentum: Si enim victimis, ac sanguine animalium sancitum fuit testamentum vetus, novum pretioso Christi sanguine est stabilitum, per quem semper fit commemoratio, non Christi ibi existentis, sed vel amoris illius, quo dignatus est nobiscum usque ad consummationem sæculi permanere; vel potissimum passionis & mortis, qua ge-

genus humanum à peccati servitute redemit, juxta illud 1. ad Corint. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*; quæ magis clarascent, dum de Eucharistia, ut sacrificium est, sermonem instituemus.

180. Opp. 2. Dum Christus dixit, *Hoc est corpus meum* per illud pronomen demonstrativum significatur ille panis, quem Christus manibus tenebat, sed panis dici non potest corpus Christi, nisi quia est figura corporis Christi; ergo in sacramento est tantùm figura corporis Christi: Quod si hoc dicere renuamus, asserendum erit, illam Christi propositionem falsam fuisse; quandoquidem, quando disparatum affirmatur de disparato, sicut contingit in casu, propositio vel est figurata, vel est falsa.

Amplius urgetur hæc difficultas, si illa verba Matth. 26. perpendamus, dixit enim, *bibite ex hoc omnes*, quod non nisi ad vinum referri potest; vinum igitur biberunt, quod est figura sanguinis; & rursus attendas, Christum non dixisse, *Hoc est corpus meum*. Sed *Hic est corpus meum* nempe Hic panis, quem in manibus accepit, benedixit, fregit, distribuit, deditque discipulis suis; proinde &c.

181. *Ecce quibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas*. Respondet S. Augustin. lib. 22. de Civit. c. 11. Ut dictis occurram; advertendum est, alias esse propositiones tantùm speculativas, in quibus objectum non fit, sed supponitur factum; ut si dicerem, *ignis comburit*; alias esse practicas & operativas, quæ id faciunt, quod significant; ut cum dixit Deus, *producant aquæ reptile* & si quis dono daret horologium dicens. *Hoc horologium est tuum*. Porro in hisce propositionibus duplex terminus considerari debet, unus à quo fit transitus mutationis, alius ad quem fit transitus; & unaquæque propositio perpendenda est, vel prout habet suam significationem successivam ac transeuntem, vel prout habet significationem completam, & perfectam; Si propositio in priori sensu usurpetur, terminus à quo fit mutatio suam retinet denominationem ac naturam; si autem in posteriori, terminus, à quo fit mutatio, mutatus & conversus intelligitur in terminum ad quem. Exemplum exhibeo; Si Christus quando aquam mutavit in vinum, dixisset, *Hoc est vinum*, jam fuisset terminus duplex, aqua, tanquam terminus à quo, vinum, tanquam terminus ad quem; in hoc casu sumpta propositione in sensu incompleto & transeunte, nondum aqua intelligitur in vinum mutata; sumpta vero in sensu completo & permanente, suam denominationem ac naturam amittit, & ex aqua factum est vinum; hisce, quantum fieri potuit, clare explicatis.

182. Respondeo directè & in forma; dist. maj. Dum dixit Christus, *Hoc est corpus meum*, per illud pronomen demonstrativum significatur ille panis, quem Christus manibus tenebat &c. si sumatur propositio incompletè, transmitto, si completè, ne. maj. omitto minorem, ne. cons. dixi, transmitto; etenim hoc discrimen est inter nomina, & pronomina; quod illa ex se determinatè distinctèque significant; ista verò ex se nihil determinatè significant, nisi alicui nomini conjungantur, per quod indeterminata significatio fit determinata; Quare in re nostra, pronomen illud, *Hoc* nec determinatè significat substantiam panis, neque accidentia panis, nec quidpiam; addito verò *corpus meum* determinatè significat corpus Christi; scilicet, Hoc, quod continetur sub hisce visibilibus signis est corpus Christi; Quod verò additur de illo axiomate, quando disparatum prædicatur de disparato, propositio vel est falsa, vel figurata; hoc verum est, si nulla mutatio contingit, non è contra; & superiori exemplo aquæ conversæ in vinum potest ostendi.

183. Ex hac doctrina id refellitur, in quo difficultatem urgeri exiſtimabant; dum enim dixit, *bibite ex hoc omnes* terminus ille, *hoc* non refertur ad vinum, ſed ad ſanguinem, in quem mutatum eſt vinum; Sicut ſi Moyſes, quando virgam in ſerpentem convertit, dixiſſet, Hoc, quod videtis, eſt ſerpens, ex hoc omnes fugite, terminus ille *hoc*, non ad virgam ſed ad ſerpentem fuiſſet relatus.

Ad poſtremum; permitto, dictum fuiſſe, *Hic eſt corpus meum*. Sed dico cum Bellarmino, apud Hebræos non eſſe pronomina in genere neutro, ideo nihil mirum, ſi ita locutus ſit Chriſtus; Cœterum Marcus & Lucas, qui græcè ſcripſerunt, dixerunt, *Hoc eſt corpus meum*, quod & factum fuiſſe à Matthæo, qui eum græcum fecerunt, arbitrati ſunt. Quod verò Chriſtus diſcipulis dederit, quod in manibus accepit, benedixit, fregit, id eſt verum; ſed in corpus ſuum mutatum; Quid ſi dicerem; Chriſtus dedit, quod in hydriis juſſit afferri, juſſit afferri aquam; ergo dedit aquam? Reſponderent Calviniſtæ; non aliud quidem fuiſſe in hydriis, quando impletæ ſunt, & antequam Chriſtus virtute ſua aquam in vinum mutaverit; Ita & nos reſpondemus Calviniſtis, dum dicunt, Chriſtum accepiſſe panem, benedixiſſe &c. Niſi probent, Chriſtum panis ſubſtantiam in ſuum corpus non convertiſſe, nihil Novatores efficient, & quidquid dicent ad ſophyſmata revocabitur & ineptias; uti revera ſe habent plura argumenta Albertini lib. 1. cap. 13., quæ nec quidem à me proponuntur, eum ex dictis jam reſoluta ſint, vel riſu ſint excipienda; atque nimis ignorantem lectorem meum ſupponerem, niſi vix objecta dilueret; Quæ vero videntur aliqua digna conſideratione, aliis in locis à nobis perpendentur.

184. Opp. 3. Si Chriſtus corpus ſuum verè, ac ſubſtantialiter in Euchariſtia reliquiſſet, falſa fierent alia Scripturæ teſtimonia; Verum non eſſet, quod dixit Joan. 12. *Pauperes ſemper vobiſcum habetis, me autem non &c.* Falſum, quod Joan. 16. *Ego relinquo mundum*. Falſum, quod Act. 3. *Quem oportet, cælum ſuſcipere uſque ad tempus reſurrectionis omnium*. Falſum, quod ad Corint. 1. cap. 10. *Patres noſtri manducaverunt eandem eſcam ſpiritualem, & eundem potum ſpiritualem.* Et ſi Deus non habitat in templis manufactis, ut dicitur Act. 10., quomodo per hoc ſacramentum habitabit in tabernaculis?

185. Pauciſſimis reſpondeo. Habemus Chriſtum in Euchariſtia corporea ſui ſubſtantia præſentem, ſed maximæ, & excellentis charitatis beneficio, non viſibili modo, ut pauperes; ſic enim illum ſuſcepit cœlum, quod acquiſivit ſanguine ſuo, ſed inviſibili modo, ut fidei noſtræ meritum augeatur, & Dei virtus, miraculorum omnium maximum faciens, miro & ineffabili modo reluceat; Accedat quiſque devoto corde, puraque mente, meliore procul dubio eſca ſatiabitur, quam Populus Hebræus; Idem quidem fuit cibus, inquit Auguſt. lib. 2. contra lit. Petiliani, ſignificatione, non re; nam, ut loquitur Chriſtus Joan. 6. *Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Manducaverunt Apoſtoli, & vixerunt, quod dico, ne quis exiſtimet, hunc panem manducare, & vitæ æternæ ſe certum facere; *Qui enim manducat indignè, judicium ſibi manducat*. Verùm hoc alias dictum eſt. Quo pacto Deus in templis manufactis non habitet, ex dictis collige, nempe viſibili modo, non inviſibili.

AR-

ARTICULUS VI.

Rejiciuntur argumenta, quæ Hæretici ex Sanctis Patribus proferunt.

186. Plures ex Sanctis Patribus in assertionis meæ probatione à me prætermissi sunt, ut eos afferrem in hoc loco, in quo Novatores pro se Sanctos Patres suas sententias protulisse contendunt. Atque primo producunt Irenæum; hic in lib. quarto cap. 18. olim 34. plura dicit, ex quibus errorem suum confirmare nituntur. Eucharistia per hunc Sanctum Doctorem ex duabus rebus constat, terrena, & cœlesti. Quid autem est res cœlestis, nisi virtus & efficacia collata divinitus? Quid res terrena, nisi panis vinique substantia? Idem asserit, corpora nostra nutriri corpore, & sanguine Christi; at quomodo hoc contingere potest, si de vero Christi corpore intelligamus? continget profecto, si dicamus, nutriri per panem & vinum. Præterea; sic habet; *Non indiget Deus sacrificio; sed conscientia ejus qui offert, si pura est, sanctificat ipsum sacrificium*. hoc autem dici non posset, si in Eucharistia esset verum Christi corpus, nec enim hoc ab alio sanctificari potest. Tandem inquit; *Judæos non recepisse Verbum, per quod offertur Deo*. Si autem corpus Christi in hoc sacramento reperiretur, jam per Christum, qui Verbum erat, offerretur ipse Christus, in quo est repugnantia.

187. In eo, quod opponere incipiunt, parum nos urgent. Optimè dixit & juxta mentem nostram Iræneus, dum sacramentum Eucharisticum asserit constare ex re terrena, & cœlesti; sed dum rem terrenam legis, intellige accidentia panis & vini, quæ sensu percipiuntur; dum rem cælestem, substantiam corporis Christi, quod modo invisibili, & spirituali sub illis accidentibus continetur: & quamvis sit etiam virtus & efficacia collata divinitus; attamen ista non intelligeretur, nisi Christi corpus adesset; atque in Adversariorum sensu, omnia sacramenta constare dicerentur ex re terrena & cælesti, quia in omnibus sunt sensibilia signa, & in omnibus divinitus collata residet virtus. Si autem velis explicationem magis juxta mentem Irenæi, illam exhibet Cardinalis Perronius, volens per rem terrenam indicari corpus Christi, per rem cælestem intelligi spiritum Christi: Sciendum namque est, tunc Sanctum Doctorem adversus Valentinianos rem pertractasse; Dicebant autem Valentiniani, Christi corpus non fuisse terrestre, atque elementare; unde ut se illis opponeret, dixit, Eucharistiam constare ex re terrena; Dicebant insuper; Deum Patrem nequaquam fuisse Creatorem panis, & vini; contra eos invictè probabat, quod cum in Eucharistia panis, & vinum offerrentur, sicut & ipsi offerebant, jam in se ipsos pugnabant; quia Deo offerre dedecebat, quod à Deo non esset.

Ad secundum; nutriuntur quidem corpora nostra per Christi carnem & sanguinem, non utcumque, sed prout sunt in sacramento, ac continentur sub accidentibus panis, & vini; imò ex quo hoc dicat Irenæus, planè evincitur, ejus corpus realiter sumi, & non tantùm in figura, & tropicè; Sicut verè ejus corpori convenit, in nostrum stomachum dimitti propter species, ita propter eas convenit, corpora nostra nutriri: & si quæras, quo pacto corpora nutriri possint per species, seu accidentia, a me non quæras, nec ab ullo; Quis enim ejus omnipotentiam aut investigabit, aut attinget? Cur, quod conveniret substantiæ panis, hujus accidentibus communicare non potuit? Et sicut illa substantiæ loco sustentat, ita illis substantiæ vim potest tribuere; De miraculorum maximo loquimur, ulterius non quæras.

188. Quamquam, ut etiam in hac re aptius juxta mentem Irenæi loquamur,

mur, ita dicendum est, corpora nostra per Christi corpus nutriri, hoc intelligendum non sit de nutritione, quæ transeat, & cibis naturalibus obtineatur, sed de alia sublimiori, quæ permaneat; atque per conjunctionem realem cum corpore Christi incorruptionis & immortalitatis in se recipiant semina, & ostendatur, corpora nostra in resurrectione futura esse immortalia, quod erat Irænei intentum; futura autem sunt immortalia, non significatione tantùm, sed re; itaque etiam corpus Christi non significatione tantùm, sed revera sumitur. Hoc clariùs explicare non possum, quam ipsius Doctoris verba proferendo. Ista sunt. *Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini, & sanguine alitur?* Et paulo infra. *Quemadmodum enim qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: Sic corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.*

189. Ad tertium; Non solum Deus non indiget sacrificio, sed nisi conscientia pura offeratur, sacrificium illud sit offerentis sacrilegium; requiritur igitur conscientia pura, non qua sacrificium in se sanctum efficiatur, sed ut sanctum sit respectu offerentis, istique spiritualem proferat fructum.

Ad ultimum; nihil absurdi deprehenderetur, si animadverterent, in hoc Sacrificio Eucharistico Christum, esse Sacerdotem & hostiam; Idem igitur offert, & offertur; imò nullus offerre potest nisi per Christum, per quem solum, tanquam mediatorem Deum inter & homines, habere possumus accessum ad Deum.

190. Hæc de Irenæo dicta sunt; Modo ad Tertullianum appellant; quem certè Doctorem, licet in pluribus aliis erraverit, attamen de sacramento Eucharistico rectè sensisse, omnes affirmant. Plura autem habet, in quibus Christi corpus solùm in figura reperiri, innuere videtur. Primo; lib. 1. adversus Marcionem cap. 14. inquit. *Usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum quos suos ungit; nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat.* Porrò rem repræsentare non est illam rem esse, cum idem nequeat esse signum & signatum, nec imago Pontificis Pontifex.

Secundo: Lib. 3. contra eumdem cap. 19. & contra Judæos perpendens illa verba Hieremiæ. *Mittamus lignum in panem ejus* ait. Hoc lignum & Hieremias tibi insinuat, dicturis prædicans Judæis; *Venite mittamus lignum in panem ejus. Utique in corpus ejus lignum missum est; Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit, panem corpus suum appellans, ut & hic jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in panem Propheta figuravit:* Vides, Christum in Evangelio corpus suum panem appellasse; Vides, pani corporis sui figuram dedisse; Quid igitur clariùs afferri potest, ut inde inferatur, in Eucharistia aliud non esse; quam figuram corporis Christi?

Adhuc tamen quid clarius, si legatur liber 4. contra eundem cap. 40. sic in eo legitur. *Acceptum panem & distributum Discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis sui. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.*

191. Singulis respondeamus oportet; Primum vim suam desumit ab illo verbo repræsentare, quod tamen verbum ambiguum est, interdum enim usurpatur ad solam alicujus rei imaginem & figuram, aliquando vero rem præsentem sistit, & exhibet, ut patet de illo, qui repræsentatur judicibus, & in quo sensu Ecclesia orans pro defunctis dicit, ut signifer Sanctus Michael *repræsentat eas in lucem Sanctam*. In hac poste-

posteriori consideratione loquitur Tertullianus, ut constabit ex iis, quæ inferiùs ex eodem in medium producam. Nec terreat, quod dixerit, *nec panem*. Etenim illo nomine significat panis substantiam ante consecrationem, panis accidentia post consecrationem; Quod si per aquam & oleum non solum accidentia innuit, sed etiam aquæ oleique substantiam, mirum non sit; Siquidem nunquam de aqua & oleo dictum fuit, illorum factam fuisse in corpus suum conversionem, sicut dictum fuit de pane.

Ad secundum; ibi Tertullianus conciliat testamentum novum cum vetere; & quod Hieremias dixit de pane, ut Christi corpus designaret, Christus dixit de pane illum assumendo, ut de ipso efficeret corpus suum; atque ita suum corpus appellavit; & dum legis, *ut eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse*, non ita explices, ut in pane Eucharistico dederit figuram corporis sui, sed referas ad dictum Hieremiæ, nempe in veteri testamento corporis sui figuram pani dedisse, qui postea panis in testamento novo factus est per conversionem suum corpus, quo pacto autem corpus suum appellaverit panem, inferiùs generatim ostendam.

Ad tertium. Priora verba mirificè nobis favent, dum dicit; *Acceptum panem & distributum Discipulis, corpus suum illum effecit; Hoc est corpus meum dicendo*. Solum obstare videntur alia, *idest figura corporis sui*. Huic argumento, quod maximi faciunt, pluribus responsionibus occurrunt Catholici Doctores, quibus omissis, dico, quod si in Tertulliani libris mediocriter versati essent, id nobis nequaquam opponerent; Verba illa non sunt applicanda corpori, sed pani, idest panis, qui fuit figura corporis sui juxta textum Hieremiæ superiùs laudatum, corpus Christi effectus est; Morem sic transponendi servat Tertullianus, ne ordinem verborum scripturæ interrumpat; Sic lib. contra Praxeam cap. 29. explicans illud Apostoli 1. ad Corinth. 15. *Quoniam Christus mortuus est*, ait; *Christus mortuus est, idest unctus*: Dicere debuisset, *Christus, idest unctus, mortuus est*. Nec tamen dixit, ne verba Apostoli interciperentur. Ita in re nostra. Et insuper nota posteriora. *Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus, non fuisset*, refertur ad tempus elapsum, idest veteris testamenti; *Nisi veritatis esset corpus* refert ad tempus præsens & legis novæ. Nunc igitur est verum corpus, & si adhùc panis in Eucharistia esset figura corporis Christi, non dixisset, *fuisset*, sed *esset*.

192. Sed jam proferamus Tertulliani testimonia, in quibus Christi corporis veritatem, & non tantùm signum in Eucharistia profitetur. Duo autem arbitratu meo expressiora sunt: Unum in lib. de resurrect. carnis, ubi ait: *Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur*. Agebat autem tunc contra hæreticos, qui veram carnis resurrectionem negabant; si verò tantùm de corpore Christi in figura loquutus esset, illius argumentum nullum fuisset; potuissent enim respondere, quod sicuti caro solum in figura corpus Christi accipit, ita non propriè sed metaphoricè tantùm resurget. Alterum est in libro de idololatria, ubi eos, qui indignè tractant hoc sacramentum, illis comparat, qui Christi corpus crucifixerunt, dicens. *Proh scelus! semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ &c.*

193. Tertio opponunt Origenem; Hic plura dicit, quæ ab hæreticis pro suo errore afferuntur, cum tamen sint facillimæ solutionis, libenter prætermitto. Nonnulla proferam, quibus potissimum, perperam intellectis gloriari possunt. Hom. 7. in Levit. sic ait. *Si secundum litteram sequaris hoc, quod dictum est, Nisi manducaveritis carnem &c. occidit hæc littera*. Spiritualis

lis itaque sensus accipiendus est. Homil. 9. inquit. *Non hæreas in sanguine carnis, sed disce potius sanguinem Verbi, & audi ipsum dicentem, quia hic sanguis meus est*. Erigenda itaque est mens nostra ad Verbi significationem, nam si sanguis Christi revera esset in Eucharistia, huic hærere deberemus, tanquam illi, qui redemptionis nostræ fuit pretium. Præcipuus locus est in illius Comment. in cap. 15. Matth. ubi perpendit illa verba, *Quod intrat per os, non coninquinat hominem*. In diversis diversa legi, nec singulorum proferam verba, cum in omnibus sensus sit idem. Omnia autem ad hæc reducuntur. 1. Nos neque defraudari aliquo bono, si panem illum non comedamus, neque aliquo bono abundare, si comedamus; sed totum à conscientia pura bonum proficisci, totum à conscientia immunda malum oriri; quod verum non esset, si corpus Christi revera in Eucharistia contineretur; hoc enim suapte natura bonum proferret. 2. Cibum illum, qui per verbum Dei sanctificatur, secundum materiam, qua constat, in ventrem abire, secundùm verò orationem, quæ illi accessit, juxta fidei proportionem utilem esse; Nota, *secundum orationem*. Nota *fidei proportionem*. Denique: vocat illud corpus typicum, ac symbolicum: & addit, corpus hoc à peccatoribus minime manducari, quod verum non esset, si ibi esset corpus Christi.

194. Fateor, hæc à me ita dicta esse, ut tamen dici non oportuisset: Scholastici enim unico verbo omnia dissolvunt, & justè: ideo reprehendendi ab aliquibus non sunt, si plura paucis rejiciunt, nec omnia palam faciunt; Cum tamen ad illud tempus ventum sit, quo eruditi non apparent, nisi qui plurimis verbis utuntur, & superfluis paginas implent: ideo aliquantulum in istis ipse etiam immorabor. Si tibi dixero; carnem, sanguinemque Christi nihil prodesse, nisi præcedant, saltem negativè, dispositiones congruæ, atque in hoc sensu loquutum esse Origenem, omnia habes resoluta; nihil tamen dicerem, quod non dixit Apostolus; *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit*. Hoc non aliud inferas ex Origenis testimoniis: Profecto occideret littera, si illud, *Nisi manducaveritis &c.* ita accipiendum esset, ut ad vitam habendam sufficeret manducare; neque satis esset hærere in sanguine carnis, nisi sanguis istius carnis esset Christi, Christus enim erat Verbum; Quis namque ex nobis dicit, Christi carnem aliquam habere virtutem, nisi Christus esset Deus? si aliter velis dicere, dicas potius Christum non fuisse Verbum, & sic in alium errorem incidis, quem tamen tu ipse evitas; Hæreamus igitur huic sanguini, qui fuit redemptio nostra, & ideo fuit redemptio nostra, quia sanguis Christi hominis Dei erat; Si quis igitur se indignum agnoscet, priùs se probet, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: si aliter fiat, quod intrat per os hominem coninquinat, quia sibi judicium manducat, & bibit; aliquo non defraudabitur bono, si non comedat, imò multo replebitur malo, si comedat, neque aliquo bono abundabit, si comedet; si quis enim tepidus erit, evometur: conscientia requiritur bona, quia mors est malis, vita bonis. Hoc sibi postulat Christi corpus, ut devotionem à sumentibus exigat, quæ si desit, aut nihil afferet boni, aut multum afferet mali. Hoc novum non est, si consideres arcam Domini, quæ cædes attulit aliquibus, aliis benedictionem, ut notum suppono. Retinet etiam cibus iste talem naturam, ut in ventrem vadat, & emittatur: quia Christi corpus non secundum se comeditur, sed prout continetur sub accidentibus panis, quæ corrumpuntur, & dimissa à Christi corpore, ab alia substantia sustentantur, vel in aliud convertuntur, per quod contingit, quod dicebatur: dicuntur autem ma-

materia, quia certè accidentia materialia sunt, & in materia esse natura sua postularent. Dum tandem corpus illud vocatur typicum, & symbolicum, non mireris; est enim typus & symbolum sui ipsius, non absolutè, & ut est in sacramento, sed prout fuit pro nobis natum & passum: Hæc enim, quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis: præter alias explicationes, quæ adduci possent juxta Concilium Nicænum dicens, esse symbolum resurrectionis nostræ: Tridentinum asserens esse symbolum illius corporis, cujus ipse Christus est caput; fidei, & promissionis juxta Clementem Alexandrinum. Quo pacto verò Christi corpus à peccatoribus non manducetur, satis jam intelligis; Si enim nullo modo à peccatoribus non manduceretur, Apostolus non dixisset quod dixit.

195. Ne vero nobis aliquid ex Origenis doctrina deesse arbitrentur; aliqua ejusdem testimonia, ex quibus doctrina nostra fermè tota sumpta est, liceat afferre. In homil. laudata sic ait: *Quod sanctificatum est per verbum Dei, & orationem non ex se utentem sanctificat: Nam si ita esset, sanctificaret & illum, qui indignè comedit &c.* hom. verò 13. in Exod. utitur exemplo diligentiæ, quam adhibent omnes Christiani in Christi corpore conservando, ut inde probet, verbum Dei non esse contemnendum; sic autem inquit. *Volo vos admonere religionis vestræ exemplis, nostis qui Divinis Mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscepistis corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat: reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat.* Porrò testimonium hoc hæreticos jugulat, cum & Christi corpus conservari affirmet, atque ex quo conservetur, in signo tantùm non esse confirmet; Adde modo homil. 5. in diversa Evangelii loca, ubi sic ait: *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum; quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.* Hic autem adverte loqui Origenem de Centurione, qui dixit, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; ut inde colligas, quod sicut Christus non in signo, sed corporis sui substantia domum illius ingressus est; ita & in corpus Eucharistiam suscipientium, non in signo, sed re ac sui substantia ingreditur. Denique hom. 7. in lib. Numer. dicit: *Tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro Verbo Dei, & verè cibus, sicut ipse dicit, quia caro mea verè est cibus.* Injuriam legenti facerem, si vellem hæc explicare, adeo clara sunt, ut quęcumque hęreticorum opponatur explicatio, statim apparebit absurda.

196. Num. 169. tertio loco nos attulimus Cyprianum, sive quicumque sit author sermonis de Cœna Domini, nunc vero Cyprianum contra nos esse, ex sequentibus apparere, adversarii fidei nostræ sibi persuadent. Plura porrò congerunt ex eodem sermone, quæ ad hæc revocantur. 1. Veracissimum ejus ac sanctissimum corpus creari, & sanctificari, & benedici, ac pie sumentibus dividi. 2. Non dentes ad mordendum acuendos esse, sed fide sincera panem sanctum frangendum. 3. Filium esse Patri consubstantialem, ipsius verò conjunctionem substantias non unire. 4. Comestionem carnis Christi esse quamdam aviditatem manendi in ipso, quod explicat dicens, hoc animæ esse fidem, quod est esca carni. Alia verò desumunt ex ejusdem sermone de unctione Chrismatis, sed inania; cum ibi afferatur discrimen inter corpus, quod Judæis tradidit Christus vulnerandum, & inter corpus, quod tradidit Apostolis sumendum, neque collocari debet in corporis substantia, quæ eadem fuit, sed tantùm in modo; quia militibus traditum fuit absolute & visibili modo passionibus obnoxio; Apostolis verò,

tan-

tantum modo sacramentali, ac sub alienarum velamine specierum. Itaque ex epist.3. ad Cæcilium, ubi inter alia dicit, per aquam populum intelligi, per vinum ostendi Christi sanguinem.

Ex hisce omnibus sic argumentum conficitur. Corpus Christi in Eucharistia creatur, sanctificatur, benedicitur, dividitur, non dentibus, sed fide panis ille frangitur; nostris corporibus substantia non unitur, sed hæc vera non sunt de corpore vero, siquidem hoc creari, sanctificari, benedici non potest, non fide, sed dentibus atteri posset, & sui substantia uniretur; ergo per Cyprianum non est in Eucharistia corpus Christi verum; præsertim quia fide tantùm manducetur, ac desiderio. Rursus. Sicut per vinum ostenditur sanguis Christi, ita per aquam ostenditur populus; sed populus non ostenditur per aquam nisi figuratè, & juxta puram significationem; ergo etiam per vinum non ostenditur sanguis Christi, nisi figuratè &c.

197. Decipiuntur certè, seu potius decipere volunt, qui hæc de Cypriano sibi persuadent; & quantum ad primum, adnotare debuissent verbum illud, *veracissimum* quod certè non esset, si tantùm esset in figura; In eo sensu dicit Cyprianus, corpus Christi creari, sanctificari, benedici &c., quo in canone Missæ habetur, *Per quem omnia semper nobis bona creas, sanctificas, benedicis, & præstas nobis*. Quæ verba referuntur tantùm ad panem & vinum, ex quibus fieri dicitur corpus Christi, & sanguis, utcumque fiat, de qua re modo non disputamus; Quantum ad secundum; fatemur, dentes non esse acuendos ad Christi corpus manducandum, non enim in Eucharistia est extenso modo, & tanquam caro scindenda, ac dilanianda, de quo puncto alibi dicendum continget. Ad tertium; excluditur illa unio substantialis, quæ facta fuit in mysterio incarnationis, in quo in unitate personæ conjunctæ fuerunt duæ naturæ; adeo enim dementes non sumus, ut dicamus, ita corpus Christi substantia sua nobis uniri, ut nobiscum fiat una persona; sociamur quidem etiam corpore, attamen finis Eucharistiæ est, ut sociemur affectu & voluntate, & de hoc tantùm ibi loquitur Doctor, & in hoc sensu explicandus ad quartum, ubi differit de Eucharistiæ fructu, nequaquam de ea, ut est præcisè sacramentum. Ad ultimum; non ita spectat ad sacramentum aqua, sicuti vinum, sine illa sacramentum esset, sine hoc non esset; mirum igitur non sit, si per aquam tantùm significentur populi, per vinum verò non tantùm significetur sanguis, sed revera sit sanguis. Ex quibus habes, quid argumentis expositis respondeas.

198. Si veraciter velis Cypriani mentem agnoscere, legas illum in sermone 5. de lapsis. Hæc verba invenies. *Vis infertur corpori ejus, & sanguini: & plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cum Dominum necarunt.* Differit autem de illis, qui negato Christo sine debita poenitentia ad Eucharisticum sacramentum accedebant; Si autem ibi esset tantùm signum corporis Christi, profecto dictum illud hominis esset insani; legas illum in serm. de cœna Domini, ubi præter textum à nobis laudatum n.169. iste præclarissimus exhibetur. *Nova est hujus sacramenti doctrina, & Doctore Christo primùm hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani; cujus esum legis antiquæ auctoritas districtissimè interdicit; lex quippe esum sanguinis prohibet, evangelium præcipit, ut bibatur.* Porrò lex antiqua non prohibebat esum sanguinis figuratè sumpti, imò Hebræi hunc figuratè biberunt; igitur Cyprianus asserit sanguinem verum.

Relinquamus tandem alios quoscumque, quos inferiùs generatim explicabimus, & ad Sanctum Augustinum progrediamur. Pro quo.

ARTICULUS V.

Qualis in hac re fuerit Sancti Augustini sententia.

199. Distinctum locum Augustino tribuimus, non solum, quia Doctoris hujus plurimum sibi postulat authoritas, sed etiam, quia multa sunt, quæ dogma catholicum confirmant, & multa, quæ contra idem afferri posse videntur, & de quibus non mediocriter gloriantur Novatores; quos tamen nullis vel dementiæ, vel ignorantiæ, vel impietatis persequor notis, quia illos etiam ut fratres diligo, & quos ad Romanæ Ecclesiæ sinum adduci, si meo sanguine opus esset, exoptarem; De suis institutoribus nihil sperandum, jam supremi judicis sententia damnati sunt; Utinam eorum sectatores resipiscerent, agnoscerentque veritatem; Hoc minimè desperamus. Nostri suadente diabolo recesserunt à nobis, sui suadente Deo, cujus virtus infinitè major est, utinam recedant ab eis. De hoc satis.

200. Si in antecedentibus priùs ea recensuimus, quæ adversariis nostris favere videbantur; nunc ea priùs referemus, quæ veritatem nostram juxta mentem tam eximii Doctoris confirmare non mediocriter possunt. Hoc tamen ita intelligi volo, quod generatim dico, nempè, etsi Augustinus, vel quilibet alius Doctor contrarium doceret, nihil in me evinceret; cum Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ est columna veritatis vocem in omnibus audiam; & plerumque miratus sum, aliquos Theologos, si tamen Theologorum nomen promerentur, integras, easque longissimas dissertationes contexere, ut alicujus privati Doctoris sensus defendant; Quid hoc ad dogma Catholicum? Profers mihi Origenem, Tertullianum, Cyprianum, aliosque? Contrarii mihi sunt? Permittam; Si mihi Ecclesiæ consensus faveat, dixisti multa; conclusisti nihil, inanemque tuum laborem fateberis, si tamen Christianus es; Et si dicas; non Christiani munus te agere, sed Theologi, cujus est omnia investigare, verum dices; sed hujus vel alterius Doctoris mentem investigare, te non reddit Theologum, cum plures alios nequaquam investiges; & dum sensum habes Ecclesiæ, illumque tueris, jam communem habes Patrum sententiam; Quod, ut clariùs agnoscas, in mentem tuam revoces; à te aliquando concedi, hunc, vel illum Patrem interdum errasse, Sed etiam de hoc satis.

201. Ad rem nostram deveniendo, tot sunt Augustini testimonia, quibus vera Christi præsentia in Eucharistia declaratur, ut, etsi alia deessent momenta, hæc sola sufficerent; Ego tamen adeo in adversarios meos pronus sum, ut indulgere velim, ac plura dissimulare, quæ summopere causæ meæ patrocinio forent, non recusem; ac mihi satis erit ostendere, nequaquam pro Calvino stare Augustinum, ut jactavit Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 28., & Berengarius penes Guitmundum libro 2. omnes, præter Augustinum, respuebat.

202. Itaque, in primis lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 37., loquitur de agno Paschali, quod Judæi comedebant, ac de Paschate, quod comedunt Christiani, & sic de utroque dicit: *Aliud est Pascha, quod adhuc illi de ove celebrant, aliud autem, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Si autem de corpore & sanguine in figura sermo esset, planè dispar Paschatis ratio nulla esset, quia agnus Paschalis figura erat corporis Christi, & quidem magis apta, quàm panis.

Secundò; expendens illa verba psal. 33. *Et ferebatur in manibus suis.* Inquirit, quo pacto quis in suis manibus ferri possit, siquidem potest quicumque alienis manibus portari, manibus autem suis portatur nemo; respondet verò; Hoc quod in David legitur

gitur in littera non inveniri, sed inveniri in Christo; rationem subdit, dicens: *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum, ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Si hoc intelligere velit Calvinus, ut revera intelligit loco superius indicato, de Christi corpore in figura, planè Augustinum non intelligit; etenim proponit sibi dubium hoc Augustinus, tanquam difficillimum explicatu; At quod aliquis ferat sui ipsius figuram in manibus suis, res est facillima, & obvia; & si respondeat, rem obviam non esse sui figuram portare in sacramento, quia sacramenta à solo Deo institui possunt; dicam, hoc verum esse de sacramentis, prout sunt signa gratiæ, non prout sunt alicujus rei signum; & si instes, tunc futura fuisse duo corpora; unum, quod ferat; aliud quod feratur; quæstionem illam phylosophicam petis, in qua inquiritur, an idem corpus esse possit in duplici loco, pro qua consule vel aliorum, vel meam, si placet, phylosophiam; Omnipotentiam Dei in hoc mysterio fateri, primus est canon; si velis ita argumentari, nega Calvinista mysterium Trinitatis, quia eodem pacto, & forte difficiliùs asseres unam naturam esse non posse in tribus personis.

Tertiò. Tract. 11. in Joan. expendens illa verba: *Jesus autem non se credebat eis.* Inquit hoc verum fieri in Cathecumenis: *Si dixerimus*, ait, *Cathecumeno, credis in Christum? respondet, Credo, & signat se cruce Christi &c. Interrogemus; Manducas carnem filii hominis? nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei*; Hic velint, nolint Hæretici, frontem dimittant, necesse est; primò, quia si de comestione corporis Christi per fidem loquamur; hæc etiam Cathecumenis conceditur, sicuti Christi fides ipsis convenit; si de corpore Christi in figura fiat sermo, etiam Cathecumenis dabatur panis sanctus, qui dici poterat figura Christi, ut habemus ex eodem Augustino lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 26. & tandem non esset aliqua ratio, ob quam ipsis Eucharistia negaretur, cum non negentur aut verbum Dei scriptum, aut prædicatio, & alia hujusmodi, in quibus Christus in fide, & figura continetur.

Quartò. In sermone ad Neophytos nullum explicationibus etiam à veritate alienis locum relinquit; Sic enim loquitur: *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, hoc accipite in calice, quod manavit de Christi latere.* Aliud celebre testimonium habetur in ps. 98. ubi explicat illa verba: *Adorate scabellum pedum ejus*, & sibi proponens dubium, quomodo terra, quæ Isaiæ 66. dicitur scabellum pedum Dei, adoranda sit, se convertit ad Christum, & fatetur se invenire, quomodo illud dissolvat, quia caro Christi de terra sumpta est, & illa caro nobis manducanda exhibita est; Qui plura velit, adeat distinct. 2. de consecr. can. *Nos autem*, & can. *Hoc est, quod dicimus.*

203. Interim videamus quid ex Augustino nobis opponatur. Primum desumitur ex epist. 23. ad Bonifacium, ubi sic loquitur: *Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omninò sacramenta non essent: ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt: Sic ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est.* Atque etiam juxta hanc limitationem effatur, dum explicat illa verba à nobis relata: *Et ferebatur in manibus suis.* Dicit enim; *ipse se portabat quodammodo, cum diceret: Hoc est corpus meum.*

Argumentum hoc sibi non tribuant Calvinus & Petrus Martyr; fuit enim Berengarii, cui non unica responsione occurrerunt Paschasius in epist. ad Frudegardum, & Lanfrancus in libro contra Berengarium, nec non Guitmundus lib. 2.

lib.2. & Algerus lib.1. cap.5.de sacram. Eucharistiæ. Mihi tamen summopere placet, ita dixisse Augustinum; non quia negaret absolutè veram corporis, sanguinisque substantiam, sed solùm modo visibili & externo, quo inter homines vixit, & pro hominibus mortem subiit, atque ita explicabis secundum illius testimonium; dici etiam posset, sacramentum inadequatè juxta sententiam meam acceptum, idest secundum species, secundum quemdam modum corpus Christi esse, quia certè species non sunt corpus Christi; attamen corpus continent Christi. Miror tamen, quo pacto ex illis particulis, quæ limitativæ videntur, sic velint argumentari Novatores; cum revera quantum ad nos attinet, nihil limitent; Constat hoc ex alio Augustini testimonio in epistola ad Volusianum, quæ nunc est 137., ubi hæc habet. *Verbum Divinum voluit suscipere hominem, & cum illo quodammodo uniri*. Et in alia ad Hieron. 166. *Anima hominis est secundum quemdam modum immortalis*. Nunquid igitur dices, Verbum Divinum verè non esse unitum humanitati, aut animam hominis verè immortalem non esse? Non puto; aliter non Calvinianus eris, sed Nestorianus, & Epicureus.

Dices. Augustinus post illa verba inquit. *Ita sacramentum fidei est fides*. Atqui non est sacramentum fidei nisi signum fidei, & quidem absentis non præsentis; ergo etiam sacramentum corporis Christi non est nisi signum corporis Christi, & quidem non ibi existentis.

Sed contra. Comparationes, quas assumunt Patres, in omnibus tenere non debent; atque in re nostra intendit Augustinus tantùm ostendere, tam sacramentum Baptismi, quam sacramentum Eucharistiæ denominari à re, quam significant; & ita illud appellari sacramentum fidei, hoc sacramentum corporis Christi. Manifestum hoc fieri potest alia comparatione, quam idem præclarissimus Doctor lib.3.de peccat.meritis & remiss.cap.2. affert, inter transfusionem peccati originalis & inter fidem in parvulis, quæ si in omnibus usurpari deberet, sequeretur, quod sicut parvuli baptizati non habent fidem, nisi propter aliquid prius infusum, ex meritis solius Christi propter aliquid ipsis applicatum, ita neque haberent peccatum originale, nisi propter aliquid prius transmissum ex peccato Adæ propter aliquid exterius ipsis applicatum, quod minime.

204. Secundò, ut alia plura prætercam, quæ explicatu facillima sunt, ut constabit, duos alios textus producunt; Unus est in ps. 3. ubi ait: *Judam adhibuit ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendavit, & tradidit*. Alius contra Adim. Manichæum cap. 12. ubi inquit: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum; cum signum daret corporis sui*. Itaque ex Augustino Eucharistia est figura & signum, non autem verum ac reale Christi corpus. Hoc indicavit etiam Ambrosius lib.4. de sacram. cap.5. asserens. *Dicit Sacerdos, fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis, & sanguinis Domini*. Et lib.1. de Officiis. *Christus hic offertur in imagine, in cœlo in veritate*. Tandem ab aliis Patribus Eucharistia appellatur panis.

205. Resp. Augustinum interdum loquutum esse juxta sensum litteralem, & ita sermonem habuisse de substantia, ac mysterio hujus sacramenti; interdum vero juxta sensum mysticum, ut fideles recens baptizatos significationem spiritualem edoceret; iste autem sensus priorem non excludit, imò supponit; Dum in primo textu dixit, corporis, & sanguinis sui figuram commendasse, ac tradidisse, intelligendus est non de figura corporis sui realis sed mystici, idest Ecclesiæ, voluitque innuere, servandam esse inter fideles unionem cha-

charitatem, & pacem, cum sint unius corporis membra; ut se explicat tract. 26. in Matth., & in illud Pauli. *Unus panis, unum corpus sumus omnes.* Audiatur idem Augustinus in sermone ad recens baptizatos, qui sic loquitur. *Quod videtis panis est, & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem vobis fides vestra postulat instruenda, panis est corpus, calix sanguis Christi. Utique panis, qui convertatur, calix, qui mutetur, hoc postulat fides.* Clariùs verò ad rem nostram explicans, quid intelligendum sit per corpus Christi, sic effatur. *Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus; Vos estis corpus Christi, & membra &c. Nihil hic de nostro adferamus, ipsum Apostolum item audiamus: Cum ergo de isto sacramento loqueretur, ait; Unus panis, unum corpus multi sumus; Intelligite, & gaudete: Unitas, pietas, veritas charitas &c. Recolite enim, quia panis non fit de uno grano, sed de multis.* Ex quibus, quo pacto in sensu mystico & spiritali ibi loquutus sit Augustinus, si oculos habes, jam vides. Eodem modo intellige secundum testimonium; nisi dicere velis, loquutum esse, non ex sententia propria, sed ex Manichæorum, qui Christo corpus externum & verum non tribuebant; ut inde ex propriis eorum principiis illos obstringeret, ut plerumque in disputationibus fieri solet; Vel tandem innuit figuram & signum non nudum, & vacuum, sed conjunctum rei signatæ, sicut explicans illud Deuteronomii 12. *Sanguis eorum pro anima est*, docet, sanguinem dici animam, non quia sanguis sit anima; sed quia sit signum animæ, non absentis, sed præsentis. Ita in re nostra.

206. Pro Sancto Ambrosio ejusdem dicta concedere non metuas; nam certè panis in oblatione est figura corporis Christi, sed post consecrationem fit corpus Christi; ait enim: *Ante consecrationem panis est, ubi verba consecrationis accesserint, corpus est Christi;* quod quidem offertur hic in imagine, nempe invisibili modo, & tanquam pignus, æternæque symbolum gloriæ; è contra in cœlo detracto quovis velo conspicitur. Sed de Ambrosii mente ampliùs in sequenti, ubi de transubstantiatione.

207. Appellent autem Patres in aliquibus locis Eucharistiam panem, appellent calicem genimen vitis, sicut & appellavit ipse Christus, dicens, *Non bibam de hoc genimine vitis &c.* quid refert? Solent plures quaslibet res eorum nominibus nuncupare, ex quibus factæ sunt, vel quarum præferunt similitudinem; Sic serpens Moysis vocabatur virga, quia factus ex virga; & homo, qui de terra sumptus est, dicitur pulvis. Errant itaque Calvinistæ, non errant Patres, qui certè, si perversam hæreticorum interptetationem prævidissent, nullum in suis scriptis ambigendi reliquissent locum.

ARTICULUS VI.

Rejiciuntur argumenta petita à ratione.

208. Quod ex rationibus, effuso calamo describi posset, ad pauca revocabo; Quomodo, inquiunt, inveniri potest in Eucharistia substantiale corpus, quod nec palpatur, nec videtur; cum tamen ita esse deberet, teste Christo resurrectionem suam probante per hæc verba; *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habent?* Quomodo substantia corporea spirituali modo locum occupabit? eadem ratione spiritus ad præsentiæ corporeæ modum deprimi poterit; Quis capiet, idem corpus pluribus in locis esse, à se ipso dividi, contrariis affici qualitatibus; accidentia esse sine subjecto? Dicant Catholici, esse verum Christi corpus, sed inde dicant, dentibus atteri, posse à tineis corrodi, igne comburi, in hostia putrescere, per secessum emit-

emitti. Denique, concludunt, Christus post Eucharistiæ institutionem dixit; *Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam*; & intelligat unusquisque, illa verba, *Hoc est corpus meum* spiritualiter esse accipienda. Unde Augustinus tract. 25. in Joan. ait; *Ut quid ergo paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti*.

209. Quinam sunt isti, qui sermones involvunt imperitos, & cum divina omnipotentia audent contendere. Stultam fecit Deus sapientiam hujus Mundi. Tota ratio facti est potentia facientis; Non est impossibile apud Deum omne Verbum. Omne, quod palpatur, & videtur est corpus; non tamen omne, quod est corpus palpari debet, ac videri, nisi juxta exigentiam naturæ; neque oportet, corpus habere partes comparatas ad locum; nam, ut habetur ex scripturis, januis clausis ingressus est Jesus ad discipulos congregatos, & sine virginalis claustri detrimento natus est homo. Spiritus quidem præsentia corporea nequit existere, si enim partes non habet relatas ad se, multo minus habere potest relatas ad locum. Reliqua solvet Philosophia. Verùm, quod non capis, quod non vides, animosa firmet fides; Hæc est argumentum non apparentium, nec habet aliquod meritum, ubi ratio porrigit experimentum. Si Calvini rationes valerent, quomodo subsisterent alia mysteria? quomodo dici posset Trinitas personarum in unitate naturæ; quomodo duplicitas naturæ in unitate personæ? Quæ subduntur, valent de speciebus, non de Christi corpore sub ipsis existente. *Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam*. Nempe, si corpus Christi materialiter manducaretur sine spiritu. *Accedat enim*, ait ibidem Augustinus, *Spiritus ad carnem, & prodest plurimum, si enim non prodesset, Verbum caro non esset factum*. Quod vero laudatus Doctor dicat, fide manducandum esse, nec parandos dentes ac ventrem, ibi sermonem habet de fructu, qui ex carne Christi manducata percipitur, non enim satis est ore manducare, sed necessaria est fides, quæ per dilectionem operatur. *Aliud enim est sacramentum, aliud virtus sacramenti: Quam multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur?* ait tract. 26. in Joan. & clariùs ad rem nostram ibidem. *Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere: Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi; sed magis tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducat, & bibit &c.* Vides igitur, quo pacto Christi corpus & manducetur ore tantùm & simul etiam manducetur fide. Vel itaque hæretici cervices denique flectant, vel si adhuc nos deridere velint, sciant ex Augustino epist.49. quod in *Christum non crederemus, si fides Christianorum metueret cachinnos paganorum*.

ARTICULUS VII.

An in Eucharistia remaneat post consecrationem substantia panis, & vini.

210. ETsi in præcedentibus articulis actum sit contra Calvinum & Lutherum, non dum tamen controversia finem accepit; Insudavit diu Lutherus ad realem corporis Christi præsentiam destruendam; sed, ut ipse fatetur in epist. ad Argent. se captum vidit, nullam evadendi viam apertam esse, & Evangelii textum nimis perspicuum esse professus est. Alium tamen excogitavit errorem, quo Crhisti sponsam impuris atrisque dentibus dilaniaret, dicens inter alia, quæ hic non memoro, cum corpore Christi remanere sub-

substantiam panis, cum Christi sanguine substantiam vini. Hujus impietatis sectatores vocantur Panistæ. Hanc primùm docuit Berengarius teste Guitmundo lib. 1. & 3. quàm retractavit in Synodo Romana sub Gregorio VII. ann. 1079.

211. Quomodo autem substantia panis ac vini remaneret, non unus fuit explicandi modus. Quidam dixerunt, hoc ita fieri, sicuti natura humana assumpta à Divino Verbo suum proprium esse retinuit; atque ideo, sicut Verbum Divinum per incarnationem est homo, non destruendo vel mutando humanitatem, sed illam personaliter assumendo; ita corpus Christi in Eucharistia fit panis, non destruendo, vel mutando panem, sed panem assumendo: quem errorem Cardinal. Bellarminus tribuit Ruperto Abbati Tuitiensi. Quidam docuerunt, aliquam portionem panis converti in corpus Christi, aliquam non converti; primam quidem, quæ à dignis sumenda foret, secundam verò, quæ indignis esset distribuenda; arbitrabantur enim, corpus Domini à peccatoribus accipi omninò improbabile esse. Hos fatetur Guitmundus fuisse aliquos Berengarii adversarios. Apud S.Thom.3. par. quæst. 75. art. 6. aliqui docuerunt materiam panis mutari ac destrui, perseverare tamen formam; Durandus è contrario in 4. dist.11. quæst. 3. asseruit formam panis converti, perseverare materiam, eamque Christi anima informari, eo modo quo cibus convertitur in nostram carnem remanente ejus materia, quæ deperdita priori forma per animam informatur. Verum contra quoscumque.

212. Dicendum; esse dogma Fidei nihil remanere substantiæ panis, & vini; *Si quis enim dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, & vini unà cum corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, anathema sit*. Ait Trident. sess. 13. can. 12. Observes velim particulam illam *totius*.

Assertionem istam catholicam ex scripturis demonstrare plures contendunt; Quidquid tamen sit de hoc, invictè ostenditur Sanctorum Patrum traditione, quorum seriem leges apud Bellarminum & alios; Ego more meo paucis contentus ero; quamvis plures habebis, si ad eos quos attuli in antecedentibus mentem oculosque convertes. Modò sint Cyril. Hierosolym. catec. 4. Ambros. lib. de initian. cap. 9. Chrysost. hom. 83. in Matth. & August. serm. 28. de verbis Domini. Cyrill. sic ait *Aquam Christus aliquando mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit?... Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis..... Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat*. Ambrosius sic: *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de Cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? Et qui potuit ex nihilo facere quod non erat non potest ea quæ sunt in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas*; Chrys. sic. *Non sunt humanæ virtutis opera proposita: nos ministrorum locum tenemus, qui vero sanctificat ea, & immutat, ipse est*. Augustini denique verba sunt ista. *Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur, ubi verba Christi deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed Corpus appellatur*. Illustriorem locum ex lib. August. de corpore Domini affert Th. Valden. tom. 2. cap. 83. sic autem habet. *Nec credendum est, quod substantia panis vel vini remaneat, sed panis in corpus Christi, & vinum in sanguinem vertitur, solummodo qualitatibus remanentibus*.

213. His accedant Conciliorum statuta, quæ expono, quia Kennitius existimavit, hujusmodi transubstantiationem tantùm in Concilio Tridentino fuisse sub anathematis pœna definitam. Hoc falsum esse colligitur primò ex Concilio Romano sub Nicolao II. celebrato circa ann. 1060. in quo Berenga: verbis istis abjuravit. *Ego Berengarius anathematizo eam hæresim, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse.* Quam abjurationem clarioribus verbis innovavit in alio Conc. Romano sub Gregor. VII. ann. 1079. sic. *Ego Berengarius corde credo, & ore profiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in Altari, per Mysterium sacræ Orationis, & Verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram ac propriam, & vivificatricem carnem, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi.* Secundò colligitur ex Concil. Lateran. sub Innoc. III. ann. 1215. in cap. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur*; in quo exposita, præter alia spectantia ad creationem Mundi, ad incarnationem Verbi, & Ecclesiam, fuit nostra doctrina, & postea subduntur hæc verba. *Excommunicamus, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus hanc Sanctam, Orthodoxam, Catholicam Fidem &c.* Tertiò colligitur ex Concilio Romano generali anno 1414., in quo damnati sunt isti duo errores Wiclefi. *Primus erat: substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis manet in sacramento Altaris.* Secundus erat: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento.* Quod inde factum est anno sequenti à Concilio Constantiensi sess. 8. Denique in Concilio Florentino consentientibus ipsis græcis data fuit instructio pro Armenis, quæ est ista; *Substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur.* Videant igitur hostes nostri, an definitio Concilii Tridentini nova fuerit, & ex arbitrio tradita.

ARTICULUS VIII.

Refelluntur argumenta hæreticorum.

214. Plura sunt, quæ nobis ab hæreticis opponuntur, quæ tamen nostra non indigent consideratione, cum eadem ferme sint cum iis, quæ in antecedentibus rejecta sunt. Quare ad alia progrediemur.

Primum est, quod nos admittentes hanc transubstantiationem, novum nomen ac barbarum admittimus, quod nec in scripturis, nec in Patribus reperitur, & tantum in Concilio Lateran. 4. sub Innocentio III. ann. 1215. fuerit invectum.

Sed inanis prorsus ac ridicula objectio; Quid nostra interest nomina defendere, si quod per nomen explicatur antiquissimum est & à Patribus traditum. Fatemur, veteres Patres nomen hoc transubstantiationis expresse non usurpasse, nomina tamen æquivalentia adhibuerunt, qualia sunt, mutationis, conversionis &c. sed falsum est, ante Concilium Lateranense laudatum nomen hoc in Ecclesia non fuisse; Nunquid non habetur in professione fidei facta ab hæreticis Albigensibus anno 1178.? Nunquid non legitur apud Stephanum Eduensem Episcopum etiam ante illud tempus, nempè anno 950.? Simile argumentum proponebant etiam Ariani de voce *homousion*; attamen à Concilio Nicæno admissa fuit.

215. Secundum argumentum, quo potissimum gloriantur desumitur à Sanctis Patribus. Omnes autem non proferam, sed tres præcipuè, quibus totis viribus in nos contendunt, ad examen revocabo.

Pri-

Primus est Sanctus Joann. Chrysostomus in epist. ad Cæsarium Monachum; ubi sic effatur. *Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum corpus filii prædicamus, sic & hic divina insidente corpori natura, unum filium, unam personam utraque hæc fecerunt*. Quibus expositis sic argumentum conficitur. Ita per Chrysostomum manet natura panis cum corpore Christi in Eucharistia, sicut in incarnatione mansit natura humana cum natura divina; sed natura humana mansit integra in sui substantia; ergo etiam natura panis manet integra in sui substantia.

Responsio multorum est, verba ista nunquam fuisse Chrysostomi; momenta sunt, quia ante Petrum Martyrem nullus epistolam istam in medium produxit; quia stylus omninò alienus est à consueta dicendi ratione, qua utitur Chrysostomus; quia ibi impugnatur error Nestorii, qui fuit post Chrysostomum. Admisso tamen id à tanto Doctore dictum esse, nihil omnino Catholicis oppositum evinci potest; dico enim, Chrysostomum per naturam panis indicasse tantùm accidentia, & proprietates panis, non substantiam: atque hic fuit scopus, hoc ejusdem institutum; agebat enim contra sectam Polemianam, seu contra Sinusiastas; Porro isti docebant Verbum ab æterno carnem sibi habuisse coexistentem, omnis tamen materiæ expertem, & à divinitate indistinctam; in tempore verò assumpsisse formam tantum exteriorem, & humani corporis proprietates, quibus, prout sibi placuit, visus, passus, & mortuus est; denique post Christi ascensionem depositam fuisse illam formam externam, omnesque proprietates, & permansisse carnem sicut prius divinitati permixtam, & confusam; quo posito; Chrysostomi institutum postulabat, ut probaret remanere istas proprietates, quas ipsi negabant; quibus probatis, evincebat etiam naturam carnis non esse permixtam & confusam cum divinitate, cum ideo dicerent ita permixtam, & confusam, quia suis proprietatibus carebat.

Neque dicas, quod si Chrisostomus ex proprietatibus naturæ humanæ probat naturam humanam, etiam ex remanentia proprietatum panis probare naturam, seu substantiam panis: Siquidem illud probabat Chrysostomus, non quia argumentum suum ad probandum sufficiens esset; sed quia ex principiis Sinusiastarum id sequebatur, quod erat ipsius intentum. Cœterum exemplum Eucharistiæ non fuit assumptum ad probandam omni ex parte incarnationem, & adverte, eum dixisse, ex natura panis & Dominico corpore non fieri duo corpora, quod falsum esset, si substantia panis perseverasset.

216. Mirum autem esse non debet; si per naturam panis intelligi possunt panis accidentia; etenim apud veteres, imo apud omnes juxta vulgarem loquendi morem, pro natura alicujus rei sumuntur congeries, seu complexiones accidentium, & proprietatum. Ut aliorum exempla ac dicta prætermittam, perpendo quod idem Chrysostom. dixit de igne fornacis, nempe, *Dominum, quando vult, elementa omnia in contrariam mutare essentiam*. Nunquid rerum essentiæ mutari possunt? Minime, possunt tamen mutari operationes, & sic juxta loquendi modum mutatur essentia. Certè ignis natura in fornace remansit, quia tamen operatio comburendi non fuit, ignis non dicitur ignis.

217. Secundus ex Patribus est Theodoretus. In hoc duo intueor testimonia, quibus aliquid pro Novatoribus probari posse videtur ex dial. 2. Primum est, in quo dicit: *Visibilia symbola* cor-

corporis sui appellatione tantùm honorasse; non naturam mutando, sed naturæ gratiam addendo. Secundum est, in quo habet. *Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt à sua natura; Manent enim in priore substantia, & figura & forma, & videri tangique possunt, sicut prius*.

Resp. Si in hac re Theodoreti textus suspicionem aliquam non ingerit, loquitur quantùm ad apparentiam, & sensum, vel quantùm ad figuram, & formam, non quantùm ad substantiam intimam; nisi sumatur substantia pro virtute & rei qualitate. Si tamen rem magis perpendamus; In Theodoreti priori textu non invenitur illa particula *tantùm*, quo dato corruit argumentum, cum certum sit appellatione corporis sui panem honorasse; & dum legis, non naturam mutando, intellige naturam juxta explicationem superiùs allatam; huic autem naturæ addidit gratiam, quia vel addidit consecrationem, qua panis conversus est in corpus Christi; vel etiam addit gratiam substantialem, nempe Christum: quod clare indicavit in dial.1., ubi Evanisti, seu Eutichiano interroganti: *Credis, te corpus Christi & sanguinem percipere?* Respondet Orthodoxus; Ita credo. *Intelliguntur autem*, idest symbola, *ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur*.

Ad secundum, jam patet responsio explicando quid pro natura accipiendum sit, sicut quid pro substantia; quod statim declarat dicens, manere in eadem figura & forma, & videri, tangique posse, sicut priùs. Sunt tamen qui non legunt, in priore substantia, & figura & forma; sed, *in prioris substantiæ figura & forma*: Cæterum intentum Theodoreti erat illud quod Chrysostomi; contendebat enim contra Eutychianos quis asserebant naturam humanam mutatam fuisse in Divinam, idest remanere in Christo, sed confusam, & permixtam cum natura Divina; Quare eadem erit responsio.

218. Tertius sit Gelasius, qui in libro de duabus Christi naturis ait: *Sacramenta, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, Divina res est, & tamen esse non desinunt, substantia vel natura panis & vini*.

Verùm idem est argumentum ex comparatione inter Eucharistiam & Incarnationem; quæ tantum valet in aliquibus, non in omnibus; & eadem utimur responsione: Textum tamen illum esse Gelasii, negat Gennadius, quod si fuisset tanti Pontificis, illum procul dubio in sui erroris patrocinium Berengarius, ejusdemque discipuli protulissent; Adde, in dicto libro laudari Eusebium Cæsariensem, quem tamen velut Arianum damnavit Gelasius.

Alanus lib.1. de Eucharist.cap.35. & Valentia in Opusculo de transubstantiatione brevius se expediunt, dicendo, Chrysostomi, Theodoreti, & Gelasii auctoritates esse deferendas, quia nondum dogma de transubstantiatione definitum erat perspicuè. Ego vero, ut omnibus occurram, addo, Patres loqui vel de pane quoad accidentia, vel de pane, sumendo panem pro cibo, vel afferendo aliquas similitudines, quæ non debent in omnibus servari.

Plura alia opponunt apud Eminentissimum Bellarminum, quæ facillimæ solutionis sunt, si à nobis dicta considerentur, & apud ipsum omnia resoluta reperies.

219. Ad magis roborandam assertionem meam nullam rationem exposui, cum tamen plures à Scholasticis afferantur, & præcipua est illa S. Th., nimirum; Si non fieret conversio totius substantiæ panis in corpus Christi, verba ejusdem: *Hoc est corpus meum*, non essent vera, pronomen enim *hoc* sumitur substantivè, & absolutè, ita ut significet totum contentum; igitur si ea conversio non fieret &c. sicuti in crumena esset aurum & argentum, dicendo hoc est aurum, propositio non esset vera. Vim rationis hujus approbat Triden-

dentinum ſeſs.13. cap. 4. dicens: *Quoniam Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit; ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia fuit, idque nunc denuò hæc ſancta Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totius &c.* Quia tamen laudata ratio nondum definita eſt ab Eccleſia, & oppoſitum à pluribus ſuſtinetur, præſertim à Scotiſtis; ideo ſub initio illam non propoſui, cum contra Hæreticos res noſtra ageretur. Utrum autem ſubſiſtat, nunc oſtendam, & paucis quidem cum iis ſit inter Scholaſticos.

ARTICULUS IX.

An ex veritate verborum inferatur tranſubſtantiatio.

220. Concluſio eſt negativa cum Scoto in 4. diſ.11. qu.3.

Prob. Si corpus Chriſti eſſet ſub pane, adhuc eſſet vera propoſitio. *Hoc eſt corpus meum*; ergo ex veritate verborum non infertur tranſubſtantiatio. Prob. ant. Ut ſit vera illa propoſitio, ſatis eſt, ſi particula *Hoc* ſignificet totum contentum eſſe corpus Chriſti; ſed ſi eſſet ſub pane, particula *Hoc* ſignificaret totum contentum eſſe corpus Chriſti, quia non deberet etiam ſignificare ſubſtantiam panis, hæc enim eſſet continens; ergo.

Confirm. etiam admiſſo panem contineri ſub ſpeciebus, adhuc illa propoſitio eſt vera perſeverante ſubſtantia panis; prob. ſubſtantia corporis Chriſti ſignificati per pronomen *hoc* non excludit ſubſtantiam panis non ſignificati; ſicut accidentia corporis Chriſti ſignificati non excludunt accidentia panis non ſignificati; ergo.

221. Alia certè diſparitas afferri non poteſt, niſi quia pronomen *Hoc* ſignificat ſubſtantivè, adeoque debet ſignificare totam ſubſtantiam contentam.

Sed contra. Pronomen *Hoc* non tantùm ſignificat ſubſtantivè, ſed etiam ſignificat accidentia corporis Chriſti, nec tamen accidentia corporis Chriſti excludunt accidentia panis; ergo. Prob. Prima pars antec. Pronomen *hoc* ſignificat corpus Chriſti verum, habens tum ſubſtantiam, tum accidentia corporis; ergo ſignificat etiam accidentia; ſi enim quantitas panis eſt accidens panis, etiam quantitas corporis eſt accidens corporis. Et certè corpus, quod ponitur ex vi verborum, non eſt corpus utcumque, ſed corpus organicum, unico verbo, corpus Chriſti; Quod ſi dicerent poni quantitatem de concomitanti; contra eſſet, primò; quod de formali compenetratio partium corporis Chriſti non eſſet miraculoſa; 2. Quod ita ex vi verborum poneretur ſub hoſtia quantitas corporis, ſicut quantitas ſanguinis; 3. Poni de formali illud corpus quod habebat Chriſtus hoc ſacramentum inſtituens, dixit enim, corpus meum; corpus autem, quod habebat Chriſtus inſtituens, erat formaliter quantum; ergo.

222. Ita placuit aſſertum hoc Scoticum probare, nullam tamen Scotiſtarum rationem proponens; Atque juxta utramque probationem rejectum eſt argumentum propoſitum num.219., nam juxta primam ne. maj. ad prob. conc. ant. ne. conſ., nam panis non eſſet res contenta, ſed continens; juxta ſecundam ne. maj. ad prob. ne. ant. cum ſignificet etiam accidentia corporis Chriſti; & ſicuti, ſi crumena eſſet ſemiplena auro, & reliquum occuparet aer, verum eſſet dicere, hoc eſt aurum, nec tamen ſignificaretur aer; ita à pari. Exemplo adducto quid reſpondendum ſit, conſtat.

223. Magis urgere videntur verba Concilii, quibus tamen reſpondent Scotiſtæ, probari ex veritate verborum, ſuppoſita inſtitutione Chriſti, non verò ſi præciſè ſpectentur ſecundum ſe, converſionem totius ſubſtantiæ panis in cor-

corpus &c. sicut hæc verba, *Ego te baptizo* in sacramento Baptismi significant ablutionem animæ à peccatis, supposita Christi institutione, non secundum se.

ARTICULUS X.

De termino ad quem transubstantiationis.

224. PHilosophicam potius quam Theologicam propositam appellarem difficultatem; sed quia Theologorum ingenia in varias deduxit opiniones, ideo & à me, ut Scholarum sententiis satisfaciam, pertractabitur.

Contendunt aliqui, actionem transubstantiativam ita esse veram actionem substantialem, ut per se, & formaliter habeat pro termino corpus & sanguinem Christi; vel secundum se cum respectu ad substantiam panis, & vini; vel secundum unionem corporis Christi ad species sacramentales. Pro prima opinione sunt S.Th. 3.p.q.75.art.4. Cajet., Gonet., Joan. à S. Thom., Coninch., Cacheran. &c. Pro secunda Sotus & Ledesma.

Volunt alii, talem actionem non esse verè productivam, sed solummodo conservativam; ita ut corpus Christi alibi existens peculiari modo conservetur secundum idem suum esse substantiale sub speciebus. Ita præsertim Suarez.

Sustinent alii, neque appellari productivam, neque conservativam, sed adductivam, per quam terminus ad quem, & in re nostra corpus Christi fiat existens ubi desinit terminus à quo, nempe substantia panis. Ita Scot. in 4. dist. 11. qu.3. & præter Scotistas, plures Nominales, nec non Bellarminus. Nimium prolixus essem, si pro aliqua statuenda sententia vellem alias reprobare. Tertiam eligo, & antequam probem.

225. Adverto; ad conversionem supernaturalem requiri priùs, aliquid desinere, cum nequeat intelligi, unum in aliud converti, nisi quod convertitur deperdat esse, quod priùs erat. 2. Non requiri necessario, aliam rem, in quam convertitur, produci; sed sufficere, si jam existens est, ejus loco succedere, ita ut tamen sit connexio inter desitionem unius, & successionem alterius. 3. Tam terminum à quo, quàm terminum ad quem esse positivum, ut conversio supernaturalis distinguatur à creatione, ab annihilatione, & conversione naturali, in qua fit transitus à privatione formæ, seu à tali textura, si ita velint, ad formam, & aliam texturam. Cujus ratio est, quia in conversionibus supernaturalibus Deus non disponit materiam ad formam recipiendam, proinde neque ad expellendam privationem, tanquam terminum à quo transeat materia. Hisce prænotatis,

226. Prob. conclusio. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, neque mysteria nostræ fidei illis difficultatibus coarctanda, quæ juxta veram philosophiam solvi vix possunt; sed nulla est necessitas admittendi, aut corpus Christi produci, aut conservari specialiter sub speciebus, sed tantùm adduci; & si aliter diceretur, mysteria nostræ fidei dictis difficultatibus coarctarentur; ergo. Prob. prima pars min. Si aliqua est necessitas, ideo, quia conversio substantiæ panis in corpus Christi dicitur transubstantiatio, proinde est actio substantialis, quæ debet terminum substantialem habere; sed ex hoc nulla habetur necessitas: ergo. Prob. min. 1. Ut conversio dicatur substantialis, sufficit, si quod convertitur, sit substantia; ergo. Prob. maj. Ut corruptio dicatur substantialis, sufficit, si quod corrumpitur sit substantia; ergo à pari, conversio enim sequitur naturam corruptionis, quia quod convertitur, desinit esse. 2. Hæc conversio dici potest substantialis etiam propter terminum ad quem; & prob. per hujusmodi conversionem non fit præsentia corporis Christi, nam relationes non fiunt, sed resultant; sed fit, ut

ut corpus Christi succedat pani, proinde substantia transeat in substantiam; ergo potest dici substantialis etiam propter terminum ad quem. 3. Hæc conversio est substantialis saltem virtute, quia, quantum pertinet ad sui efficaciam, produceret substantiam, idest corpus Christi, si jam producta non esset; ergo.

227. Prob. secunda pars primæ minoris. Si corpus Christi produceretur &c. esset falsum illud primum principium, *Implicat, actum agi*. Corpus Christi produceretur, nec, ut inquiunt, poneretur extra causas; multiplicarentur actiones; una, per quam crearetur materia; alia, per quam anima; alia, per quam generarentur accidentia; Christus esset causa sui ipsius; imò produceretur ipsa divinitas, saltem de concomitanti; hæc autem juxta veram philosophiam servari non possunt; proinde &c.

228. Confirm. Ut sit vera forma consecrationis, non est necesse, producatur corpus Christi; ergo. Prob. ant. Ut sit vera forma consecrationis, sufficit, si corpus Christi se extendat ad occupandum locum, quem occupabat substantia panis; sed potest se extendere ad locum, quem occupabat substantia panis, quin producatur; ergo. Maj. patet, nam tunc verum erit dicere, *Hoc est corpus meum*. Prob. mi. Angelus existens in loco palmari, & anima existens in corpore, potest se extendere ad locum bipalmarem, & ad informandam novam partem corporis per nutritionem acquisitam, quin ille deserat locum, & hæc aliam partem, & quin in illo loco, vel in hac parte producatur; ergo à pari &c. consequenter &c.

229. Opp. 1. Actio, qua panis convertitur in Christi corpus, est actio substantialis; sed actio adductiva non est actio substantialis; ergo non convertitur per actionem adductivam. Prob. mi. Actio adductiva habet pro termino solùm materiali, & concomitanti substantiam; pro formali verò locum, seu præsentiam localem, ad quam substantia adducitur; ergo actio adductiva non est substantialis, sicuti non est dealbatio, licet respiciat concretum habens pro materiali substantiam.

Confirm. Si in actione transubstantiativa non produceretur corpus Christi, sed adduceretur, posset in consecratione calicis adverbii adinstar dici, *Hic est sanguis meus*, quia satis significaretur præsentia ejusdem localis; sed hoc non, ergo.

230. Resp. trans. indis. maj. dis. mi. non est actio substantialis ex parte termini producti trans. min. ex parte termini adducti, qui est terminus conversionis ne. mi. & cons. ita ad probat. Non debet confundi terminus adductionis cum termino conversionis; terminus adductionis est præsentia localis & de concomitanti tantùm corpus Christi, terminus verò conversionis est ipsum corpus Christi, quod ex vi actionis, per quam desinit panis, succedit in speciebus substantiæ panis; Unde conversio habetur per adductionem, attamen non est adductio, consequenter neque terminus adductionis est terminus conversionis. Addo; argumentum nihil probare in sententia admittentium, præsentiam localem consistere in complexo ex loco, & re existente in loco; sic enim illa præsentia est substantialis.

Ad confirm. ne. maj. ad prob. dis. ant. significaretur præsentia localis sanguinis Christi, qui non succederet substantiæ panis conc., qui succederet ne. ant. debet autem *hic* proferri substantivè ad significandum, tum substantiam sanguinis succedere substantiæ vini desinenti, tum contra hæreticos, ad innuendum, esse veram substantiam sanguinis, non purum signum, & figuram.

231. Opp. 2. Ut fiat conversio, non tantùm destrui debet præsentia localis termini à quo, sed etiam ipsa natura termini à quo; ergo non tantùm debet pro-

produci præsentia localis termini ad quem, sed ipsa substantia termini ad quem.

Confirm. Gratia significata in aliis sacramentis producitur; ergo etiam corpus Christi significatum in Eucharistia producitur.

Præterea. Servatur magis vera conversio substantiæ panis in substantiam corporis, si dicatur produci; ergo sic dici debet, & sicut in conversione in nuptiis Galileæ, vinum non fuit adductum, sed productum; ita in conversione Eucharistica corpus Christi non adducetur, sed producetur.

232. Resp. dist. ant. Si substantia termini à quo non sit alibi conc. si alibi sit, ne. ant. & eodem modo ad consequens; imo sic argumentor. Si substantia panis esset replicata, ut fieret conversio in aliud, non deberet destrui, ergo à pari.

Ad primam confirm. ne. conf. nam gratia, quæ in aliis sacramentis producitur, non præexistit; corpus autem Christi significatum in Eucharistia præexistit; & licet admitteretur, idem posse bis produci; attamen non est necesse hoc dicatur, ne multiplicentur entia sine necessitate.

Ad secundam confirm. dist. ant. quę conversio non est necessaria, & multiplicat miracula conc. quæ est necessaria ne. ant. Ad exemplum dico; vel vinum priùs existebat, vel non; Si priùs existebat, nego fuisse productum; si non existebat, habetur disparitas.

233. Opp. 3. Esse potest adductio alicujus novæ substantiæ, quin prior convertatur in aliam substantiam; ergo conversio substantiæ panis in Christi corpus per solam adductionem servari non potest. Præterea. Si corpus Christi non produceretur, sed adduceretur, esset in cœlo, & fieret præsens speciebus sine transitu per medium: sed hoc concipi non potest; ergo.

Resp. antecedens esse verum, si posita adductione non desinat substantia præcedens, falsum, si desinat; ut contingit in re nostra.

Ad secundum: adductionem istam non fieri per motum localem, sed per quamdam innominatam simplicem mutationem; si enim fieret per motum localem, deberet assignari terminus à quo: neque novum aliquod appareat, si dixi, per innominatam actionem; Agit hic Divina virtus, quomodo agat, ignoramus. Sed quo pacto possint existere res in uno loco, & transire ad alium sine transitu per medium docent qui in hac re nobis adversantur.

234. Opp. ultimo. Data nostra sententia Patrum loquutiones servari non possunt; Hieronymus enim in epist. ad Heliodorum inquit: *Sacerdotes Christi corpus sacro ore conficere*. Augustino & Gregorio tribuitur celebris illa sententia: *O magna dignitas Sacerdotum, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur*. Et S. Th. qu. 75. art. 8. ait: *Possumus verè & propriè dicere, quod ex non ente fit ens, & pane fit corpus Christi*; ergo sicuti, ut ex non ente fiat ens, debet ens verè produci, ita, ut ex pane fiat corpus Christi, debet hoc produci; ideo &c.

Resp. Sanctos Patres per emphasim, ac similitudinem quamdam loquutos esse, juxta id, quod docet S. Bonaventura in 4. dist. 11. qu. 6. dicens, *Verba aliqua exprimentia transitum illum panis in corpus Christi, esse propria, aliqua verò impropria, ut fieri, creari &c.* Conficitur igitur, incarnatur, quatenus per verba consecratoria fit præsens speciebus, & succedit substantiæ panis, vel conficitur, incarnatur virtualiter, idest conficeretur, incarnaretur, si non esset jam factum. Sancto Thomæ respondet S. Thomas dicens ibidem: *Secundum aliquam similitudinem aliquarum loquutionum possunt admitti, scilicet, quod panis fit corpus Christi, vel de pane fit corpus Christi, per hoc quod speciebus panis continetur, sub quibus priùs continetur substantia panis, & postea corpus*

corpus Chriſti, quibus verbis favet Doctor Angelicus ſententiæ noſtræ, cum aliud non innuatur, quàm deſitio ſubſtantiæ panis,& ſucceſſio corporis Chriſti. Cœterum verba ab adverſariis adducta fundamentum præbent ita diſcurrendi. Ex non ente ita fit ens, ut tamen non ens non convertatur in ens; ergo de pane ita fit corpus Chriſti, ut tamen panis non convertatur in corpus Chriſti, quod non eſt dicendum.

235. Quæres. Utrum ſubſtantia panis deſinat per annihilationem.

Reſp. utrumque ſuſtineri poſſe. Si enim per annihilationem rei nihil aliud intelligatur, quàm rem ita deſinere, ut nihil remaneat, quod illi erat intrinſecum, vel formæ, vel ſubjecti; certè ſubſtantia panis deſinit per annihilationem:Si autem ad hanc requiratur,quod nihil remaneat, neque accidentium neque convertatur in aliud, quod quidem magis propriè dicitur, ſubſtantia panis ita non deſinit. Hæc pars videtur magis certa, *Deus* enim ex Auguſtino in lib.83. quæſt. *non eſt cauſa tendendi in non eſſe*.

ARTICULUS XI.

An totus Chriſtus contineatur in hoc Sacramento & totus ſub qualibet ſpecie.

236. DIfficultatem hanc Lutherus & Melancton diſſimulant; Reliqui verò negant, totum Chriſtum in qualibet ſpecie inveniri, ſed corpus tantùm ſub ſpeciebus panis, & ſanguinem tantùm ſub ſpeciebus vini. Hanc paucis reſolutam exhibebo. Et dico: eſſe dogma fidei, totum Chriſtum eſſe in hoc ſacramento,& in qualibet ſpecie.

Prob. 1. authoritatibus: Joan. 4. *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, non eſt ex Deo, & hic eſt Antichriſtus*. Sed ſi Chriſtus non eſſet totus ſub qualibet ſpecie, jam Chriſtus ſolveretur; ergo. Ad Rom. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur*. Sed ſi eſſet tantùm corpus Chriſti ſub una ſpecie,Chriſtus moreretur; ergo. Omitto Concil. Conſtantien. ſeſs. 13. Florentinum in Armenorum inſtructione; Audiatur Trident. ſeſs.13. can.3. dicens. *Si quis negaverit, in Venerabili Euchariſtiæ ſacramento ſub unaquaque ſpecie totum Chriſtum contineri: anathema ſit*.

Prob. 2. ratione. Ubi ſunt duo, & manent inter ſe conjuncta, ubicumque eſt unum, eſt etiam aliud, dummodo ſint abſolutè conjuncta & non per reſpectum ad aliquod extrinſecum v. g. ad locum; ubicumque eſt minus, erit etiam majus, licet non ubicumque majus ibi & minus; ſed corpus, ſanguis, anima, perſona, divinitas Chriſti ſunt, & manent inter ſe conjuncta; ergo ubicumque eſt corpus, eſt etiam ſanguis cum anima &c. licet, non ubicumque eſt perſona,& divinitas Chriſti,ſit etiam corpus, quia illæ latiùs patent, & ſunt immenſæ.

237. Non tamen eodem modo totus Chriſtus in qualibet ſacramenti ſpecie reperitur, ſed ſub ſpeciebus panis invenitur corpus Chriſti formaliter, reliqua vero concomitanter, & ſub ſpeciebus vini ſanguis Chriſti formaliter, reliqua pariter concomitanter. Ratio eſt, quia ea ponuntur formaliter, quæ ſignificantur expreſsè, ſed per verba ſignificantur corpus & ſanguis; ergo. Ea verò ponuntur concomitanter, quæ connectuntur cum illis, quæ ponuntur formaliter; ideo &c.

Diverſitatem hanc peregregiè explicavit Trident. laudata ſeſs.cap.3.hæc habens. *Semper hæc fides in Eccleſia fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie ex vi verborum, ipſum verò corpus ſub ſpecie vini, animamque ſub utraque contineri vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur; divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum*

cum corpore, & sanguine hypostaticam unionem. Meritò propterea canit Ecclesia. *Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraque specie*.

Momenta, quæ opponi possunt facillimè solvuntur,

238. Quæres. An totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Quæsitum procedit ante divisionem; constat enim, Christum facta separatione sub qualibet parte contineri, ut expresse definivit Concil. Trident. sess. 13. can. 3. Negat Albert. in 4. dist. 13. art. 11. docens, Christum tantùm semel esse sub una hostia, post fractionem verò sub singulis partibus; sicut in speculo integro semel apparet res objecta, in fracto toties, quot sunt partes ejusdem.

Respondeo tamen cum communi sententia Doctorum, etiam ante separationem totum Christum reperiri in qualibet parte hostiæ.

Prob. Reperitur totus Christus in qualibet parte hostiæ post separationem; ergo etiam ante. Prob. conf. Non potest totus Christus reperiri virtute separationis; etenim corpus Christi non fit nisi per consecrationem, quæ non potest esse separatio: ergo si &c. & certè; indicata qualibet parte hostiæ consecratæ verè dici potest, hæc est Christus, seu continet Christum; ergo totus Christus continetur &c.

239. In hac re quænam repugnantia esse potest? eadem compenetratio, quæ sufficit, ut Christus existat in hostia integra, sufficit etiam, ut sit in qualibet parte. Habetur ex prima ratione disparitas pro exemplo adducto; nam vi fractionis speculi quælibet pars acquirit novam reflexionem, seu reverberationem specierum visualium, proinde illa fractio secum affert novum principium repræsentans; Non sic divisio hostiæ, nam ista neque applicat consecrationem, nec secum affert consecrationem.

240. Dices; ergo cum in hostia sint partes infinitæ, quia possunt in infinitum dividi, corpus Christi in qualibet hostia erit infinities.

Sed contra. Argumentum nullum est; nam tota anima est in toto corpore, & in qualibet parte corporis, nec tamen est infinities in corpore, licet partes corporis dividi possint in infinitum; Porro retorsio valet, cum corpus Christi existat in Eucharistia, sicut anima existit in corpore, intellige quoad modum, nam anima existit in corpore, tanquam forma corporis, non sic corpus est in speciebus, tanquam forma specierum. Si tamen velint, argumentum probare, dicam id omne de Christi corpore in sacramento dicendum, quod dici potest de quacumque hostiæ sensibili parte, sensibili inquam, aliter sacramentum non esset.

ARTICULUS XII.

Quomodo Christus in Eucharistia possit movere, & moveri, seu quid agere possit & pati.

241. PRosequimur difficultates illas, in quibus invito calamo immoror, easque tantùm propono, ne videar veteres prorsus deserere; si tamen harum rerum cognitionem brevem exhibemus, consulto peragimus, si verò diuturniorem præberemus, inutilibus detineremur, Igitur quod proposuimus perficiamus.

Motus alius est organicus, alius inorganicus; Unumquodque moveri potest vel per se, recipiendo motum in se ipso, vel in aliquo sibi conaturali; vel per accidens, recipiendo motum in aliquo sibi unito. His præsuppositis.

242. Dico 1, Christum in Eucharistia per motum organicum moveri non posse. Ratio clara est, quia motus hujusmodi exerceri non potest, nisi per organa expedita, suoque loco disposita, ita ut una pars sit extra aliam, & una per aliam moveatur; Christus autem in Eucharistia ita se non habet; ideo &c.

Di-

234. Dico 2. non repugnare, Christum sacramentaliter existentem moveri inorganicè, imò etiam movere alia corpora.

Ratio primæ partis est, quia motus inorganicus convenire potest corpori existenti eo modo, quo res spirituales existunt; sicut rei spirituali, qualis est anima rationalis separata, convenire potest; Christus autem existit, sicut res spiritualis; igitur ipsi motus inorganicus concedi potest: & sicut anima rationalis, & Angelus alia corpora movere possunt, ita corpus Christi; quę est ratio secundæ partis.

244. Dico 3. Corpus Christi ex accidente moveri. Illud enim hoc modo movetur, quod est intimè connexum cum eo, quod movetur per se; corpus autem Christi est intimè connexum cum eo, quod movetur per se, nimirum cum speciebus; ergo movetur ex accidente, & in hoc sensu dicitur deferri ad infirmos &c.

Si ita est, inquies; ergo etiam ex accidente corrumpetur, sicut corrumpitur id, cum quo est intimè connexum: si velis, per corruptionem intelligere desitionem existendi sacramentaliter; hoc concedo: si in sensu vero corruptionis, hoc nego; aliter, etiam anima, quæ motu corporis ab extrinseco adveniente movetur, ad corruptionem corporis corrumpetur.

245. Hæc de motu locali; Remanet inquirendum de motibus alterationis tam activis, quàm passivis.

Dico. Christum non posse vel efficere, vel pati motum alterationis, saltem in præsenti rerum ordine.

Prob. ratione superiùs exposita, quia corpus Christi existit modo elevato, & adinstar rerum spiritualium, unde qualitates in eo existentes nihil habent, quo tales motus vel producant, vel recipiant. Quod si Christus de facto potest desinere; hoc non provenit ex ipso corpore Christi, sed ex speciebus, sub quibus existit, quæ si corrumpuntur, cessat actio, qua Deus sub illis illud conservabat.

246. Si autem de actibus intelligendi & volendi sermo instituatur; sentiendum affirmative, actus enim isti sunt spirituales independentes à sensibus, nec in suo principio requirunt aliquam extensionem localem; & si isti conceduntur animæ separatæ, quare non concedentur Christo in sacramento existenti? Si verò de sensationibus fiat quęstio; negativè respondendum, cum ad istas requirantur sensus per organa dispositi & extensi, qui Christo sacramentaliter existenti non conveniunt.

ARTICULUS XIII.

An Christus in Sacramento possit videri.

247. MUltifariam exponi potest propositum dubium, cum visio conveniat intellectui, & oculo corporeo; & in utroque considerari potest facultas naturalis, vel illa, quam obedientialem appellamus. Quantum ad intellectum; jam compertum est, cognosci à Divino, & etiam à nostro per lumen fidei; De Angelico verò, & humano jam beatifico lumine perfuso pars affirmativa videtur magis consentanea rationi; Cum enim Eucharistia sit mysterium inter cætera difficillimum, & ex alia parte beatitudo sit satiativa fidelium, ut fidelium; rectè potest inferri, beatos se extendere ad videndum Christum in Eucharistia existentem.

248. Si autem sermo fiat de intellectu creato secundum suam naturalem virtutem, libentiùs sentio negativè; nec enim potest intellectus naturaliter cognoscere objectum, cujus naturaliter non habet species; at neque intellectus Angelicus habet species à Deo infusas circa modum, quo Christus existit in sacramento; cum istæ naturæ Angelicæ sint indebitæ; nec humanus habere potest

teſt acquiſitas, cum iſtæ ſe extendant tantùm ad res ſenſibiles, & diviſibiles etiam in ordine ad locum; ergo.

249. Solus itaque intellectus Chriſti poteſt ſe ipſum in Euchariſtia videre, cum hæc cognitio ad Chriſtum ſpectet, tanquam aliquid ſibi proprium etiam ſecundum mirabilem illum modum; & ſicut nos, licet alieni cordis ſecreta cognoſcere non poſſimus, noſtri tamen cognoſcimus, quia ſpectant ad nos; ita Chriſtus &c.

Magis dubitare poſſumus de corporis oculo, de quo ita ſenſerunt Richard., Durand., Suarez, & alii, ut neque per auxilium ſibi præſtitum à Divina virtute ad Chriſtum intuendum erigi poſſit; E' contrario Nominales talem illi vim conceſſerunt, ut etiam per naturam ſuam poſſit illum videre; quod ſi non contingit, eſt, quia Deus viſionem impedit propter myſterium, & fidei meritum.

250. Placet tamen magis ſententia media Scotiſtarum & Thomiſtarum aſſerentium, oculum corporeum poſſe ſupernaturaliter corpus Chriſti videre, quod quidem ſic aſſero, ut talis viſio pertingat etiam mirabilem illum modum, quo Chriſtus ſub ſpeciebus exiſtit.

Prob. prima pars. Corpus Chriſti ſub ſpeciebus continetur intra formalem rationem objecti viſibilis, licet non ſit objectum connaturale oculo corporeo; ergo ſupernaturaliter ab oculo corporeo videri poteſt: Prob. ant. Corpus Chriſti, quamvis non ſit extenſum & diviſibile, eſt tamen revera corpus quantitate, & colore affectum; ergo licet non ſit objectum connaturale oculo corporeo, attamen continetur intra &c. ſicut licet Deus non ſit objectum connaturale intellectui creato, attamen quia eſt objectum intelligibile ab intellectu ſupernis viribus videri poteſt.

251. Ex hoc etiam probatur ſecunda pars; nam modus, quo Chriſti corpus exiſtit ſpiritualiter, ac indiviſibiliter, non eſt extra objectum oculi; cum ex una parte ſit modus inextenſus quantùm ad locum, non verò quantum ad ſe, nempe cum partium pluralitate localem extenſionem exigentium; & ex alia, licet non ſit color, & lux, attamen eſt modus affixus objecto, quod luce ac colore afficitur; quod ſufficit, ut à facultate viſiva ſaltem per ſe ſecundo attingatur.

252. Breviter hic inquiram de apparitionibus miraculo contingentibus corporis, & ſanguinis; quæ quidem duplici modo evenire poſſunt; primo, ex immutatione facta in oculo videntis; ſecundo ex immutatione facta etiam in ſpeciebus affectis colore carnis, & ſanguinis. Quæritur, an illa caro ſit caro Chriſti; an ille puer ſit Chriſtus &c.

Reſpondeo generatim, illam non eſſe carnem, nec ſanguinem Chriſti; nam ſi contingit apparitio ex immutatione facta in oculo, datur tantùm in iſto ſpecies carnis, ſine ulla tamen deceptione, cum hæc referatur ad aliquid ſignificandum, ſcilicet Chriſtum in ſacramento reperiri. Si verò ex immutatione facta in ſpeciebus, dici debet, quid tertium ſubſtantiale productum eſſe; nam Chriſtus modo pati nequit, neque ejus ſanguis effunditur, & aliquando quod ſub ſpecie carnis, & ſanguinis apparuit, fuit ab Epiſcopis in pixide, vel corporali reſervatum; quod de carne, & ſanguine Chriſti ſub propria ſpecie nequaquam dici poſſe videtur. In talium autem apparitionum circumſtantia Sacerdos expectet, uſque dum ſacramentum propriam ſpeciem recipiat; & ſi ſemper permaneat, quod apparuit, iterum corpus & ſanguinem Domini conficiat, & ſumat, ut monet S. Th. q.82. art.4. ad 3.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Forma Consecratoria.

ARTICULUS I.

De forma primæ Consecrationis.

253. PLURA resolvenda sunt pro recta tituli explicatione, ac assertione; atque in primis examinanda est mens quorumdam Catholicorum; 2. agendum contra Græcos; 3. contra Hæreticos.

Sensit Innoc. III. lib. 4. de Mysteriis Altaris cap. 6., & postea cum eo Catharinus ex celebri Dominicana familia Theologus, inde à Paulo III. Episcopus Minorensis, & à Julio III. Archiepiscopus Compsæ constitutus; Christum per potestatem excellentiæ verbis nequaquam alligatam occulta benedictione consecrasse; deinde verba, quibus alii consecrarent, protulisse; atque in duobus à se scriptis opusculis nec non ad Concilium Tridentinum, cui per septem priores sessiones interfuerat, transmissis, nonnullos laudat hujusce assertionis patronos. Porro verba Innoc. III. sunt ista: *Dici potest, quod Christus virtute Divina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent; Ipse namque per se virtute propria benedixit; nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.* Alios suppresso nomine adducit S.Thom., dicentes, consecrationem priùs à Christo factam fuisse quibusdam verbis ignotis; deinde addidisse, *Hoc est corpus meum*, ut ostenderet, quod consecraverat; vel etiam bis verba protulisse; primò secretè ad consecrandum; secundo publicè ad instruendum.

254. Dicendum tamen est. Christum per ea verba publicè prolata consecrasse, per quæ nos consecramus.

Prob. Christus instituens Eucharistiam jussit à nobis faciendum, quod ipse fecit, & consecratio ab Ecclesia perficitur per ipsius imitationem; at si Christus non consecrasset per eadem verba publicè prolata, per quæ consecramus & nos, non faceremus, quod ipse fecit, nec consecratio perficeretur ab Ecclesia per Christi imitationem, quod etiam valet, si consecrasset per ignota, vel per bis prolata verba; igitur &c. Et certè, vel Christus consecravit ante publicam prolationem verborum, vel post. Si ante: Quare Sacri Evangelistæ in re tam gravi non describenda defecerunt? Si post; ergo illa verba non fuerunt vera; & idem valet, si ante.

255. Neque confundatur benedictio cum consecratione, ut optimè advertunt Sot., Suarez, & Coninch. vel si confunditur, sensus est, Christum, dum benediceret, frangeret, daret, etiam consecrasse; vel ut docet hic S.Th. Evangelistæ exposuerunt quidem rem, ut oportebat: non tamen ordinem, quo res peracta est: & de facto Marcus c.14. inquit, Christum accepisse calicem, discipulis dedisse, deinde dixisse, *Hic est sanguis meus.* Nec tamen priùs Apostoli biberunt, quam Christus consecraverit.

256. Rem tamen meam incunctanter declarat, & affirmat Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. ubi dicit. *Apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis, vinique benedictionem se suum corpus præbere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est; quæ ver-*

verba à Sanctis Evangelistis commemorata, à Divo Paulo postea repetita sunt. Quæ autem verba à Sanctis Evangelistis commemorata sunt, à Paulo repetita, nisi illa, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*? & observa particulas illas post panis, vinique benedictionem, esse prolatas.

258. Sed multo ante idem à Sanctis Patribus nobis demandatum accipimus, sive græcos perlagamus, sive latinos. Ex græcis primò sit Justinus, qui in secunda apologia pro Christianis ait: *Sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab co recepimus, consecratus est, & quo sanguis, carnesque nostræ communione aluntur Jesu Christi, ejus, qui homo factus est, carnem & sanguinem esse accepimus*. Consecravit igitur Christus per verba, & per ea, per quæ nos consecramus; quia consecravit per verba, quæ accepimus.

Secundo sit S. Joannes Chrysostomus, qui hom. 1. de proditione Judæ inquit. *Hoc verbum Christi*, scilicet, Hoc est corpus meum, *transformat ea, quæ proposita sunt*. Inde referens, quo pacto per illa verba, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram* collata est omni tempore naturæ virtus ad filios procreandos, subdit; *ita & vox hæc semel prolata in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus, & usque ad adventum ejus sacrificium perfectum efficit*.

Tertiò sit Joannes Damascenus lib. 4. de Fide cap. 13. exponens, Deum in principio dixisse, *Producat terra herbam virentem*, & terram Divino præcepto roboratam herbas produxisset, addit, *Dixit perinde Deus, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur*.

258. Ex latinis. Clarum est, quod inquit Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 40. alibi à nobis productum, nempe, *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus illum suum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum*. Clarum, quod habetur in authore sermonis de cœna Domini apud Cyprianum, qui loquens de Christo, inquit; *Hoc est* (ait Christus) *corpus meum. Manducaverunt & biberunt de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat*. Mitto Eusebium Emissenum, quamvis clariùs loquatur, dicit enim; *Dixit tunc per se, & modo per suos ministros, Hoc est corpus meum: & tanta est ejus verbi virtus & efficacia, ut statim fiat quod dicitur*. Mitto inquam, cum referatur à Gratiano dist. 2. de Consecr. canone *Quam corpus*.

259. Progrediamur ad Græcos; Ex istis docuerunt plures, præsertim Nicolaus Cabasila Thessalonicensis, Marcus Ephesinus, & Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus, consecrationem fieri per quasdam preces; ita ut corpus Christi non sit sub speciebus nisi post prolatam quamdam orationem, quam adhibere solet Ecclesia Græca, quæ est ista. *Mitte Spiritum Sanctum tuum super proposita dona, & panem faciat corpus Christi &c.* vel alia simillima.

His addendus est Theologus quidam Gallus ex Oratorii congregatione, nempe P. le Brun doctrina & eruditione insignis, qui existimavit, tam apud Latinos, quàm apud Græcos formam Eucharistiæ sitam esse etiam in precibus, quas Latini ante illa verba recitant, & Græci post.

260. Dicendum tamen, precibus sive antecedentibus sive subsequentibus hoc sacramentum non confici.

Enim verò quas preces adhibuit, vel præscripsit Christus? Porro sacramentum hoc conficitur, cum Christi nomine proferuntur verba, nulla autem alia, præter illa, *Hoc est corpus meum* Christi nomine proferuntur; proinde &c. Ratio autem est, quia sola ista verba significant, consequenter efficiunt

ciunt corpus, independenter à quacumque prece, & de facto in illis tantùm assignandis conveniunt omnes Evangelistæ, & Paulus 1. ad Corint. 11. referentes panis consecrationem à Christo fuisse peractam. Hoc idem definitum fuit in Concil. Florent. in litt. Unionis Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis; quod & affirmatum fuit omnium Græcorum nomine ab Archiepiscopo Nicæno, cujus nomen reticet Cardinalis Bessarion. qui acta Concilii refert, & à Mabillonio tomo 1. Musæi Italici proferuntur. Quod si in aliquibus liturgiis post illa verba. *Accipite & manducate*, *Hoc est corpus meum*, legitur: *Fac Domine panem istum corpus Christi tui* hæc deprecatio non est consecratio corporis Christi simpliciter, sed tantùm ut nobis fiat salutaris refectio; & ne quod ad vitam institutum est, fiat culpa nostra mortis occasio; ut confessi sunt ipsi Græci in laudato Concilio; & si unquam ex Sanctorum Patrum sententia posset contrarium afferri, loquuntur Patres de consecratione lato modo usurpata, hoc est pro toto canone. Verum de hisce liturgiis, Patrumque testimoniis infra sermonem habebimus.

261. Adversus hæreticos non est, cur aliquid proferamus; cum isti, ut dictum est in quæstionibus de sacramentis in genere, contendant, verba non esse consecratoria, sed concionatoria; & præterea juxta eos corpus & sanguis Christi non sint in sacramento, nisi in signo & figura.

262. Esset hic examinanda quædam alia opinio, quæ inter Doctores Catholicos versatur; nimirum, utrum ad essentiam formæ pertineant etiam illa verba, *Qui pridiè quam pateretur &c.* quod affirmare videtur Scot. in 4. dis. 8. q. 2., quia hæc propositio, *Hoc est corpus meum*, absolutè prolata significaret non corpus Christi, sed Sacerdotis proferentis. Verum, utrum hæc fuerit mens Subtilis Doctoris, quæstio est inter Scotistas: attamen nobilior eorum pars oppositum sustinet, ut videri potest apud Mastrium, & quidem juxta mentem Scoti ibidem art. 3. §. *Sic ergo breviter*. Atque omne dubium aufertur, si considerentur verba non prolata recitativè, sed enuntiativè, idest in persona Christi, & ut ab ipso Christo; quod sufficit ad significandum, ideoque ad efficiendum corpus Christi sub speciebus.

ARTICULUS II.

Rejiciuntur argumenta contra prædicta.

263. OPp. 1. contra primam assertionem. Quamvis ex Scriptura constet, Christum protulisse illa verba, *Hoc est corpus meum*, & per ista à nobis fiat consecratio; tamen ex Scriptura non constat, Christum per illa verba consecrasse; ergo aptè & sine ullo scrupulo dici potest, Christum per illa verba non consecrasse, per quæ à nobis fit consecratio.

Præterea; ex omnium Evangelistarum contextu habetur, Christum priùs benedixisse, gratias egisse, & dixisse postea, *Hoc est corpus meum*; illa autem benedictio procul dubio consecratio fuit; primo quia illa, utpote Christi, virtutem maximam habuit, & efficaciam; & sicuti sufficiens fuit una Christi benedictio, ut illi quinque panes in deserto multiplicarentur; ita sufficiens fuit, ut panis in Christi corpus mutaretur; secundò, quia aliter benedictionem explicare non possumus, nisi per illarum rerum sanctificationem, super quas effunditur; ita ut ab usu communi, & profano ad sacrum divinumque transferantur; sic igitur panis ille, quam Christus benedixit, conversus est per benedictionem in sacrum ac divinum; & hæc quidem est Apostoli doctrina 1. ad Cor. 10. dicentis, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?*

Rur-

Rursus. Si Christus non consecrasset, antequam dixisset, *Hoc est corpus meum*, hæc propositio fuisset falsa, quia ut sit vera, requiritur, non quod corpus Christi fiat, sed quod sit jam factum.

Tandem, si dicamus, consecrationem factam fuisse à Christo per verba præcedentia, effugimus omnes illas difficultates, quas movent hæretici circa significationem illius pronominis *Hoc*. Itaque &c.

264. Resp. ad 1. Quamvis hoc ex Scriptura non constet; attamen satis colligitur non solùm ex ratione, sed etiam doctrina Concilii Tridentini, & Patrum, quam protulimus.

Ad 2. Fatemur, Christum priùs benedixisse, ac egisse gratias; cui benedictioni etiam tantam vim & efficaciam tribuimus, ut si per eam Christus voluisset panem in sui corpus convertere, procul dubio convertisset; noluit tamen, quod juxta probationes nostras declaramus. Quid igitur illa benedictio effecit? supra panem & vinum Divinam opem ac virtutem invocavit, & quasi disposuit, ut per verba consecratoria statim futura fierent corpus & sanguis. Res explicari potest in celebri Lazari resuscitatione, quæ describitur Joan. 11. Christus elevatis oculis Patrem oravit, & gratias egit, nondum tamen Lazarum à mortuis excitavit; inde voce magna clamavit; *Lazare veni foras*, & statim revixit; Ita in re nostra. Christus panem benedixit, Patri gratias egit, nondum tamen mutavit in corpus; addidit, *Hoc est corpus meum*, & tunc mutatus est panis. Ex hoc ad aliam probationem; factus enim fuit panis ille sacer ac divinus, sicut quodcumque aliud, supra quod Christi benedictio effundebatur, non tamen in Christi corpus mutatus, nisi quodammodo præparatoriè ac dispositivè. Pro textu S. Pauli satis dixi num. 255. sumi nimirum benedictionem pro tota actione etiam præcedente consecrationem; & si valeret in sensu adversariorum, etiam contra ipsos probaret, cum & ipsi fateantur, à nobis per illa verba, *Hoc est corpus meum* fieri consecrationem.

Ad aliud; negatur major, neque enim rem factam significant, sed efficiunt dum significant, quia significando efficiunt. Quantum ad ultimum, non inficior, juxta illam opinionem faciliùs exponi verba Christi, ac præcludi omnes cavillationes, quas afferunt hæretici circa illa verba, *Hoc est corpus meum.* Verùm, quantùm possumus, facilitati consulere debemus, difficultatem tamen horrere non licet, si major facilitas veritati opponatur. Veritas autem desumenda est juxta rationem, Patres & Concilia; Quod verò hæretici pro illorum verborum explicatione reponunt, à nobis in proprio loco pertractatum, & rejectum est.

265. Opp. 2. contra secundam assertionem pro Græcis. Occurrunt autem primo loco plures Liturgiæ, quas promisimus afferendas num. 260. Istæ autem sunt S. Jacobi, S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, in quibus post prolata verba *Hoc est corpus meum*, invocatur Spiritus Sanctus, ut super proposita dona descendat, & faciat panem pretiosum Christi corpus, & post prolata verba, *Hoc est sanguis &c.* invocatur pariter, ut calicem efficiat pretiosum sanguinem Domini, & Salvatoris Jesu Christi. Atque in hac re clariùs etiam & expressiùs post Christi verba, *Hoc est corpus meum* addi hanc orationem. *Emitte super nos, & super hæc proposita dona consempiternum, & coæternalem Sanctum Spiritum tuum, quo panem & vinum hoc benedictum, corpus verò carne ipsa, & sanguinem re ipsa facias Domini nostri Salvatoris Jesu Christi, mutando illa per Spiritum Sanctum tuum.* Additur verò in liturgia. *Et demum perficitur corpus & sanguis Christi.* Quibus expositis facile & obvium est argumentum: Qui postulat, ut fiat corpus Christi, & mutetur panis, supponit, priùs non esse corpus Christi, nec

nec panem mutatum; atqui post verba, per quæ nos consecramus, & dicimus, consecrasse Christum, Græci, Sanctique Patres postulant, ut fiat corpus Christi, & ut mutetur panis: ergo.

266. Hisce omnibus occurrimus jam in nostra probatione num.260., atque ad quid dirigantur hujusmodi preces exposuimus. Meritò autem id à nobis dictum est; & primò id ostendit ipsorum Græcorum confessio; quia in ultima Concilii Florentini sessione interrogati ab Eugenio Summo Pontifice, cur adderent orationes illas, quibus postulari videtur, ut fiat corpus Christi; responderunt, se illas addere, non quia per Christi verba illud fieri dubitarent, sed ut ad populi ac fidelium fieret utilitatem; Noverant enim qnod ait Apost. 1. ad Corint. 11., indignè manducantem sibi judicium manducare; atque adduxerunt Latinorum exemplum, qui, antequam fiat consecratio, precantur, *ut fiat nobis corpus & sanguis*. Et post consecrationem iterum petunt, ut illa dona perferantur per manus Sancti Angeli in sublime Altare Dei. Hinc, quod aliqui legunt in dictis liturgiis. *Fac panem istum esse corpus Christi*, legunt alii, *Ostende panem istum corpus Christi &c.* & Cardinalis Bessarion in suo libro de verbis consecrationis asserit, mutatum esse ordinem illum liturgiarum, ita ut, quod postea legitur, priùs legendum esse arbitretur, quod quidem fit etiam in liturgia Romana, in qua ante consecrationem habentur ista verba. *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi &c.* atque eodem pacto reperiuntur omnia etiam apud S. Ambrosium lib.4. de Sacramentis cap. 5. Ambrosius autem Basilio fuit coævus. Alias responsiones invenies apud eundem Cardinalem Bessarionem, & Cardinalem Perronium lib. 2. de Eucharistia; atque juxta dicta explica etiam liturgiam Armenorum, quæ tamen typis edita Romæ ann.1677. fuit emendata, & antequam emendaretur, fuit an.1341. à Benedicto XII. inter alios Armenorum errores recensita, ut testatur Raynaldus ad ann.1341.

267. Opp.3. pro eadem Græcorum opinione, superiùs argumentum etiam confirmando Patrum testimoniis; & primò ex Patribus Græcis. S.Basilius post horum verborum prolationem. [*Hoc est corpus meum* panem appellat antitypa corporis, & post prolationem aliorum. *Hic est sanguis meus* vinum vocat antitypa sanguinis; ergo supponit per laudata verba non fieri consecrationem, seu mutationem panis in corpus & mutationem vini in sanguinem Christi: Basilii mentem explicavit postea Damascenus lib.4. de Fide cap.13., & priùs Epiphanius Diaconus in septima Synodo generali act.6.

268. Secundò idem demonstratur etiam juxta mentem Patrum Latinorum; quorum communis sententia est, Eucharistiam oratione, gratiarum actione, Dei invocatione, atque benedictione consecrari. Ex istis proferam duos, Hieronymum epist.101. ad Evagrium, seu Evangelum dicentem, *Ad quorum*, nempe Sacerdotum, *preces corpus Christi, sanguisque conficitur*. Et Augustinum tract.118. in Joan., ubi ait, sine crucis signo sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil fieri.

269. Resp. ita Basilium locutum esse, & appellasse panem & vinum antitypa corporis & sanguinis Christi, etiam post consecrationem & dicta verba. *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*; non quia panis non esset mutatus in corpus, & vinum mutatum in sanguinem, sed quia hic interdum est modus loquendi, ut res quæ jam facta est, tanquam facienda declaretur. Manifestum est hoc etiam in Evangelio; Cum mu-

lier illa sana jam esset à fluxu sanguinis tangendo fimbriam Christi Domini, dixit Christus Marci 5. *Fides tua te salvam fecit, vade in pace, & esto sana à plaga tua*; nec tamen tunc sana facta est, sed jam priùs erat. Luc. etiam septimo, Magdalenæ jam dimissa erant peccata, dum dixit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et tamen postea subdidit; *Dimittuntur tibi peccata tua*. Ita in re nostra, etiam post consecrationem, & sui mutationem dicuntur panis, & vinum antitypa corporis & sanguinis. Notum est etiam, quod Logici per ampliationem dicunt, nempe non quia sit, sed quia fuit; ut constat exemplis illis; *Cæci vident, claudi ambulant*. Non quia cæci & claudi sint, sed quia cæci & claudi fuerunt; Sic explicato Basilio, de Damasceno, ac septima generali Synodo ambigendum non superest.

270. Jam verò ad Patres Latinos, qui dicentes, Eucharistiam precibus, invocationibus, benedictionibus consecrari, optimo jure dixerunt; nonne enim plures preces & invocationes præmittuntur, quamvis virtutem consecrationis non habeant? nonne etiam in ipsis verbis, quæ nos consecratoria dicimus, continetur virtute & implicitè oratio & invocatio Divinæ virtutis, quæ est causa primaria tum sacramenti, tum sacramentalis effectus; & revera, etiam in forma baptismi, quæ per Latinos sita est in illis verbis, *Ego te baptizo &c.* continetur virtualiter oratio, & æquivalet formæ, qua utuntur Græci, *baptizetur servus Christi &c.* Præterea sicut superiùs præmonuimus, Patres aliquando sumunt consecrationem lato modo, idest pro omnibus iis, quæ continentur in canone; Quod de signo crucis dictum est, probat id esse necessarium ex Ecclesiæ institutione, nequaquam necessitate sacramenti.

ARTICULUS III.

De forma secundæ consecrationis.

271. Breviorem hanc quæstionem mihi ipsi perficiam, quam nonnihil plurimis datum esset absolvere, si juxta Thomistarum mentem rem habere placuisset; Dividuntur siquidem inter se, cum velint aliqui omnia illa verba; *Hic est calix sanguinis mei novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum* ad secundæ consecrationis essentiam pertinere. Ita Capreol., Palud., Sotus, Gonet. &c. aliqui è contra spectare tantùm ad integritatem, ita ut per illa sola verba, *Hic est calix sanguinis mei* habeatur verum, & perfectum sacramentum in sui essentia; ideo movetur inter ipsos dissidium, quid sentiendum sit de mente S. Thom. Mihi magis arridet quod concludo. Nimirum.

Illa verba, *novi & æterni testamenti* cum sequentibus ad essentiam secundæ consecrationis non spectare, in qua sententia præter plures Thomistas, sunt omnes Scotistæ, & communissimè Recentiores.

Prob. 1. ex liturgiis, quibus utuntur Græci, Æthiopes, & Maronitæ, ut videri potest apud Cardinalem de Lugo, & ut apud nos consuescunt; In istis non inveniuntur omnia illa verba; ergo non spectant ad essentiam; alioquin omnes errarent, nec sacrum Christi conficerent sanguinem.

272. Argumentum hoc magni certè momenti censendum est; ita ut Capisuchus cum reliquis Thomistis opposītum sustinentibus dixerit; non esse de essentia formæ ut sic, & in quacumque Ecclesia; esse tamen de essentia formæ in Ecclesia Latina. Sed quid hocce effugium prodest? ergo Ecclesia poterit stabilire formam sacramentorum; probat tantùm per omnia verba licitè consecrari, non verò omnia ad valorem requi-

quiri, & esse quidem necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici, non tamen sacramenti; sicut licet in Ecclesia Latina materia secundæ consecrationis sit vinum aqua permixtum, & primæ panis azymus, non probatur, mixtionem aquæ vel panem azymum ad essentiam sacramenti pertinere.

273. Prob. 2. quia in assignandis prædictis verbis nulla apud Evangelistas, & Sanctum Paulum convenientia servatur; & in primis illa *æterni, mysterium fidei* nullibi reperiuntur, sicut & alia *in remissionem peccatorum*. Matth. & Marcus dicunt tantum *pro multis*, Lucas, *pro vobis*. Ergo quare assignanda sunt tanquam essentialia in secunda consecratione? Habetur ne hoc ex verbo Dei tradito? Sed unde hoc colligitur?

274. Prob. 3. ratione. Illa sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus* significant præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini; ergo hæc sola illam efficiunt; sed hic habetur verum sacramentum; ergo hæc sola pertinent ad essentiam sacramenti. Prob. ant. quamvis ex se satis manifestum; Illa sola verba, *Hoc est corpus meum* significant præsentiam corporis Christi sub speciebus panis; ergo etiam illa sola verba: *Hic est calix sanguinis mei* significant præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini; & sicuti in prima consecratione non est necesse proferantur illa verba, *quod pro vobis tradetur*, ita in secunda non est necesse proferantur ista, *qui pro vobis effundetur* & sicuti Concilium Tridentinum ex quo Christus dixerit esse corpus suum, infert transubstantiationem panis in corpus; ita ex quo dixerit esse sanguinem suum, debemus inferre transubstantiationem vini in sanguinem.

275. Dices; Disparitatem esse, quia in Eucharistia, utpote sacrificio & memoria passionis Christi, exponi debet sanguinis effusio, in qua ratio sacrificii potissimum consistit; Unde quamvis transmitteretur, hæc non requiri ad Eucharistiam, ut sacramentum est; attamen ad istam saltem ut sacrificium exiguntur.

Sed contra. Jam retorsio manifesta est, quia ad passionem & sacrificium non minus requiritur traditio corporis, quam sanguinis effusio; nec tamen verba, quibus corporis traditio exprimitur, spectant ad essentiam; & si dicant, ut revera dicunt, corpus tantùm esse subjectum passionis, non verò in ipso formaliter passionem consistere; disparitas afferatur; Si Christus mortuus esset inter flagella sine sanguinis effusione, nonne adhuc esset formaliter passus? Secundò dico; quod, cum corpus Christi formaliter ex vi verborum ponatur sub speciebus panis, non sanguis; & sanguis sub speciebus vini, non corpus, jam satis innuitur ratio sacrificii, & memoria passionis, quia sic explicatur separatio sanguinis à corpore, & per consequens effusio.

276. Oppones plura. Ecclesia Latina proponit illa verba, tanquam spectantia ad essentiam formæ; igitur spectant; ant. multifariam probatur 1. Innoc. III. cap. *Cum Marthæ* in fine §. *Quæsivisti, quæ sit forma* respondet. *Credimus, quod forma verborum, sicuti in canone reperitur &c.* quo textu omnia verba appellantur absolutè forma, & omnia in canone æqualibus caracteribus imprimuntur. Hoc idem traditum fuit in Concil. Florentino, vocante omnia verba formam sine aliquo addito, & ulla distinctione, & in alio decreto Eugenius inquit, esse verba Salvatoris, quorum virtute substantia panis, & substantia vini in sanguinem convertuntur. 3. Hoc confirmat Cathechismus Romanus; & Pius V. in editione operum S. Th. deleri jussit commentaria Cardinalis Cajetani in tres articulos S. Th. præsentis quæstionis, in quibus Cajetanus oppositam docebat sententiam. 4. Id etiam ostenditur ex ritu Ecclesiæ, & ex rubricis Missalis

Romani; nam omnia illa verba æquali modo proferuntur, nec calix à Sacerdote adoratur, vel adorandus exhibetur, nisi prolatis omnibus verbis; imò, si quis certò sciret, vel rationabiliter dubitaret, se verbum aliquod omisisse, formam ex integro resumere debet; & si Sacerdos obiret semiprolata forma sanguinis, alter Sacerdos prosequi deberet Missam, & super calicem repetere integram formam ab iis verbis. *Simili modo*, *postquam cœnatum est*: ex quibus liquet, omnia illa verba spectare ad essentiam formæ.

277. Resp.ne.ant.ad prob. Si quid concluderetur, etiam particula *enim* esset de essentia, uti compertum erit rationes nobis oppositas perpendenti. Si itaque appellantur illa verba forma, appellantur eo modo, quo vinum aqua mixtum dicitur materia,hoc est,debent omnia illo modo proferri, quia præceptum est Ecclesiasticum, sicut tali præcepto miscetur aqua; & falsum est, omnia verba esse operativa, sed illa tantùm, quibus significatur sanguis, sicut in prima consecratione illa tantùm, quibus significatur corpus.Quod Pius V. illud approbaverit, vel jusserit, parùm refert; vel ille erat in opposita sententia, vel, quod verosimiliùs est, illi, quibus talis cura commissa fuit; Quod ultimò additur, verum est; sed nego, illa verba esse verba formæ; & si dictum probaret, sequeretur, etiam illa verba *Simili modo &c.* ad essentiam formæ spectare, cum debeant & illa repeti; Repetuntur ergo propter connexionem, quæ reperitur in verbis, non quia æquali modo omnia pertineant ad formam.

ARTICULUS IV.

Quomodo verba Consecrationis proferantur.

278. VErba proferri possunt duplici modo, idest recitativè, seu historicè referendo quod est ab alio dictum, nec affirmando, nec negando rem ita esse; & enunciativè seu significative affirmando vel negando id, quod verba ex sua significatione affirmant, vel negant. Sic potest aliquis referre blasphemiam ab alio dictam, & ita non est blasphemus, & affirmare potest quod affirmant verba, & ità à blasphemia non liberatur.

Dico. Verba consecrationis proferri tum recitativè, tum significativè; quæ sententia communis est juxta Sanctum Thomam, & Scotum contra aliquos docentes, proferenda esse tantùm recitativè, & contra aliquos asserentes, debere proferri tantùm significativè.

Primam partem suadeo; quia servari debet connexio inter verba consecrationis & præcedentia; non servaretur autem nisi recitativè proferrentur; quia præcedentia verba recitativè tantùm proferuntur, cum in ipsis describatur factum Christi, & adhibeantur verba illa, *dicens*, *dixit*; ergo.

Secundam partem ostendo, quia, ut fiat consecratio debent verba consecratoria applicari materiæ præsenti; ut enim ait S. Augustinus, *accedit verbum ad elementum*, *& fit sacramentum*; at si non proferrentur significativè, non possent applicari materiæ præsenti; ergo. Prob.mi. Si verba consecratoria non proferantur significativè, recitatur tantùm quod Christus dixit supra materiam, quam manibus gerebat, quæ certe absens est; imò non est; ergo. Præterea. Verba consecratoria debent esse vera; debent igitur enunciativè proferri,cum prolatio recitativa abstrahat à veritate & falsitate, cum nec affirmet, nec neget.

Neque

279. Neque in hoc asserto admittitur aliqua contradictio, nimirum, quod proferantur cum veritate, & sine veritate, materialiter, & formaliter, in persona propria, & aliena; nam ista, quæ contradictoria videntur, per respectum ad diversa servantur; prolatio siquidem recitativa refertur ad locutionem, significativa ad objectum per locutionem affirmatum; & certè, videmus hoc multoties contingere, nam dicimus v. g. Scotus inquit, corpus in Eucharistia non produci, sed adduci, & eidem adhæremus. Adverto tamen, verba consecratoria, ut consecratoria proferri significativè, specificativè verò, ut verba, utroque modo.

Collige, prolationem significativam esse necessariam necessitate sacramenti; recitativam verò præcepti, cum connexio illa inter verba servanda ab Ecclesia præcipiatur.

280. Quæres; quando verba consecrationis sit vera, & qua veritate causent.

Respondent cum S. Thom. & Scoto communiter Theologi, esse vera in fine prolationis; scilicet post immediatam ultimæ sylabæ prolationem.

Ratio est, quia verba consecrationis sunt vera, quando existit objectum per ista, & in ipsis affirmatum; atqui in fine prolationis existit objectum per ipsa, & in ipsis affirmatum ergò. Maj. patet; nam ex eo, quod res est, vel non est, propositio vera vel falsa est; prob. mi. Objectum affirmatum est corpus Christi sub speciebus; sed corpus Christi non existit sub speciebus nisi in fine prolationis; ergo.

281. Quantùm ad secundum, adnoto, duplicem esse veritatem, unam formalem & speculativam, aliam radicalem & practicam, habetur prima propter actum conformem objecto, habetur secunda propter exigentiam, quam habet propositio ponendi objectum, quod affirmat. Unde speculativa præsupponit objectum, practica præsupponitur objecto. His præmissis.

Respond. causare ut vera veritate practica.

In primis causant ut vera; Nam Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. infert præsentiam corporis Christi sub speciebus, ex quo Christus suum corpus ibi esse dixerit; hæc autem illatio nulla esset, si verba non causarent, ut vera; Ex alia parte efficiunt objectum suum, scilicet corpus & sanguinem, neque illud sub speciebus præsupponunt; ergo causant ut vera veritate practica; Dum autem pluries legis verbum efficere, intellige in sensu à nobis propugnato, nimirum pro adducere.

QUÆSTIO VI.

De Ministro, & subjecto sacramenti Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

Quinam sit Minister pro sacramento Eucharistiæ conficiendo.

282. CUM peculiare sit sacramenti Eucharistici, consistere in re permanente, fit, ut ab uno possit confici, quin dispensetur, & ab aliquo possit dispensari, quin ab eo conficiatur. Hinc primo loco inquirendum occurrit de Ministro, ad quem illud conficere spectet, deinde inquiremus de alio, qui illud possit cæteris distribuere.

Ea in re tam priscis, quam recentioribus temporibus plures errores effusi sunt. Equidem de priscis temporibus loquendo, suspicari licet vivente Tertulliano id contigisse, ut maxima confusio fieret in hierarchicarum functionum Ministris, nec inter laicos, & Ministros ordo aliquis servaretur; sed unus hodie esset Episcopus, alius cras, qui heri Diaconus, hodiè lector, & qui hodiè Presbyter, cras laicus, & vice versa, ut testatur laudatus Doctor in lib. de præscriptionibus, & alibi nos prænotavimus. Irenæus etiam lib. 1. cap. 9. adversus hæreses quosdam Marchitas commemorat sic dictos à Marco, qui mulieribus dabant calices, ut seductæ Eucharistiam facerent, quod de Pepuzianis, & Collorydianis refert quoque Epiphan. hæresi 49. & 79. dicens de primis mulieres Episcoporum, ac Presbyterorum munia obire, de secundis verò, Mulieres in Mariæ honorem panem offerre, sicut & nos alibi diximus. Verum, ut indicavi, suspicari licet, nam utrum hoc ad munus Eucharistiam consecrandi referri possit, certò nobis non constat; cum ea omnia, tanquam vera, servari possint; quin tamen hoc concludatur.

283. Error iste initium sumpsit saltem à Wiclefo, si credamus Valdensi Tomo 2. de sacramentis cap. 28. docuit enim ille, consecrandi munus Sacerdotibus sanctis convenire, sed neque laicis id esse negandum, dummodo essent viri probatæ virtutis; imò existimavit, Sacerdotem improbum nullo pacto Eucharistiam conficere; quod quam falsum sit, in nostro quinto Tomo declaravimus. Turpius etiam errarunt Lutherani, arbitrantes, nullum esse discrimen inter laicos baptizatos, & eos, quos nos Sacerdotes dicimus, sed omnes baptismate suscepto habere eamdem facultatem, quamvis non omnibus concedendum esse facultatis exercitium; sicut à nobis pariter in Tomo quinto dictum fuit, nec hic plura pro hoc puncto dicemus, ne eadem repetamus.

284. Veritas Catholica est; solos Sacerdotes, idest illos solos, quibus peculiaris Sacerdotalis ordinatio data est, esse posse Ministros conficientes Eucharistiam. Suadent autem hanc assertionem illa verba, quæ postquam panem & calicem consecravit, protulit Christus, *hoc facite in meam commemorationem*, quæ dicta fuerunt solis Apostolis, atque in horum persona Episcopis, & Sacerdotibus; si enim ad omnes essent referenda, non solùm omnes possent consecrare, sed etiam omnes ad consecrandum tenerentur; sicuti

quia

quia omnibus datum est præceptum manducandi, omnes tenentur ad manducandum; Illud autem nec quidem affirmant hæretici.

285. Affirmant tamen, illa verba, *hoc facite in meam commemorationem*, ad actionem manducandi & bibendi esse referenda, cum 1. ad Corinth. 11. dicat Paulus. *Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*. Verum considerare deberent; ista verba dicta esse, cum præceptum consecrandi expositum est, & cum impositum est præceptum sumendi; atque ideo non omnia omnibus, sed singula singulis data sunt; & quamvis omnes qui consecrant, debeant sumere; non tamen omnes, qui sumunt, debent aut possunt consecrare: atque ut paucis id resolvam; illa verba referuntur ad actionem consecrandi, & sumendi; at actio, qua sumitur, supponit actionem, qua Eucharistia conficitur.

286. Si verò ex istis satis evincentem rationem afferre non possemus, traditionem proponimus, quæ totam dirimat litem; Hæc procul dubio perpetua fuit in Ecclesia, ut inquit Concilium Tridentinum, quod postremo afferemus; Incipiamus à Dionysio de Ecclesiastica hierarch. par. 1. cap. 5. & juxta Perronium cap. 8. iste de Ministro pro conficienda Eucharistia sic habet; *Quin ne Sacerdos ipse erit, nisi Pontificis officiis ac perfectionibus ad id delectus fuerit*. Quæ verba significant, non quemlibet Sacerdotem id validè conficere non posse, sed vel non posse licite, si Pontifex contradixerit, seu suspenderit; vel neminem esse Sacerdotem, nisi Pontifex eum in talem ordinaverit. Prosequamur ex Justino, qui apol. 2. pro Christianis ait, Episcopum, vel Presbyterum, qui fratribus, scilicet Christianis præest, offerre Eucharistiam. Finem imponeremus ex Tertulliano lib. de præscriptio: cap. 41. ubi irridet eos, qui modo sunt Sacerdotes, modo laici; quia laicis Sacerdotalia munera committebantur, ut dictum est supra; quod certè fit à nostrorum temporum hæreticis, apud quos, sic disponente Magistratu, qui laici sunt, Sacerdotalibus officiis deputantur. Dixi, *finem imponeremus ex Tertulliano*. Sed finem imponi prohibent alii Patres. Prohibet Cyprianus, qui disputans adversus Stephanum lib. 1. epist. 2. & 9. inquit, apud hæreticos, nec esse baptismum, nec Oleum Sanctum, nec Eucharistiam, quia nec Ecclesiam, nec Altare, nec Sacerdotes habent, & quamvis in hac re errasset Doctor iste; attamen supponebat, Eucharistiam conficere ad solos Sacerdotes pertinere. Prohibet S. Epiphanius, qui ideo in Monasterio S. Hieronymi Diaconum in Sacerdotem ordinaverat, ne fratres ibi degentes sacris mysteriis, ac sacramentis privarentur; ut ipse testatur in epist. ad Joan. Hierosolymit. Prohibet S. Hieronym. pluribus in locis, sed præsertim in epist. ad Evagrium, seu Evangelum 85. dicens, ut Diaconos reprimat; *Quis patiatur, ut supra eos se tumidus Diaconus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur?* Prohibet Augustinus, qui epist. 228. ad Honoratum inquit, persecutionum, ac publicæ calamitatis causa non debere Clericos populum deserere, ne deficiant, qui sacramenta ministrent; hoc autem in hæreticorum opinione inane foret: Prohibet tandem, ne infinitus sim, Ambrosius, qui, ut scribit Theodoretus lib. 5. hist. cap. 17. dixit Theodosio; *Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes*: Hac de re, ut refert Sulpitius in vita Sancti Martini, hic in convivio Præsbyterum suum anteposuit Imperatori.

287. Patres istos adduximus, nulla tamen cogebat necessitas; cum, si Concilia afferamus, simul producamus & Patres. Aliud autem non docent Concilium Nicænum 1. can. 18. Arelatense 1. Ancyranum, Laodicenum, quorum verba prætereo; omittere tamen

men non possum ea, quæ habentur in Lateranensi sub Innoc. III. in Florentino, in Tridentino. Primum sic habet: *Hoc itaque sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque Successoribus Jesus Christus*. Secundum in decreto sic: *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum*. Tertium sess.22. cap.1. sic: *Is igitur Deus & Dominus noster .... Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba; Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit* & can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis; Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, anathema sit*. Ex quibus omnibus manifesta fiunt, quæ diximus, & firma redditur assertio, quam probandam proposuimus.

288. Opp. 1. (Prætëribo autem scripturas illas, quibus Lutherus omnes baptizatos Sacerdotes esse, demonstrare contendit, de hisce enim satis dixi in quæstionibus de sacramentis in genere quæst. 3. art. 3. num.41. & sequentibus.) Oppones inquam 1. illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, quamvis dicta solis Apostolis, qui tunc soli aderant, dicta fuerunt tamen etiam omnibus laicis baptizatis, ergo. Prob. ant. illa verba Matth. ultimo; *Ite ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* quamvis dicta solis Apostolis, attamen dicta fuerunt omnibus laicis, & revera omnes laici baptizare possunt; ergo à pari.

Resp. ant. verum esse de præcepto sumendi, non verò de præcepto conficiendi; ad prob. conc. ant. ne. conf. diparitas autem non est desumenda ex verbis Christi; sed primò ex diversitate sacramenti, baptismus enim est omninò necessarius ad uniuscujusque salutem, unde cuilibet baptizandi facultas est concedenda; & talem fuisse Christi institutionem, qui omnibus media necessaria prompta esse voluit, judicandum est: Eucharistia verò est sacramentum minoris necessitatis, & majoris dignitatis; proinde non omnibus potestas illam conficiendi convenit, sed illis tantùm, qui peculiari ordinatione sunt in Ecclesiastica Hierarchia constituti; secundò repetenda est ex praxi, & Ecclesiæ traditione, & certè legimus baptismum collatum esse, & nunc etiam à Laicis conferri: nunquam tamen legimus à Laicis fuisse confectam Eucharistiam: quin imò etiam in summa necessitate potiùs Catholici Eucharistia caruerunt, quàm à Laicorum manibus illam agnoscere; juxta quod scribit Theodoret. lib.4. Hist. cap.12., cum Valens Imperator omnes Sacerdotes è suis sedibus expulisset, Eusebium Episcopum Samosatenum ementito habitu in plura loca peragrasse, & clam Presbyteros ordinasse, ne populi sacramentis privarentur; Aliud adduximus ex S. Augustino in epist. ad Honoratum. Quod si argumentum probaret, sequeretur, quod sicuti non solum Laicus fidelis, sed etiam Ethnicus potest baptizare; ita posset etiam Eucharistiam conficere, quod Novatores non admittunt.

289. Opp.2. testimonium Tertulliani lib. de exhortatione castitatis c. 7. Hic quemdam à secundis nuptiis nititur avertere, ac monogamiæ necessitatem ex eo præsertim demonstrat, quia cum omnes Christiani in casu necessitatis sint Sacerdotes, secundæ nuptiæ ipsis non permittuntur, sicuti non permittuntur Sacerdotibus.

Respondent aliqui, Tertulliani in

hoc libro nullam esse auctoritatem, cum jam ab Ecclesia defecisset, & ad Montani hæresim commigrasset. Si tamen hoc asserere non placet, alia responsio non deest, inquit in eo loco omnes Christianos Sacerdotes esse, si hoc dicat in sensu improprio, quatenus habent fidem, & charitatem, offeruntque Deo spirituales hostias & preces juxta explicationem à nobis datam in laudata quæstione de sacramentis in genere, libenter fatemur; si autem in sensu proprio & stricto propter facultatem consecrandi, & reliquas veri Sacerdotii actiones exercendi, hoc negamus; Omnes etiam Christiani sunt Sacerdotes remotè, quatenus habent capacitatem, ut in Sacerdotes ordinentur, est verum; proximè, quatenùs sint Sacerdotes constituti, est falsum: atque ideo Tertullianus à secundis nuptiis amicum suum arcere contendebat, ne hac Sacerdotii capacitate careret; qui enim duas uxores habuisset nequaquam Sacerdotio erat idoneus; ex quo argumentum contra Novatores efformatur.

Dices. Tertullianus ibi asserit, Christianos in casu necessitatis Sacerdotes esse, & posse tingere & offerre; non loquitur igitur de Sacerdotio impropriè tali modo à nobis explicato; siquidem habere fidem, charitatem, ac hostias spirituales offerre semper debent, neque casum necessitatis expectare.

Ut huic occurram, observandum est; Sacerdotium bifariam posse considerari, vel quantum ad ministerium, & actionem exteriorem, vel quantum ad gratiam, quæ per Sacerdotum Ministerium & sacramenta ordinariè confertur. Sub hac postrema consideratione, omnes Christiani in casu necessitatis sunt Sacerdotes; quia in casu necessitatis per proprios actus fieri possunt participes illius gratiæ, quæ per sacramenta & Sacerdotum ministerium ipsis conferretur; sub priori vero consideratione in aliquibus omnes Christiani in casu necessitatis sunt Sacerdotes: primò in conferendo baptismo: secundò etiam in iis rebus offerendis, quas per Sacerdotum manus ad Altare offerebant, poterant enim, si Sacerdos deerat, offerre per se ipsos: tertiò etiam in distributione Eucharistiæ jam à Sacerdote peractę; nam persecutionis tempore solebant primi Christiani Eucharistiam in privatis domibus apud se retinere, illam propriis manibus contrectare, & ori proprio admovere; & sic Sacerdotis officio fungebantur. At Sacerdotium propriè dictum non consistit in hisce rebus, sed in facultate Eucharistiam conficiendi.

Neque instes, Tertullianum eo loci affirmare, differentiam inter ordinem, & plebem constitutam esse Ecclesiæ auctoritate; & ubi sunt tres, licet Laici, esse Ecclesiam. Etenim Ecclesia ponit discrimen inter Plebem, & Clerum, quatenus eligit illos, qui sunt in Sacerdotes ordinandi, non quia ipsa virtute sua propria conferat ordinis potestatem: unde idem Tertullianus ibi addit, *& honor per ordinis consessum sanctificatus à Deo*. Esset verò adhuc Ecclesia, si tres essent, licet Laici, si sumatur Ecclesia ratione fidei, charitatis, & aliarum virtutum; non vero si consideretur in ratione alicujus ministerii, & sacerdotii propriè dicti.

Hoc tamen argumentum ne proferant Novatores, nam juxta mentem Tertulliani etiam utcumque intellectam, saltem qui duas uxores habuissent, Sacerdotes non essent.

290. Opp. 3. S. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 41. refert verba, quæ dixit S. Laurentius Martyr Sixto Summo Pontifici, cujus erat Diaconus; inter alia autem sunt ista. *Experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem; Cui sacramentorum consummandorum consortium; huic tui sanguinis consortium negas?* poterant igitur Diaconi Christi sanguinem consecrare, & consummare.

Pariter argumentum hoc est contra hæreticos; nam ad summum probaretur, id Diaconis convenire posse, non autem omnibus baptizatis. Revera tamen ibi consecratio sumitur pro dispensatione, ut modo canit Ecclesia, & si velis retinere consecrationis nomen, intelligas consecrationem, non relatè ad materiam, quæ consecratur, sed relatè ad suscipientes, qui per Christi sanguinem sanctificantur, & consecrantur; dici etiam potest, Diaconis commissam fuisse Dominici sanguinis consecrationem, quia Sacerdotibus exhibent ea, quæ consecrant, & revera sunt sacramentorum consummandorum consortes, quia ipsis consummandis Sacerdoti assistunt.

291. Potiùs afferre possunt historiam quamdam Theodoreti lib. 1. Hist. cap. 23. in qua refertur. Frumentium Laicum in India commorantem hortatum esse Mercatores, qui eo commigraverant, ut Romano more ad mysteria celebranda simul convenirent, quod dictum non esset, nisi existimasset, Laicos celebrare posse, ubi deest Sacerdos.

Sed in primis, narrat ne Theodoretus, ibi nullum fuisse Sacerdotem? Minimè; Deinde, mysterium sumitur lato modo, idest pro orationibus, aliisque pietatis operibus exercendis; ut revera refert Ruffinus lib. 1. Hist. cap. 9.

292. Superest modo, ut inquiramus de Ministro, ad quem pertineat sacramentum hoc dispensare.

Respondeo. Procul dubio olim Diaconos Eucharistiam ministrasse, ut colligitur ex Justino apol. 2., ex Cypriano tract. de lapsis, ex Augustino ser. 37. de diversis; atque hoc etiam in ordine Romano, tanquam Diaconorum munus recensetur; Concil. verò Aquisgranense cap. 7. sic habet. *Sicut in Sacerdote consecratio, ita & in ministro dispensatio sacramenti est. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.*

Existimandum tamen est, id jure proprio & ordinario Diaconis non convenisse, sed solum ex facultate concessa ab Episcopis, vel Presbyteris; Gelasius Papa in epist. ad Episcopos Lucaniæ ita scribit, *Diaconi sacri corporis Christi prærogativam sub conspectu Pontificis, seu Presbyteri, nisi his absentibus, jus non habent exercendi*, Concilium Carthagin. 4. can. 38. statuit, *ut præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*. Et profectò, quotiescumque Diaconi munus hoc tanquam ordinarium sibi arrogare voluerunt, in ordinem redacti sunt, & repressi; Nunc autem res ita statuta est, ut neque ex dispensatione ac licentia Eucharistiam dispensent.

293. Dispensare igitur sacramentum hoc pertinet primò ad Pastores, & Curatos, quibus animarum cura commissa; secundò ad eos, qui Missam celebrant, ut optat fieri Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 8. Quod primo loco diximus, magis affirmandum est, si administranda sit Eucharistia, tanquam viaticum.

ARTICULUS II.

Quid sentiendum de pluribus Ministris eandem hostiam consecrantibus.

294. Plures Ministros & Sacerdotes ad eandem hostiam consecrandam concurrere posse, negavit Durandus in 4. dis. 13. qu. 3. Omnes tamen alii Theologi id concedunt, nec negari potest, nisi reprobando consuetudinem tum Ecclesiæ Latinæ, tum Græcæ; siquidem, si de Ecclesia Latina fiat sermo, constat ex Pontificali Romano, omnes ordinatos simul cum Episcopo ordinante consecrationis verba proferre, quod & fit ab Episcopo recens consecrato cum Episcopo conseerante; imò consuetum fuisse, ut Summo Pontifice publicè sacrum faciente Presbyteri Cardinales simul cum illo conficerent, narrat Innocent. III. lib. 4. de Mysteriis Missæ cap. 25. si autem

tem de Ecclesia Græca, id semper fit ab Episcopo Græco, ut nunquam sine Sacerdote celebret, qui simul cum ipso proferat verba. Hujusmodi consuetudinis ritum, quem servari ac retineri præcepit Clem. VIII. inquiunt Innoc. III. laudato loco, & S.Th. art.2. ad 1. Apostolos à Domino didicisse.

295. Difficultas igitur sit, quo pacto id servari possit, ut omnes eamdem hostiam consecrent; etenim cum plures sint, qui ordinantur, moraliter fieri non potest, ut omnes pro eodem instanti verba consecratoria ex integro proferant, imò contingere potest, ut aliquis ordinatus priùs compleat, quam Episcopus, quo casu jam hostia esset consecrata, & Episcopus aliique nihil omninò efficerent, quia jam sacramentum peractum esset, vel si Episcopus priùs compleret, quam alii, idem de aliis concluderetur. Pro hoc inconvenienti evitando, plura excogitarunt Theologi, quæ omnia à nobis referenda sunt, ut quis in praxi tutiori modo se gerere possit.

296. Prima sententia est S. Thom. qu.82. art.2. ubi arbitratur, se Innocentii III. opinionem sequi; dicit autem, ideo plures Sacerdotes ordinatos posse simul cum Episcopo super eandem hostiam verba proferre, & consecrare, nec obesse, aliquem illorum priùs verba consecrationis perficere; quia tam Episcopus, quam ordinati, ad idem instans debent intentionem referre; proinde verba priùs prolata nullum effectum habent, nisi quando ab omnibus completa sunt, cum verborum efficacitas ab intentione dependeat; Sumitur autem idem instans moraliter, cum nihil ferme intercedere possit inter unius & alterius prolationem.

297. Secunda sententia est, solum Episcopum in ordinatione intentionem habere proferendi verba significativè, & ut formaliter consecratoria; reliquos vero ordinatos, solum materialiter & recitativè: atque ideo istos neque debere habere intentionem consecrandi, neque non consecrandi; sed præcisè proferendi illa verba cum ea intentione, qua debent. Hæc tribuitur Richar. in 4. dist.13. qu.1. art. 2. Cajetano 3. p. qu.82. art.2. Suar. disp.61. sec.3.

298. Tertia sententia est, Episcopum, & Sacerdotes concelebrantes habere intentionem conditionatam consecrandi, & non solum materialiter seu recitativè illa verba proferendi; quia nemo certus est, dum ultimam sylabam profert, an illam proferat super materiam jam consecratam, quam opinionem defendunt Lugus, & Amicus cui addi possunt Coninch. & Suarez; volentes, Sacerdotes habere intentionem disjunctam, scilicet, aut consecrandi simul cum Episcopo, si simul cum ipso proferunt verba, aut non consecrandi nisi materialiter, si priùs, vel post, quam Episcopus protulerit, ipsi proferant; & sic inquiunt, omne dubium evitari.

299. Quarta sententia est, omnes moraliter habere rationem unius Ministri, omnesque consecrare una moraliter consecratione: quia omnes quamvis in ratione personæ distincti; attamen per respectum ad illam actionem consecratoriam ex propria intentione, & Ecclesiæ dispositione adinstar unius principii moralis concurrunt; atque hanc defendunt Vasq., Ariaga, Exparza, Cacheran., Madern. neque ego ab istis recedo, sed tantùm in hoc displicent, quod rejicere contendant priorem opinionem S. Thomæ, cum revera hæc postrema ab illa non differat: inquiro enim, quo pacto haberi possit ex illis omnibus unum morale principium, & una moraliter actio consecrativa, non alio quidem modo, nisi per hoc, quod sit una intentio, nec esse potest, nisi ab omnibus ad idem moraliter instans referatur; nec aliquid probant ea, quæ contra illam priorem assertionem proponunt, cum verba non habeant for. malem veritatem nisi per proferentis inten-

intentionem, quæ sit cum omnibus moraliter eadem, si plures sint proferentes.

300. Opinio vero secunda nullo modo admittenda est; primo quia, si ordinati solùm materialiter verba proferrent, nullo pacto consecrarent; Secundo quia, si res ita esset, nihil in causa foret, ut Episcopus priùs admoneretur in novo Pontificali, ut paulatim & alta voce verba pronuntiaret, quatenùs ordinati etiam cum ipso pronuntient, & quantum fieri potest, cum ipso prolationem perficiant; Verùm nobis satis est Doctorum dicta adduxisse, ut inde prudens & sapiens lector, quod magis consentaneum videatur, sibi deligat. Unum admonebo pro praxi, nimirum, ordinatos pro hac vel illa intentione habenda parùm sollicitos esse debere; sed sufficere, si habeant intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: plerumque enim alia studia & speculationes dubitationes excitant, quas nequaquam resolvunt;

ARTICULUS III.

De subjecto Eucharistiæ.

301. Plura sub hoc titulo resolvenda sunt; quemadmodum non unus est hominum status, de quibus potest inquiri. Omittam autem hic abusum quemdam, quo aliqui mortuis Eucharistiam dare consueverunt, quem colligo ex Concilio Carthagin. 3. c. 6., ubi leguntur hæc verba; *Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur*. Et meritò certè; dixit enim Christus: *Accipite, & comedite*; corpora autem defunctorum nec accipere nec comedere possunt. Aliud etiam fieri consuevit, ut Eucharistia simul cum corporibus defunctorum sepeliretur. Narratur hoc ab Amphilochio, vel quicumque sit Author, in vita S. Basilii, nec non legitur apud Surium an. 720. in vita S. Ohtmari. Hæc inquam omitto. Et.

301. Quæritur primo. An parvuli baptizati sint capaces recipiendi Eucharistiam; dixi baptizati, nam baptismus inter sacramenta primum est; proinde qui illo caret, omnibus careat necesse est.

Responsio est affirmativa; Suadet hoc consuetudo antiquæ Ecclesiæ, quæ retenta fuit usque ad sæculum duodecimum; imò juxta Maldonatum in cap. 6. Joan. usque ad decimum sextum, cui subscribit Vasquez disp. 212. cap. 2. in fine asserens, tunc fuisse prohibitam communionem pro parvulis, quando laicis vetitum fuit sumere sub utraque specie. Porro parvulis Eucharistiam datam esse legimus apud Cyprian. in tract. de lapsis; cujus meminit S. Augustin. epist. 23., apud S. Ambros. lib. de initiandis cap. 8., apud S. Augustin. epis. 217. ad Vitalem: apud S. Gregor. Magnum in lib. sacram. de Officio Sabbati Sancti: & denique apud Ordinem Romanum, quam quidem consuetudinem Concilium Tridentinum non reprobavit, dicens sess. 21. cap. 4. *Sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem &c. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: Ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est*. Sunt igitur parvuli sacramentalis communionis, proinde etiam fructus, capaces; quamvis postea justis de causis vetus disciplina mutata fuerit, & eis illam administrare vetitum sit.

303. Quæritur secundo, an sint capaces Cathecumeni.

Responsio est negativa; prima ratio est illa, de qua superius: quia baptismus omnium sacramentorum est primus. Secunda est, quia Eucharistia instituta est ad nutriendum; nutritio autem haberi non potest, nisi præsuppo-

natur

natur generatio, quam confert baptiſmus: Hinc nunquam legimus, Cathecumenis, licet per Chriſtum juſtificatis, Euchariſtiam fuiſſe conceſſam; Unde Auguſtin. tract. 11. in Joan. inquit: *Si dixerimus Cathecumeno, Credis in Chriſtum? reſpondet: Credo. Interrogemus eum, Manducas carnem filii hominis, & bibis ſanguinem? Neſcit, quid dicimus, quia Jeſus non ſe credidit ei.*

304. Quæritur tertio, an energumenis, & perpetuò amentibus Euchariſtia danda ſit.

Reſpondeo; De energumenis antiqua fuit diſciplina, qua ab Euchariſtiæ perceptione arcerentur; Unde Diaconus, quando oblatio facienda erat, alta voce clamabat. *Omnes poſſeſſi diſcedite.* Legimus hoc in S. Dionyſ. cap.3. Hierarc. & Chryſoſt. homil.3. de natura Dei; fuitque ſtatutum in Concil. Eliberit. can.29. Excipiebatur tamen mortis periculum ex eodem Concilio can. 37. & juxta Arauſicanum 1. can. 14. communio illis etiam concedebatur, qui ſe liberari deſiderabant, & Clericorum præceptis obediebant: Inde res ita peracta eſt, ut ipſis denegata non ſit, ut adnotat S. Th. 3. p. qu. 80. art. 9. ad 2., qui etiam affert teſtimonium Caſſiani dicentis, Eis, qui ab immundis vexantur ſpiritibus, communionem ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam: atque ibi S. Doctor, quod priùs dictum eſt ex Dionyſio explicat de energumenis nondum baptizatis, quæ explicatio utrum ſit admittenda nec ne, ex eo moveor, quod Diaconus non ſolùm alta voce dicebat: *Omnes poſſeſſi diſcedite*: ſed etiam *omnes Cathecumeni* unde diſtinguebat inter Cathecumenos, & poſſeſſos; ex quo ampliùs confirmatur, quod dictum eſt num.303.

305. Quantum ad amentes diſtinguendum eſt cum S. Th. art. cit. in corpore. Vel iſti nunquam habuerunt uſum rationis, ſed ſic à nativitate permanſerunt; & de iſtis id ſentiendum, quod dictum de parvulis; & Concil. Arauſicanum 1. can. 13. ſtatuit, quæcumque pietatis ſunt, amentibus eſſe concedenda: nunc verò conſuetudo eſt in contrarium: Vel aliquando rationis uſum habuerunt, & in eis apparuit deſiderium, & erga hocce ſacramentum devotio; & tunc in mortis articulo illis per ſe loquendo conferendum eſt: Unde in decret.26. quæſt.2. ex Concil. Carthag. 4. c.76. habentur hæc verba; *Is, qui pænitentiam in infirmitate petit; ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit in phræneſim converſus fuerit, dent teſtimonium ejus, qui eum audierunt, & accipiat pænitentiam; & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* Ex his collige, quid ſentiendum ſit de illis amentibus, qui aliquo lucis gaudent intervallo.

306. Quæritur quarto. Utrum peccatoribus, ſive publicis, ſive occultis, petentibus Euchariſtiam, ſit neganda.

Reſpondeo, publico peccatori publicè vel privatè petenti, & peccatori occulto petenti occultè Euchariſtiam negandam eſſe. Hæc duo puncta oſtenduntur; quia præceptum Domini eſt Matt.7. non dandum ſanctum canibus, ideſt peccatoribus & indignis; ex alia parte nullum ipſius famæ detrimentum affertur; In qua tamen re cautè agendum eſt: nam circa peccatorem occultum difficilè poteſt caſus contingere; quia ſemper adeſt Miniſter Sacerdotis, apud quem famam amitteret; neque ad excludendum peccatorem publicum, vel occultum poteſt Sacerdos dirigi à cognitione habita in confeſſione; quia ſic injuria fieret pœnitentiæ ſacramento.

307. Oppoſitum dicendum eſt de peccatore occulto publicè petente; quia præceptum famam proximi non lædendi negativum eſt; obligat proinde ſemper & pro ſemper: exemplum habemus in Chriſto, qui licet perverſum animum Judæ non ignoraret; ipſi tamen

tamen suum corpus concessit: atque hoc in Ecclesia semper servatum fuit; Unde August. homil. 351. ait, *Nos à communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive Sæculari sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum*. Advertere tamen debet Sacerdos; ne, ut consuleret sacramento, illudque cani non daret, tum etiam accedentis famæ, illumque absque apparenti communione dimitteret, hostiam non consecratam porrigat; etenim nunquam licitum est facere malum, ut eveniat bonum; & in hoc casu evitaretur unum malum, sed pejoris periculum immineret, nempe periculum idololatriæ; quæ est doctrina S. Th. in 4. dis.9. q.1. art. 5.

ARTICULUS IV.

De dispositionibus requisitis in subjecto ex parte corporis.

308. Dispositiones, quæ requiruntur in eo, qui ad sacram Eucharistiam sumendam accedere velit; aliæ sunt spectantes ad corpus, aliæ pertinentes ad animam; de utrisque peragemus; & primo loco de illis.

Requiritur in primis, quod sit jejunus. In hoc puncto se opponunt Lutheri, Calvinique discipuli, volentes quacumque hora sacramentum hoc sumi posse, licet quis priùs modestè manducaverit, vel biberit, ut colligitur ex Lutheri libro contra Regem Angliæ. Error tamen iste antiquior est, ut evinci potest ex Concil.Constantien.sess.13. §. *In nomine sanctæ*; ubi rejicitur objectio quædam, in qua Christi factum, qui post cœnam suum corpus discipulis dedit, exponitur; & priùs etiam ex Concilio. Carthaginensi 3. cap. 29. quorum verba inferiùs exponemus.

Requiritur inquam, quod sit jejunus; atque ista lex non Pontificum Romanorum inventum existimari debet; sed ita semper ab Apostolorum tempore in Ecclesia Christi servatum esse, judicandum est. Nolo autem hic verba Pauli proferre, in quibus 1. ad Cor.11. eos increpat, quod inter epulas suas Dominicam cœnam sumere præsumerent, ac miscere, dicens, ipsis eam manducare prohibitum esse per illa verba; *Jam non est Dominicam cœnam manducare*. Nolo inquam hæc Pauli verba proferre, cum plures explicationes Patrum invenerim, quæ rem nostram non declarare, sed multum valerent confundere; Novi tamen, manducare ante Eucharistiæ sumptionem Ægyptiorum abusum dictum esse à Sozomeno lib. 7. hist. cap. 19. ubi inquit: *In multis Urbibus, ac vicis Ægypti, contra receptam omnium consuetudinem, die Sabbati sub vesperam convenientes, jam pransi, sacra mysteria percipiunt*. Observa illa verba *contra receptam omnium consuetudinem*.

309. Et jure merito hanc consuetudinem ab omnibus receptam esse, affirmare poterat laudatus Historicus; cum & in antiquioribus Patribus eam ad nos demandatam perlegamus, atque in celeberrimis Conciliis statutam intueamur. Si de Patribus sermo sit, Tertullian. lib.2. ad uxorem cap. 5. inquit. *Non sciet Maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes*. Hic autem loqui de cibo Eucharistiæ, compertum fit ex sequentibus; *Et si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur*. Cyprian. epist. 63. *At non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus?* Ita sibi objicit, & respondet. *Nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus?* Deinde reddit rationem, quare Christus post cœnam, nos verò mane celebrare debeamus. Chrysost. homil. 27. in illud 1.ad Corint.11. *Itaque quicumque manducaverit*, ait. *Tu autem priusquam accipias, jejunas, ut aliquo modo dignus communicatione videaris*. Ut reliquos verò prætercam, audiatur Augustinus

stinus in epist. 118. ad Januarium, nunc 54. in qua & ipse sibi opponit, quod opponere solent hæretici, idest factum Christi; Sic autem scribit. *Liquidò apparet, quando primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod à jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani priùs Domini corpus intret, quam cæteri cibi.* Quæ verba fermè transtulit Isidorus lib. de Divinis Officiis cap. 18. Non inficiamur tamen cum eodem Augustino, aliisque, fuisse olim in Ecclesia quamdam consuetudinem, ut feria quinta majoris Hebdomadæ ad exemplum Christi etiam à non jejunis Eucharistia sumeretur; præsertim apud Africanos: Verum hoc nobis non officit; imò Sanctus Doctor in eadem epistola usum istum fluere, ac dimitti indicavit, & de eo in pluribus Conciliis mentio facta est.

310. Et revera usum hunc perantiquum esse, ex eo etiam facile colligi potest, quod Chrysostomus in epist. ad Cyprianum, inter multa, quæ ab adversariis suis sibi opposita fuerunt, recenset etiam hoc, quod ad communionem non jejunos receperit, quem locum nobis objiciunt hæretici, quia Sanctus Episcopus ita respondet; *Si autem pergunt hoc mihi objicere, deponant & Paulum, qui postquam cænavit, totam domum baptizavit; deponant & Christum ipsum, qui, postquam cænatum est, Apostolis communionem dedit.* Quibus ostendit, se id agendo nullum crimen commisisse. Ex hoc inquam hanc jejunii legem perantiquam esse colligitur; non tamen id quod hæretici intendunt: nam in primis jam dixerat, ut deleretur nomen ipsius ex Episcoporum libro, nec inter orthodoxos scriberetur, si id fecisset: alia deinde verba produxit, ut ostenderet, quod si etiam id fecisset; attamen non erat execrandum adeo crimen, quale ipsi arbitrabantur. observa tamen, quod loquens de baptismate collato post cænam affert exemplum Pauli: de Eucharistia verò affert tantùm exemplum Christi, ex quo inferas, præceptum non dandi nisi jejunis Eucharistiam à tempore Apostolorum fuisse servatum.

311. Superest, ut etiam aliquid juxta Conciliorum statuta referamus; ex istis autem sufficiat Carthaginense 3. quod c. 29. statuit, ut *sacramenta Altaris nonnisi à jejunis hominibus celebrentur* & refertur in can. *Sacramenta Altaris* dist. 1., cui addimus Constantiense, quod sess. sub initio laudata, hæc habet: *Licet Christus post cænam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini; tamen hoc non obstante sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quod hujusmodi sacramentum non debet confici post cænam; neque à fidelibus recipi non jejunis; nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure, vel Ecclesia concesso vel admisso.*

312. Ex quibus jam tenes, in aliquibus casibus Eucharistiam sumi posse etiam à non jejunis: primò si immineat mortis periculum: secundò si Sacerdos celebrans subita vi morbi correptus sacrificium perficere nequeat; tunc enim alius Sacerdos etiam non jejunus illud perficere debet: Tertiò si Sacerdos animadverteret sumpto calice tantum aquam hausisse; deberet vinum infundere, iterum consecrare, & sumere: Tandem, si Sacerdos inchoata Missa, vel etiam laicus ad communionem paratus, recordaretur se non esse jejunum, nec sine scandalo recedere posset, communionem sumat.

313. Jejunium autem, de quo usque modo diximus, debet esse naturale, ut docent omnes Doctores contra Gotfredum, & Joannem Parisiensem, qui Ecclesiasticum sufficere perperam arbitrati sunt. Tales igitur esse debent, qui

qui Eucharistiam sumunt, ut nec minimam partem cibi vel potus priùs ad stomachum trajecerint; quod apertis verbis statutum fuit in Concil. Tolet. 7. decernente, post minimam partem cibi vel potus non licere sanis Eucharistiam recipere, sicut licet ægrotis: atque idem habetur in cap. *Ex parte*. De celebratione Missarum. Ubi præscribitur, quod si post primam Missam celebranda sit secunda post sumptionem sanguinis nihil amplius sumatur, & si sumi contingeret, alia Missa omittatur. Sed de hoc satis.

314. Secundò ex parte corporis requiritur puritas, seu castitas carnis. Porro hæc deficere potest vel ex copula licita Matrimonii, vel ex pollutione voluntaria alioque concubitu, vel pollutione nocturna & involuntaria. Si de secunda sit sermo, hæc omnino fidelem arcet ab Eucharistię perceptione; est enim grave peccatum: Si verò de copula licita Matrimonii loquamur, unusquisque judicio suo dimittendus est; nullam enim legem prohibentem legi; laudabiliter tamen se gerunt conjugati illi, qui antequam Eucharistiam percipiant saltem per diem ex communi consensu se continent. Si enim dicebat Apostolus 1. ad Corint. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*; quanto magis ut sacrum Domini corpus gustetis? Ipse David ut panes propositionis comederet, dixit se triduo à mulieribus mundum esse; quod perpendens Cathechis. Roman. ad Paroc. num. 61. ait: *Postulat tanti sacramenti dignitas, ut qui Matrimonio juncti sunt, aliquot dies à concubitu uxoris abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui &c.*

De nocturna verò pollutione, quam quis invitus & non consentiens patitur, ita sentiendum est, ut hanc sacram perceptionem non impediat, eo quia peccatum non est; nihilo tamen minùs valdè congruum videtur abstinere, ut docent communiter Doctores, & expressis verbis affirmat S. Thom. 3. p. qu. 80. art. 7. Non me latet, argumentum in oppositum desumi posse ex eo quod sicut prohibita erat per diversos canones communio mulieribus menstruatis, ita etiam prohibita foret viris etiam involuntariè pollutis. Canones autem illi reperiuntur in tomo 3. & 6. Bibliothecæ Sacræ. In illo est can. 2. *De menstruatis mulieribus*, qui est Dionysii Alexandrini in epist. ad Basilidem; In alio sunt responsa canonica Timothei Alexandrini, id affirmantis responsio. 7. Nihilo tamen minùs censendum est, hoc dictum esse adinstar consilii, non præcepti; & quamvis etiam dicta forent adinstar præcepti, quia revera hujusmodi mulieres non admittebantur in Ecclesia cum aliis, sed in loco semoto ac solitario, ut refert Balsamon in illum can. Dionysii; attamen quæcumque lex contraria consuetudine est abrogata, & pro hac re est etiam Innoc. III. cap. unico; *De purgatione post partum*.

315. Denique ex parte corporis, talis requiritur compositio, ut in habitu, incessu, aspectu, omnia sint ad modestiam ac pietatem idonea; Hoc præsertim servare deberent mulieres ut non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis, non fucato vultu, non nudato pectore, aut tenui velo obducto ad sacram mensam properarent, ut admonet S. Carolus Borromæus in suis instructionibus; & Innoc. XI. mulieres illas, quæ aliter accedere auderent, jussit esse repellendas; Quid quid, vanæ fæminæ, inter inanes pompas vestras & Christum conventio? Quid Ecclesias Christi cum Diaboli theatris confunditis; non corpora, sed animas exornate: Satanæ pompis, dum sacro baptismate ablutæ fuistis, abrenuntiastis; abrenuntiate etiam, dum Eucharistica nutritione vos pascendas exhibetis &c.

AR-

ARTICULUS V.

De dispositionibus ex parte animæ.

316. Priusquam aliquid dicatur, tres modos hoc sacramentum recipiendi distinguamus. Quidam id sumunt tantùm sacramentaliter, ut peccatores ad judicium sibi manducantes. Quidam tantùm spiritualiter, illi nimirùm, qui in voto illum panem cœlestem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt. Quidam sacramentaliter simul & spiritualiter & de istorum dispositionibus hic loquemur.

317. Prima ea dispositio recensenda est, quæ in gratia sanctificante consistit, sine qua fieret accipiens reus corporis & sanguinis Domini: quapropter dixit Paulus 1. ad Corint. 11. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat*; ut vestitus veste nuptiali ad hanc mensam Summi Regis accedat, & ne ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium, dejiciatur; debet autem se probare per sacramentalem confessionem, si conscius sit peccati mortalis. *Ecclesiæ* enim, sunt verba Tridentini sess. 13. cap. 7., *consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quamvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Imò fuerunt aliqui asserentes præter sacramentalem confessionem & absolutionem, necessariam etiam esse præviam satisfactionem; quorum tamen propositio damnata fuit ab Alex. VIII. quæ erat ista. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem prætendunt, antequam dignam de delictis pœnitentiam egerint.*

318. Hæc autem probatio non tantum consilium est, sed Divinum præceptum: ut patet ex textu Apostoli; ita enim statuitur necessaria, ut aliter indignè quis manducaret; quod præceptum cum sit positivum non obligat pro semper & ad semper, sed casum exceptionis admittit; nimirum si desit Confessarius, & urgeat necessitas communicandi. Porrò deesse potest Confessarius, vel physicè, quando nullus est præsens, nec communicaturus potest ad illum accedere, nisi cum maximo incommodo, vel ob corporis ægritudinem, vel periculum latronum, vel quidpiam aliud juxta prudentis viri existimationem: vel moraliter, quando licet Confessarius sit physicè præsens; attamen vel ob infirmitatem non possit confessionem excipere, vel ex ignorantia aut malitia recuset, vel si pœnitens peccatis tantùm reservatis sit irretitus; tantùm inquam reservatis; nam si etiam non reservatis teneatur, debet omnia confiteri, & sic indirectè à reservatis absolvetur, cum onere tamen se præsentandi habenti facultatem; vel si pœnitens prudenter timeat ex tali confessione sibi vel proximo grave aliquod damnum imminere &c. Urget autem necessitas, si quis sit in mortis periculo, & putat probabiliter, se ante confessionem moriturum; si debeat alteri dare viaticum; si gravis infamia, vel alienum scandalum ex omissione communionis oriatur; si Parochus celebrare debeat, ne populus die festo Missa careat &c. In hisce enim casibus & similibus debet, quantum potest, actum contritionis elicere, & quàm primùm confiteri, ex Tridentino, idest ex Diana, saltem intra triduum, ex l. enim finali Cod. de judiciis *illicò* idest intra triduum. Quidam particulam illam *quàmprimùm* intelligebant, *cum Sacerdos suo tempore confitebitur*: sed hanc explicationem proscripsit Alex. VII.

319. Hæc prima dispositio omninò necessaria est: Secunda verò nequaquam necessaria, sed valdè utilis atque expediens, ut qui hunc Angelorum panem comedere vult, immunis sit etiam à peccatis venialibus, eorumque affectu. Quamvis enim peccata venialia

charitatem non destruant, illius tamen fervorem imminuunt, & gratiæ nutrientis augmentum, quod est præcipuus hujusce sacramenti effectus, impediunt. Si aliquis magnus ac præpotens vir nostram materialem domum est ingressurus, nunquid tantum obscuriores, patentioresque maculas tollimus, ac dealbamus? quidquid etiam pulveris est, quidquid aranearum telis obcluditur, aufertur; atque ut omnia perpolita sint, atque ornata omni studio ac conatu curamus; Quid igitur non agendum, dum Summus Regum Rex ad os nostrum, stomachum nostrum, animas refecturus venire pro maximo sui amore dignatur? Mulier illa, ut gemmam deperditam inveniat, totam domum everrit, Nos, ut gemmam, quam invenimus, recipiamus, totam animam emundemus. Sit scopa Lazari, ut sordes maximas abstergamus, sit Martha, ut minima etiam à Regis conspectu auferantur. Hunc loquendi modum irridebunt aliqui; sciant tamen, non me, sed Sanctos Patres esse usque modo loquutos.

320. Sed ubi adesse oportet Martham, Magdalena non deficiat; & hæc erit tertia dispositio, qua meliorem partem eligemus, quæ non auferetur à nobis. Pro Magdalena intelligo veram hujusce sacramenti cognitionem, atque erga præsentem ac intimè recipiendum Christum amorem, ac devotionem. Si quis hocce sacramentum agnoscet, ejusdemque eximiam, ac omnium maximam dignitatem, quam humilis fiet? an fermè ad nihilum cor non rediget suum? Quis cum Centurione non dicet, non sum dignus, ut intres sub tectum meum? & si Elisabeth mirata est, quod Mater Christi ad se veniret; quantò magis mirabitur quilibet, ad se Christum venire; non ut extrinsecus videatur, ac teneatur; sed ut manducetur, & fiat cibus ac potus? Quis amor accendi non debet, ut adeo amantem Dominum prosequatur? quæ devotio non excitabitur, ut tanto hospiti domicilium præparetur? Plura proferet uniuscujusque animus, quam calamus meus possit exprimere.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De neceſſitate Euchariſtiæ.

321. PLura pertractanda ſunt in hac quæſtione, quæ diſtingui debent, ne aliqua titulum inſpicienti confuſionis ingeratur ſuſpicio. De neceſſitate conſecrandi ſub utraque ſpecie; Primum erit punctum; Secundum, de neceſſitate ſub utraque Euchariſtiam ſumendi; Tertium, de neceſſitate ſumendi Euchariſtiam abſolutè. Itaque

ARTICULUS I.

Utrum conſecratio fieri poſſit ſub unica tantùm ſpecie.

JAM, ut manifeſtum eſt, ſermo fit tantùm de conſeratione valida.

Sentiendum affirmativè adverſus aliquos veteres, & contra etiam aliquos recentiores, exigentes intentionem conſecrandi ſub utraque.

Prob. prior pars. Habetur corpus Chriſti formaliter ſub ſpeciebus panis, quin habeatur formaliter ſanguis ſub ſpeciebus vini; ergo fieri poteſt conſecratio ſub unica tantùm ſpecie. Prob. ant. Forma, per quam ſignificatur corpus Chriſti, eſt abſoluta, & de præſenti, & ejus ſignificatio completur, quin habeatur formaliter ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus vini; ergo. Et profectò, ſi res ita non eſſet, dici non deberet, *Hoc eſt corpus meum*; ſed hoc erit corpus meum, quando ſanguis erit ſub ſpeciebus vini: & pariter deberet dici. *Hic eſt ſanguis meus*, dummodo ſub ſpeciebus panis ſit corpus. Hoc magis confirmatur ex eo, quod diximus, ſub unica tantùm ſpecie haberi integrum ſacramentum & perfectum formaliter.

Prob. poſterior. Illa intentio requiritur ad conficiendum ſacramentum, quæ reſpicit ipſum ſacramentum; atqui ſi datur tantùm intentio conſecrandi ſub unica ſpecie, hæc reſpicit ipſum ſacramentum; quia ex dictis ſub unica ſpecie eſt verum ſacramentum; ergo. Et ſi Epiſcopus conferre poteſt unum ordinem cum intentione expreſſa alios non conferendi, quamvis omnes ordines ſint partes conſtituentes unum ſacramentum ordinis; cur ſimiliter non poterit confici ſacramentum Euchariſtiæ ſub unica tantùm ſpecie, etiam cum intentione expreſſa aliam non conſecrandi.

322. Opp. Poteſtas conſecrandi non diſtinguitur à poteſtate ſacrificandi; ſed non poteſt fieri ſacrificium ſub unica tantùm ſpecie, & ad hanc tantùm intentione directa: ergo. Confirm. Forma conſecrationis panis ſuum effectum non conſequitur, niſi prolata forma conſecrationis vini: ergo. Prob. ant. Primo quia poneretur corpus ſine ſanguine; 2. quia tres immerſiones in baptiſmo non habent effectum ſuum, niſi quando perficitur ultima, & plures formæ in extrema unctione non producunt gratiam; niſi &c. ergo à pari.

Reſp. non diſtingui illas poteſtates quantum ad ſubjectum, in quo ſunt; diſtingui tamen quantum ad effectum: proinde unum ſine alio haberi poſſe; Ad confirm. ne. ant. ad prob. 1. jam dictum eſt: ad 2. diſparitas eſt, quia in ſacramento baptiſmatis, quod unicum omninò eſt; unica tantùm forma invenitur; at in ſacramento Euchariſtiæ eſt duplex forma, & una ſignificat, & efficit independenter ab alia, & quod attinet ad extremam unctionem illæ formæ ſunt partiales, & de facto in caſu ur-

urgente possunt ad unicam redigi; Sacramentum Eucharistiæ ita se non habet; Verum antec. ex Scoto in 4.dist.23. ad 2. non admittitur, & pro hac re à nobis dictum est in quinto tomo: disp. ult.

ARTICULUS II.

Qua necessitate debeant Sacerdotes sub utraque specie consecrare.

323. CONsecrationem sub utraque specie præcipi ab Ecclesia, communis est Theologorum sententia, & colligitur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, declaraturque dist.2. de consecrat. *quia divisio unius, ejusdemque sacramenti sine grandi sacrilegio provenire non potest*. Hoc idem clariùs innuitur in Missali Romano præscribente, quod si Sacerdos sumpserit aquam pro vino, licet fregerit jejunium; nihilominus tamen consecret vinum, & sumat utramque speciem. Quærendum igitur superest, an sit etiam præceptum Divinum, & possit ab Ecclesia dispensari.

324. Quamvis plura non desint ad priorem partem assertionis ostendendam momenta; attamen aptiùs demonstrari non potest, quam ex Doctrina Concilii Tridentini, quod sess. 22. cap. 1. statuit, Christum per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepisse Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent corpus & sanguinem suum sub speciebus pani & vini; quod & confirmavit can. 2. ejusdem sess. dicens; *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum; anathema sit*.

Ratio est, quia præcepto Divino tenentur Sacerdotes ad non conficiendum sacramentum sine sacrificio; non potest autem confici, seu offerri sacrificium, nisi fiat consecratio sub utraque specie, ut suo loco ostendam. Accedit; Sacramentum Eucharistiæ in unica tantùm specie esse quidem perfectum & integrum formaliter, & quantùm ad rem significatam; non tamen materialiter, & quantum ad signa expressiùs significantia: Convenit autem, ut ait S. Th. hic ad 2., jure Divino decretum esse, sacramentum hoc fieri non licere, nisi quocumque modo completum; proinde &c.

325. Dices: illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, non tantùm dicta esse post utriusque speciei consecrationem, sed etiam divisivè, ut habetur 1. ad Corint. 11., Christus igitur tradidit facultatem consecrandi utramque speciem, vel simul vel seorsim. Accedit factum Christi, qui post resurrectionem apparens discipulis euntibus in Emmaus, benedixit, fregit, & distribuit tantum panem, scilicet ex Theophilacto & aliis Patribus suum corpus tantùm exhibuit.

Sed contra; Quod fuerint repetita illa verba, non probat, posse unam speciem consecrari alia non consecrata; sed dari unicum præceptum repetitione ipsa magis explicatum; & quando esset aliqua ratio dubitandi, ea prorsus ablata est ex consensu Ecclesiæ in Tridentino: Unde Vasquez disp. 223. valdè miratur, aliquos Catholicos viros post hoc Concilium asserere non dubitasse, ex illis Christi verbis non colligi præceptum utramque speciem consecrandi.

Ad factum Christi; si admittatur, suum corpus dedisse discipulis, id egit ipse juxta plenitudinem potestatis suæ, se dispensando; sicut potest & alios dispensare.

326. Probo modo posteriorem partem. Si potest Pontifex, vel Ecclesia in hac materia dispensare, vel poterit facultate humana vel divina; sed neutra; ergo. Prima pars minoris ostenditur, quia inferior in superiorem non potest, & juxta dicta, consecratio sub utraque specie est de jure Divino. Proba-

batur secunda; Si potest facultate Divina, maximè tradita per illa verba, *Quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis*, sed non per istam; ergo. Prob. min. In casibus specialissimis, atque in materia sacramentorum pendente à sola voluntate Christi nullum jus habet Ecclesia, aut Pontifex, ut definivit Tridentin. sess. 21. cap. 2., ergo. Dixi pendente à sola voluntate Christi, ut afferrem discrimen, quare Pontifex, & Ecclesia dispensare possint circa votum, juramentum, & Matrimonium ratum, non consummatum; quia nimirum, contractus & obligationes hujusmodi sunt ab eorum voluntate, quæ continetur sub jure Summi Pontificis, tanquam omnium capitis, & pastoris, & fiunt hac conditione implicita, ut potestati, ac dispositioni ipsius, veluti superioris, subjaceant; quod nequaquam valet in materia sacramentorum, quæ à sola Christi voluntate dependent: & de facto circa allata plures contigit dispensatio, at circa consecrationem sub duplici, vel unica specie nunquam evenit. Respondent alii, in voto, juramento, ac Matrimonio nullam esse Ecclesiæ dispensationem, quandiu manet promissio voti, juramenti, ac Matrimonii; sed tantùm declarare, in aliquibus circumstantiis, votum, juramentum, ac Matrimonium non obligare.

327. Juxta dicta fabulam existimamus, quod refert Raphael Volaterranus lib. 7. Geographiæ cap. 4., Innocentium VIII. Norvegios dispensasse, ut una tantùm species ab ipsis consecraretur; quod etiam affirmat Onuphrius Panvinus in Chronico ad ann. 1490., imo pro eisdem idem asserit Claudius Saintes factum ab Innoc. IV., fabulam inquam existimamus: primò quia, ratio Volaterranì non subsistit, cum dicat: *Vinum in Norvegia non crescere, & aliunde allatum in acetum converti*. Compertum est enim, nunc tanto vino regionem illam abundare, ut & ipsi laici velint sub utraque specie communionem accipere: Secundò inquit laudatus Scriptor: *Innocentii VIII. concessione permissum esse sine vino calicem sacrificare*. Quo ergo liquore calix sacrificabitur? Hoc dato probaretur, non solùm Pontificem dispensasse, sed etiam materiam commutasse, quod est falsum. Quod si in hac re aliquod diploma proferatur; dicas cum Goneto ex Bzovio ad ann. 1490., tunc quosdam perditos Sacerdotes plura falsa Pontificis diplomata seminasse, inter quæ & istud de sub unica tantùm specie consecrandi dispensatione.

328. Nulla quidem firmior ratio afferri potest, quàm superiùs exposita: Nam lex Divina nulli subest dispensationi; & si aliqua opus est, soli Deo reservatur: non enim alia ratione dispensatur lex, quàm vel ex ignorantia legislatoris, qui casus omnes prævidere non potuit, vel ex defectu legis non in omni casu, publico, privatoque bono accommodatæ; at ubi agitur de lege Divina, hæc locum non habent, cum Deus omnia cognoscat, suasque leges omnibus casibus, omnibus aptet personis, nec tantùm præcipiat, quod fieri vult, sed ad mandata complenda vires porrigat, suamque gratiam largiatur; & cum ipse legum suarum modum, & terminos videat, omnibus quidem hominibus abditos, ipsi soli dispensatio, si qua opus sit, reservatur. Adde ad robur asserti nostri statuta Summorum Pontificum; Urbani II. cap. *Sunt quidam* q. 1., Zosimi cap. *Contra statuta*; Alexandri III. cap. *De usuris*. Ex quibus omnibus certo certius liquet, consecrationem sub duplici specie nullo pacto ab Ecclesia posse dispensari.

329. Opp. 1. Ecclesia circa sacramenta multa immutat; nam olim dabatur communio laicis sub utraque specie, nunc sub una tantùm; Est de jure Divino Sacerdotes sub utraque specie conficientes, utramque sumere, & tamen ordinati ab Episcopo non sumunt cali-

calicem: Confirmatio etiam de jure Divino datur ab Episcopo, & tamen Pontifice dispensante dari potest à simplici Sacerdote; & in extrema unctione licet aliquando unicam unctionem facere, nec non in sacramento pœnitentiæ confessionem dimidiam exponere; Tandem in sacramento Matrimonii olim contractus sine præsentia Parochi ac duorum testium sacramento sufficiebat; & post Tridentinum non sufficit: ergo etiam poterit Ecclesia mutare, seu dispensare circa consecrationem sub duplici specie.

330. Resp. Ecclesiam circa sacramenta multa disponere, vel mutare, in iis, quæ spectant ad ipsorum usum, ac dispensationem, & in iis, quæ non sunt de præcepto Divino absolutè, ut loquitur Trident. sess. 21. cap. 2. Porro communionem dari sub utraque, vel unica specie spectat ad usum & dispensationem Eucharistiæ è contrario consecrare sub utraque spectat ad substantiam, & est de jure Divino ex probatis.

Ad 2. ideo illud contingit, quia omnes se habent adinstar unius Ministri moraliter; Recole quæ in hac re dicta sunt ubi de pluribus consecrantibus inquirebatur, & juxta sententias diversas, quod opponitur rejicies.

Ad tertium. Episcopus est Minister ordinarius confirmationis; Quilibet Sacerdos extraordinarius: & si licet unicam unctionem facere, hoc licet instituto divino; atque in pœnitentia dimidia fieri potest confessio materialis, non formalis, quæ à domino præcipitur: Quare in hisce casibus Ecclesia non dispensat, sicut quod fœmina in casu necessitatis baptismum conferat, nulla intervenit Ecclesiæ dispensatio: Circa Matrimonium Ecclesia non mutat substantiam, sed ad valorem contractus hanc conditionem apponit, quod fieri posse etiam à regia, & sæculari potestate docet Gonetus, & cum ipso tradunt alii: Verùm quantum attinet ad matrimonium ampliora suo loco tradenus; quantùm verò spectat ad sacramenta Confirmationis, & Extremæ Unctionis jam diximus.

331. Opp. 2. Dari potest aliquis casus, in quo Ecclesia possit, & debeat consecrationem sub utraque specie dispensare: ergo: prob. ant. primò; Si qua regio careat vino: 2. Ne ægrotus sine viatico intereat. 3. Si Sacerdos consecrato pane, comperiat, vinum esse venenatum, aliudve deficiat. 4. Si Sacerdos videat, calicem ab hæreticis esse conculcandum. Tandèm Ecclesia nonne separat calicem à sacrificio, quod die parasceves peragitur? ergo poterit etiam separare consecrationem unius speciei à consecratione alterius, sicque &c.

Resp. ne. ant. ad primam & secundam probationem negatur: Si enim careat materia sacramenti debito modo conficiendi, careat etiam sacramento: & præceptum sumendi sacramentum ab ægrotis, tunc urget, quando parari potest juxta ea, quæ nobis jure divino præcipiuntur; alioquin etiam sine Altari, aut sacris Vestibus posset licitè fieri sacramentum. Ad tertium. Vinum illud non est usuale, ideò non est materia consecrationis, proindè si calix non consecretur, Ecclesia non dispensat. Ad quartum, vel dicas esse impotentiam moralem, vel teneri ad consecrandum calicem etiam cum mortis periculo, sicut teneretur ad fidem profitendum, quia si quis prohiberet, hoc faceret in contemptum religionis, præcepti divini, ac sacrificii, ut loquitur Joan. à S. Thom. Ad ultimum; negatur suppositum, eo etenim die neque fit sacramentum, neque sacrificium.

A R-

ARTICULUS III.

An jure divino concedenda sit laicis sub utraque specie communio.

332. Agendum nunc est contra Novatores, qui post sæculum decimum quartum Ecclesiam Christi in hac re non mediocriter perturbarunt; existimo enim ante hoc tempus nullam fuisse controversiam circa communionem sub una vel duplici specie, quidquid ab aliquibus asseratur; Primus igitur, qui laicis concedendam duxit sub utraque specie communionem fuit Petrus Dresdensis Pragæ in Bohemia Ludimagister; qui legens illa verba Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis; & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* obstupuit, & exclamavit, quare contra tam apertam Christi sententiam usu calicis laici defraudarentur: Hac de re, ut scribit Æneas Sylvius in histor. Bohemica cap. 35. admonuit Jacobellum Misnensem, qui tunc Pragæ concionatorem agebat; ut populum instrueret, non posse quempiam salutem consequi, nisi non solum panem manducaret, sed etiam de calice biberet; His successit Joannes Hus cum suis; qui pro calicis usu ita decertarunt, ut calices in omnibus parietibus pinxerint: Unde quidam.

Tot calices posuit Bohemorum turba per Urbes
Ut credas Bacchi numina sola coli.

333. Advenerunt Lutherani: qui licet superiori testimonio non uterentur; quia in illo sermonem de Eucharistia non fieri existimarunt; attamen in eadem convenerunt propter alia momenta sententia. Quid verò Lutherus eorum præceptor docuerit vix percipi potest; nisi unum ejusdem locum alteri præferre velimus; Siquidem primò in declaratione sermonis de Eucharistia docuit; non à privatis Episcopis, sed à generali Concilio definiri posse, an utraque species sit porrigenda; deinde mutata sententia in assertione artic. 26. dixit; quemcumque Episcopum, etiam reluctante Summo Pontifice, posse in sua Diœcesi utramque speciem laicis dare; posse tamen unumquemque fidelem pro arbitrio suo unam sumere alia omissa dummodò hanc desideraret: Postea in libro de Saxonica visitatione ita damnat communionem sub una specie, ut asserat esse Christi institutioni contrariam. Denique, quod magis vesanum est ac impium, in formula Missæ ita scripsit; *Si quod Concilium statueret, aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utraque uti vellemus; sed in despectum Concilii ejusque Statuti, aut una, aut neutra, & minimè utraque uti vellemus; maledicturi universos, qui ex potestate, aut Statuto Concilii utraque uterentur.*

334. Calvinus lib. 4. instit. cap. 17. asseruit, edictum æterni Dei esse, ut omnes biberent, quod & affirmarunt Brentius in apologia confessionis Wirtemberg. Melanct. in alia confessionis Augustanæ; Martinus Kemnit. in 2. par. Concilii Trident. sess. 21. aliique. Verùm contra omnes.

Dicendum nulla necessitate laicos teneri ad communionem sub utraque specie. Hoc est dogma fidei definitum præsertim in duobus Conciliis Constantiensi, & Tridentino. Primum sess. 13. sic statuit; *Cum in nonnullis Mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere sacramentum Eucharistiæ sub utraque panis & vini specie suscipere &c. & subdit; Præcipimus sub pœna excommunicationis, quod nullus Presbyter communicet populum sub utraque specie panis & vini.* Secundum sess. 21. can. 1. habet hæc verba. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sacramenti Eucharistiæ sumere debere, anathema sit.*

335. Assertio exposita nulla indigeret

ſpecie dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, & conſecrato calice inquit; *Bibite ex hoc omnes*: ergo ex præcepto divino danda, & ſumenda eſt communio ſub utraque ſpecie.

Hiſce ſcripturæ textibus peregregiè reſpondet Tridentinum per textus à nobis adductos; dicens: *Qui dixit, niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: Unde eadem vita, quæ tribuitur pani, & vino, tribuitur ſoli pani; conſequenter &c.

Magis tamen ſatisfaciam illos explicando, atque in primis concedam duos priores, quid inde? Cum ſub ſpeciebus panis contineatur etiam ſanguis Chriſti, qui manducat ejus carnem, bibit etiam ejus ſanguinem; & cum ſub ſpeciebus vini contineatur ejus corpus, qui bibit ejus ſanguinem, manducat etiam ejus carnem; ideò in unica ſpecie præceptum illud adimpletur. Verum non adeo ſtrictè me geram contra hæreticos, ut oſtendam quot modis eorum poſſint errores refelli; Dicam, particulam *&* in textibus adductis ſumi aut negativè, aut disjunctivè, ita ut ſenſus ſit, ſi non manducaveritis meam carnem, vel non biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem, vel bibit meum ſanguinem habet vitam æternam. Atque hujuſmodi eſt conſuetudo Scripturarum; Sic Exodi 21. habetur. *Qui percuſſerit Patrem, & Matrem, moriatur* nec tamen particula *&* intelligitur copulativè, ſed disjunctivè. Act. 3. legitur: *Argentum & aurum non eſt mihi*; & tamen *&* intelligitur negativè, ideſt neque argentum, neque aurum eſt mihi. Joan. 15. *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem*, ſcilicet & non loquutus fuiſſem, *peccatum non haberent*. Hoc modo etiam dum dicitur. *Niſi manducaveritis carnem &c.* Dicam ulteriùs, dari aliquod præceptum à Domino, quod non eſt commune, ideſt ab omnibus & ſingulis obſervandum. Hujuſmodi eſt illud, *Creſcite, & multiplicamini*: hoc enim dictum fuit hominibus, non tamen ut omnes cogerentur ad liberos procreandos: Tale eſt in caſu noſtro illud, *Niſi manducaveritis &c.* nimirum, niſi fuerint aliqui in Eccleſia, ſcilicet Sacerdotes, qui manducent carnem, & bibant ſanguinem filii hominis, non habebitis vitam in vobis; quia tunc deerit, qui hoc ſacramentum conficiat; conſequenter non dabitur vita, quæ per illud porrigitur & fovetur.

Textus ille: *Hoc facite in meam commemorationem* invenitur tantùm apud Lucam poſt datum ſacramentum ſub ſpecie panis; & ſi apud S. Paulum bis legitur, diverſo modo legitur; nam poſt panis conſecrationem abſolutè dicitur, *Hoc facite &c.* poſt verò conſecrationem vini, tantùm conditionatè, ſcilicet, *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*, qui modus diverſus indicat, diverſimodè datum eſſe præceptum. Præterea; non omnia quæ facta & dicta ſunt à Chriſto, à nobis etiam fieri præcipiuntur; alioquin ante ſumptionem Euchariſtiæ deberemus etiam alter alterius lavare pedes. Attendenda ſunt igitur ea, quæ ſpectant ad rei ſubſtantiam, nequaquam ad modum, quem Chriſtus Eccleſiæ liberum reliquit, prout circumſtantiæ poſtulaverint.

Alia verba: *bibite ex hoc omnes*, referuntur ad Sacerdotes conſecrantes & conficientes, ut fusè ac disertè probat Bellarminus. Quod ſi argumentum de quo adeò gloriatur Lutherus, ut dicat. *Ego fateor, iſta me ratione mihi invicta ſuperatum, nec legiſſe, nec audiviſſe, nec inveniſſe quid contra dicam*. Jam deberent bibere Turcæ, Ethnici, imò & abſtemii; quibus tamen denegant calicem ipſi Lutherani; Adde, hunc terminum univerſalem, *Omnes*, in ſcripturis non accipi ſemper univerſaliſſimè; alioquin illud Apoſtoli, *Omnes quærunt, quæ ſua ſunt*, etiam ſan-

ctos viros includeret; & illud *Clamaverunt omnes crucifige*; etiam Apostolis, & mulieribus cruci adstantibus convenisset: Quare autem referantur ad solos Apostolos, colligi potest ex circumstantiis descriptis ab Evangelista. *Cœnantibus*, inquit, *eis &c. accepit Jesus panem &c. & accipiens calicem gratias egit &c. dicens, bibite ex hoc omnes*. at quinam fuerunt isti cœnantes, quinam illi, quibus dedit? nonne soli Apostoli, qui hymno dicto exierunt in montem Oliveti?

Neque omnia, quæ Apostolis dicta, & præcepta sunt, omnibus & singulis dicta esse, debet concludi, quamvis aliqua ita se habeant, ut quando Marci 13. inquiit Christus; *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate*. Aliter, cum dictum fuerit Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* Et. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Omnes tenerentur ad docendum, baptizandum, & à peccatis absolvendum.

339. Arguit ex superiùs dictis Lutherus. Ita dixit Christus, *bibite ex hoc omnes, sicut manducate ex hoc omnes*: ergo sicut laici communicantur sub specie panis; ita sub specie vini; vel si non sub specie vini, neque sub specie panis. Præterea: dicitur de sanguine. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur*. Ergo sanguis debet dari omnibus, pro quibus effusus est; sed est effusus etiam pro laicis; ergo debet his etiam concedi. Hoc est secundum argumentum, de quo ipse Lutherus triumphans ait: *Hoc maximè omnium urget, penitùsque me concludit*.

Resp. Christum in prima institutione præcepisse tantùm Apostolis, & in Sacerdotio successoribus comedere corpus, & suum bibere sanguinem; non tamen prohibuisse, dari corpus & sanguinem sub unica tantùm specie, imò neque sub duplici; quia de facto viguit usus iste, & postea pluribus rationibus Ecclesia mota est ad prohibendum; ut videbimus. Præceptum pro laicorum communione non desumitur ex illis textibus: *Manducate ex hoc omnes: Bibite ex hoc omnes*.

Ad 2. dico in primis; sanguinem omnibus dari, quia sub unica specie panis continetur corpus, & sanguis Christi: Unde Lutheri argumentum jam corruit. 2. Non tenet, nam dari deberet omnibus Turcis, Judæis, abstemiis, impiis, quia pro hisce omnibus fusus est. Quod si Paulus 1. ad Corint. 11. inquit, se accepisse à Domino, quod & fidelibus tradebat, & sumendam esse Eucharistiam sub utraque specie; intellige à Domini exemplo, non præcepto, & ad summum posse laicos sic communicari, non tamen debere. Cæterum cum Apostolus dixerit; *Quicumque manducaverit, vel biberit &c.* ex modo loquendi disjunctivè, apertè innuit, posse sub una vel altera specie communionem sumi: & cum subdiderit, *non dijidicans corpus Domini*, nulla sanguinis facta mentione; jam clarè patet, expressam sanguinis sumptionem non esse præceptam, sine qua adhuc à fidelibus sumentibus fieret commemoratio passionis & mortis Christi; licet non tam expressè, sicut si utramque sumerent speciem.

340. Opp. 2. ex Sanctis Patribus, qui plures sunt, & afferuntur à Bellarmino lib. 4. de Eucharist. cap. 26. Horum ego testimonia non proferam, sed pro omnibus afferam explicationem; Miror tamen ab hæreticis Patres afferri, qui Patres adeo contemnunt; dum de transubstantiatione, vel justificatione est sermo. Itaque Patres loquuntur, vel de usu aliquorum fidelium sumendi etiam calicem; vel de sanguine sumendo sub ea specie, sub qua sumitur corpus; vel præceptum Divinum extendi ad Sacerdotes; vel omnes æquales esse quantum ad fructum & gratiam, ut ostendam: nunquam tamen in sensu hæreticorum. Aliqui etiam invehunt contra aquarios, qui in calice Eucharistico solam aquam offerebant; ita S.Cyprian.

prian. in epist. 3. ad Cæcilium. Aliqui contra Manichæos, qui superstitione quadam vinum non sumebant: ita Gelasius &c.

341. Opp. 3. ex Conciliis. Concilium Turonense præcipit, dandam esse Eucharistiam ægrotis sanguine intinctam; & si dicatur, hoc decretum fuisse à Concilio Bracharen. abrogatum: contra est: Brachar. assignans causam hujusce abrogationis dixisse; quia Dominus dedit utramque speciem seorsim; ergo ex isto utraque species non simul, sed seorsim debet exhiberi.

Constantiense sess. 13. definivit, esse communicandum sub unica specie, non obstante Christi institutione; fatetur igitur institutionem Christi fuisse, ut sub duplici specie fieret communio.

Basileense declaravit; licere Bohemis utramque speciem sumere; licet ex Constantiensi aliter præscriptum fuerit.

Tandem Tridentinum permittit communionem sub utraque specie.

Resp. admittendo responsionem; ad impugnationem; non probatur esse præceptum; sed innuitur, quod si utraque species debet dari, quæ dari quidem potest, nisi Ecclesia aliter percipiat; esset danda seorsim. Ad 2. Aliud est, Christum instituisse Eucharistiam sub duplici specie, & aliud est, præcipiendam esse sub duplici; instituit Eucharistiam & distribuit discipulis non jejunis; ergo ne est præceptum dandi non jejenis? Ad 3. Permissa fuit Bohemis communio sub utraque specie, dummodò crederent sufficere, & licitam esse sub unica; Deberet tamen ex hac permissione inferri, non esse Divinum præceptum, ut laici sub utraque communicent. Concil. Tridentin. mens jam manifesta est ex dictis post nostram assertionem; Retulit tantùm sess. 22. rem ad Pontificem, inquirendo, utrum alicui Regioni concedendus esset usus calicis; ex quo non probatur præceptum; sed è contra.

Superest modo, ut breviter perpendamus, quibus de causis Ecclesia laicis sub unica tantùm specie communionem nunc permittat. Ecclesiam mutare posse, & præscribere in iis, quæ ad substantiam sacramentorum non pertinent, nec à jure Divino descendunt; tanquam certum habendum est, & de facto plura præscripsit, atque mutavit: Unde cum communio sub utraque specie non spectet ad substantiam sacramenti Eucharistiæ; neque habeatur de jure Divino, uti probatum est; potuit Ecclesia præcipere ut sub unica tantùm specie communio fieret à laicis.

Pluribus autem justisque de causis ita præcepit; Hoc enim maximè decebat tàm eximii adeo sacramenti venerationem, quàm populorum suscipientium utilitatem. Primum quidem, nam quo pacto vitari potuisset periculum vel corruptionis, vel effusionis specierum, aut cum ad infirmos deferri debuisset; vel cum in solemnioribus festis magna populi multitudo communicatur? Eveniret profectò, quod jam evenisse testatur Concilium Basileense; nempe, quod deficiente vino consecrato; vel deberet consecrari solus calix; vel pro consecrato porrigi non consecratum. Secundum verò; nam si sumenda esset Eucharistia sub duplici specie, quid foret de abstemiis? quid de illis regionibus, in quibus deficit vinum, & vix ad eas potest afferri, aut allatum servari? Quid de Sacerdotibus, qui deberent consummare quidquid sanguinis superfuisset sordidis, fætidis, malè affectis &c.

Movit etiam præsertim Ecclesiam ad hujusmodi præceptum stabiliendum error hæreticorum, quos coerceri expediebat: Etenim isti vel negabant sanguinis concomitantiam sub speciebus panis; vel dicebant, Ecclesiam, olim permittendo communionem sub unica specie, errasse. Unde ad utrumque errorem divellendum meritò communionem hoc modo sumendam præcepit.

Sed quid plura? Sit pro omnibus Concilium Tridentinum sess. 21. can. 2. dicens: *Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis rationibus & causis adductam fuisse, ut laicos atque etiam Clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.*

ARTICULUS IV.

Utrum major gratia conferatur sumenti sub utraque specie Eucharistiam, quam sumenti sub unica.

342. Certum est, ex qualibet specie seorsim percepta tantùm fructus haberi, quantùm necessarium est ad salutem, ut ex Concil. Trident. sess. 21. can. 3. Fructus enim ab hoc sacramento colligendus, est gratia Dei animæ infusa, ita conservans vitam animæ, sicut per ciborum nutritionem conservatur vita corporis: hæc autem gratia confertur à qualibet specie seorsim, cum sit verum sacramentum, quod & confirmatur ex illo Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Doctores Catholici, ut magis se opponant hæreticis, conquerentibus de Ecclesia, quod cum usum calicis laicis prohibuerit, illos majori gratia defraudaverit, communissimè defendunt, non plus gratiæ conferri à duplici specie, quam ab unica; Nihilo tamen minus sunt aliqui concedentes plus gratiæ concedi, non quidem necessariæ ad salutem, ut contendunt hæretici, sed uberioris nequaquam necessariæ, sed magis utilis. Ita censuerunt in Concil. Trident., ut refert Palavic. lib. 12. cap. 2. Melchior Canus, Antonius Uglioa, Sigismundus Fedrius, & postea Vasquez disp. 215. qu. 80. art. 2. aliique, quos ipse citat.

Priorem ego sententiam amplector, quæ quamvis non sit expresè definita in Trident., attamen satis indicatur, cum in laudato loco dicat, in unica specie sumi totum Christum omnium gratiarum fontem.

343. Eam sic probo. Si plus gratiæ recipit communionem sumens sub duplici specie, quàm sub unica, vel erit ex parte specierum, vel ex parte illius, qui continetur sub speciebus; sed neutrum dici potest; ergo. Prob. prima pars minoris. Tam una species, quam duplex est idem formaliter instrumentum gratiæ, cum non habeatur alia vis producendi gratiam, quàm per Christum sub ipsis contentum; Christus autem idem est sub una, ac sub duplici specie, & per duplicem datur tantùm major expressio, & materialiter diversa significatio convivii spiritualis adinstar potus & cibi; igitur ex parte specierum gratia major oriri non potest; sicut licet baptismus, collatus per trinam immersionem, magis & expressius significet, baptizatum consepelliri Christo, quàm collatus per simplicem aspersionem; attamen non plus justificat, ita licet duplex species expressiùs significet &c., non tamen &c.

Probatur secunda pars primæ minoris. Si plus gratiæ recipit ex parte illius, qui continetur; vel est quia res, quæ continetur est duplex, & quælibet operatur aliquid in anima recipientis; & hoc non, quia unus idemque Christus est sub utraque specie; vel quia licet eadem res in utraque specie contineatur; attamen bis sumpta majorem gratiam causat; & hoc neque, quia dum bis sumitur eodem tempore, sumitur adinstar unius refectionis; & sequeretur, quod qui duas particulas sumeret unam post alteram majorem gratiam reciperet, quàm qui unam tantum, quod non; vel quia licet eadem res contineatur; tamen corpus sub specie panis continetur de formali, reliqua verò de concomitanti; & sub specie vini sanguis de formali, reliqua pariter de concomitanti, sed hoc non obstat; nam gratia confertur tum ab eo, quod continetur de formali, tum ab eo, quod de

de concomitanti; imò principaliùs ab hoc, gratia enim confertur potissimùm à personalitate Verbi, & natura Divina; ergo non potest plus gratiæ recipi ex parte rei, quæ continetur. Proinde ex nullo capite probari potest, plus gratiæ conferri sumpta utraque specie, quam unica tantùm.

344. Opp. 1. Si Sacerdos communicans sub utraque specie, uberiorem gratiam non reciperet; vel totam reciperet in sumptione primæ speciei, vel secundæ; vel partem in prima, partem in secunda: nullum diei potest: ergo. Prob. mi. non primum, alioquin secunda species esset inutilis, nec sacramentum, quia non produceret gratiam in subjecto disposito; non secundum propter eamdem rationem; non tertium, quia non est major ratio, cur tota gratia producatur in laico sumpta prima specie, non in Sacerdote; vel si hoc admittatur, infertur plus gratiæ conferri ab utraque specie, quàm ab una sola: ergo.

Resp. conc. maj. ne. mi. & dico, quod recipitur tota gratia per sumptionem primæ speciei, neque ex hoc secunda species est inutilis, nec sacramentum; non inutilis, quia per eam magis exprimitur & explicatur convivium spirituale, & magis ostenditur natura sacrificii per formalem sanguinis separationem; non nec sacramentum, quia ad notionem sacramenti non est causare actu, sed posse causare gratiam in subjecto disposito, in nostro autem casu subjectum non esset dispositum ad gratiam recipiendam, quia tota gratia producibilis juxta exigentiam dispositionis jam esset producta. Hoc patet in eo, qui sumpta una particula acciperet aliam, juxta dicta.

345. Opp. 2. Gratia in sacramento Eucharistico confertur ab eo, quod est in ipso de formali, & non de concomitanti; ergo ex parte rei contentæ confertur plus gratiæ sumendo Eucharistiam sub duplici specie, quam sub unica. Prob. ant. Gratia in sacramento Eucharistico confertur ab eo, quod constituit formaliter tale sacramentum, sed hoc est, quod in ipso est de formali, quia sine illo, quod est de concomitanti adhuc esset verum sacramentum, & de facto, si in triduo mortis Apostoli consecrassent, verum sacramentum confecissent, nec tamen sub specie panis fuissent anima & sanguis: ergo. Hinc Clemens VI. concessit Regi Angliæ communionem sumere sub utraque specie ob incrementum gratiæ.

Resp. ne. ant. ad prob. dis. maj. quod constituit formaliter tale sacramentum ut connexum cùm persona Verbi conc. maj. utcumque ne. maj. eodem modo dist. mi. ne. conf. quod totum explicatur ex dictis in prob. Corpus enim Christi non causat gratiam utcumque corpus est, sed quia corpus Christi affectum subsistentia Verbi Divini juxta illud Cyrilli lib. 4. in Joan. cap. 23. *Corpus Christi vivificat, quia non est corpus cujusvis hominis, sed vitæ authoris, & in quo habitat divinitatis plenitudo.*

Ad additum de triduo mortis dico; quod si non fuissent anima & sanguis, fuisset tamen divinitas, & ideo fortasse anima & sanguis dici possunt in sacramento per accidens, non sic divinitas, nisi sumendo per accidens ut opponitur ex vi verborum.

Clementis VI. concessio valdè suspecta est; in primis non consentiunt Scriptores, utrum facta fuerit Regi Angliæ, vel Galliæ, nec Regis nomen exponunt. Secundo quia, Clemens VI. fuit ante Concilium Constantiense, in quo primùm usus calicis communi lege prohibitus fuit; proinde nulla opus erat concessione. Tandem, quia Pontifex iste electus fuit ann. 1342., illa autem concessio dicitur facta ann. 1341. Si tamen eam permittamus, dici potest, hoc factum esse ob incrementum accidentale gratiæ, cum Christus, quandiu est in stomacho majorem gratiam producat,

cat, aucta magis ac magis subjecti dispositione, & spiritus fervore, quod etiam fieret si sumerentur plures particulæ.

346. Opp. 3. Concilium Trident. sess. 21. c. 3. docet, nulla gratia ad salutem necessaria defraudari eos, qui unicam tantum speciem accipiunt; supponit ergo aliquam gratiam conferri, quamvis non ad salutem necessariam, per sumptionem utriusque speciei.

Resp. Concilium Tridentinum rem egisse tantùm adversus hæreticos, proinde ipsi satis fuisse, statuere, gratiam ad salutem necessariam per unicam tantum speciem conferri, quod negabant hæretici: Quod verò salva fide inter Catholicos Theologos controverti potest, intactum reliquit; ut in pluribus aliis: Quanquam, quo pacto à Concilio sententia nostra iudicata fuerit, jam diximus.

347. Opp. 4. Si res ita est, quare per tot sæculorum seriem sumpta fuit à fidelibus Eucharistia sub utraque specie? Quare post Concilium Constantiense, in quo calicis usus prohibitus fuit, plures populi, pluresque Principes, usum hunc restitui iteratis precibus postularunt?

Resp. plura concessa fuisse ab Ecclesia aliquibus temporibus, quæ postea varias ob circumstantias fuerunt interdicta: fideles, qui accipiebant Eucharistiam, non judicabant majorem gratiam conferri à duplici specie, quam ab unica; sed id tantùm fiebat vel propter exemplum Christi; vel ad expressiorem mortis Christi ac passionis recordationem: At cum ad illud tempus ventum fuit, quo existimatum est, sub unica specie gratiam non recipi, sed utramque necessariam esse; hoc ab Ecclesia fuit prohibitum, tum ob alias rationes, quas infra afferemus.

Ad secundum: Plures fuerunt, qui usum calicis sibi restitui postularunt; sed non omnes eodem fine; Aliqui enim animo plenè hæretico ducti, arbitrantes vel totum Christum sub qualibet specie non contineri, vel integrum non esse sacramentum, nisi sub duplici specie: Aliqui verò prudentem sequentes economiam, sibi persuadentes, ut restituto calice possent omnes ad unitatem & concordiam revocare; sed frustra: etenim Bohemi, quibus concessus fuit calix, non solum in sua pervicacia remanserunt, sed audaciam suam magis confirmarunt.

348. Opp. 4. Qui bis recipit Christum, plus gratiæ recipit, quàm qui semel tantùm: sed qui communionem sumit sub utraque specie, bis recipit Christum; ergo plus gratiæ recipit.

Præterea. Diversus est effectus Christi sub speciebus panis ab effectu ejusdem sub speciebus vini: probatur. Christus sub speciebus panis gratiam confert ad animam hominis confirmandam; sub speciebus vini ad lætificandam, juxta illud; Panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat cor hominis: ergo.

Rursus; Qui accepit species panis habet majorem dispositionem, ut inde recipiat species vini: ergo species vini majorem conferent gratiam, & distinctam ab ea, quam contulerunt species panis: ant. ostenditur, quia species panis gratiam protulerunt, seu augmentum gratiæ, quę priùs non erat: sed quo major est gratia, est major dispositio: ergo.

Tandem; Ideo per nos non confertur major gratia, quia sunt unum & idem sacramentum tam species panis, quam species vini; at hæc ratio non probat, nam etiam plures ordines sunt unum & idem sacramentum ordinis, & tamen per diversos ordines diversa gratia confertur: ergo à pari.

Resp. Primum est verum, quando bis recipitur Christus per respectum ad duplicem animæ refectionem, non quando per respectum ad unicam: Qui autem duplicem speciem reciperet, bis Christum reciperet sed in priori sensu, non

non in posteriori; integra enim & perfecta habetur refectio tam sub unica, quàm sub dupli**c**i specie.

Hinc ad 2. negatur assumptum; nam cum sub unica specie sit totus Christi, non solùm quo ad corpus, sed etiam quoad sanguinem; habetur cibus, qui simul sit potus; & ideo idem præstatur per species panis, quod simul præstaretur per species vini; pro quo recole quę diximus artic. primo hujusce tractatus.

Ad 3. ad summum argumentum est verum de majori dispositione habituali, nempe per augmentum gratiæ habitualis; non tamen de dispositione actuali & propria operantis, quæ major esse potest in illo, qui unicam tantùm accipit speciem, & in illo, qui etiam habet minorem gratiam habitualem: gratia autem major confertur non juxta dispositionem habitualem, & gratiam sacramentalem collatam; sed juxta dispositionem actualem, quæ habetur ex Spiritus Sancti motione, nequaquam à sacramento.

Ad ultimum; in primis dispar est ratio; quia sacramentum Ordinis unum est genere, nequaquam specie; unus enim ordo specie differt ab alio; non sic sacramentum Eucharistiæ, quod unum sub duabus speciebus diximus esse in specie atoma: Secundò, quia in unoquoque ordine est distinctum munus, proinde etiam requiritur distincta gratia; At in re nostra idem est munus in utraque specie; est enim spiritualiter nutrire; æqualiter autem nutrit sacramentum sub una specie, ac sub duplici; proinde &c.

Observa; assertionem nostram procedere, si pares sint dispositiones in illo, qui unicam suscipit, illis, qui sunt in alio duas species recipiente: nam certum est, quod si quis sumptis speciebus panis, novòs actus eliceret devotionis, & charitatis, & inde sumeret species vini, majorem gratiam acquireret; sed idem etiam valeret, si iterum sumeret species panis, & ex alia parte dispositiones illæ majores, quæ sunt acceptis speciebus panis, haberi possunt etiam ante, in quo casu, qui sumeret unicam tantum speciem, majorem obtineret gratiam, quam qui duplicem, si iste minus esset dispositus.

ARTICULUS V.

Quonam præcepto teneantur fideles ad Eucharistiam sumendam. Additis aliquibus aliis.

349. NOn defuerunt aliqui ex insignioribus etiam Theologis, ut Alexander, Gabr., Silvester, Ferrarien., qui dixerint, nullo præcepto Divino teneri fideles ad sumptionem Eucharistiæ; existimantes nullum esse Scripturæ locum, ex quo inferatur & ex alia parte, si consideretur effectus, ad quem instituta fuit, non minus necessaria judicanda forent alia sacramenta, solis Baptismo, & Pœnitentia exceptis; Quod igitur debeant hujusce sacramenti per realem sumptinnem participes fieri, præceptum dumtaxat agnoscunt Ecclesiasticum, ut habetur in cap. *Omnis utriusque sexus*. De pœnitentiis & remissionibus.

350. Contrarium tamen asserendum est, quod docuerunt omnes alii Doctores; & duo sunt præcipui textus Scripturæ, ex quibus hoc habetur. Unus est Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quem intelligendum esse, non de sola manducatione spirituali per fidem, sed reali & per os, explicarunt Innoc. I., Augustinus, Gelasius, nec non Innocent. IV. lib. 4. de mysteriis Missæ c. 24. ubi etiam asserit, pertimescendum esse mortis periculum, si Eucharistica perceptio nimiùm differatur, cum Christus dixerit, *Nisi manducaveritis &c.* Alter est Luc. 22. & 1. ad Corint. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*. Mandat nimirùm Christus Apostolis eorumque

que in Sacerdotio successoribus, ut ipsi faciant, quod ipse fecit; ipse autem non solum Eucharistiam consecravit, sed etiam distribuit; nequit autem dari præceptum, ut Eucharistia distribuatur, nisi etiam detur, ut percipiatur: atque ita laudata verba intellexit Concilium Tridentinum sess.13. cap.2., ubi postquam dixit, Christum Dominum, discessurum ex hoc mundo ad Patrem, hoc sacramentum instituisse; statim addit: *Et illius sumptione recolere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ad judicandum veniat; sumi autem voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit &c.* quibus verbis innuitur etiam ratio, quia sacramentum hoc ad spiritualis vitæ conservationem institutum est; tenentur autem omnes fideles jure Divino ad spiritualem vitam conservandam; proinde &c.

Dices, ex hoc probari dari etiam præceptum naturale, quia jure naturæ vita spiritualis conservari debet; Perperam reponis, siquidem sicuti naturali lumine vita hæc spiritualis non agnoscitur, ita jure naturali conservari non debet; reponam verò sic ego; Naturali præcepto conservari debet vita naturalis: ergo Divino præcepto conservari debet vita supernaturalis, sed hæc conservatur per sumptionem Eucharistiæ, ergo.

Porro hoc quod de Eucharistia diximus, pro aliis sacramentis vivorum non tenet, cum pro istis non habeamus Scripturæ textus, nec alicujus Concilii definitiones; proinde &c.

351. Si autem à me quæras, quandonam hoc Divinum præceptum obliget, quia cum sit positivum, certum est semper non obligare. Respondeo, in Scripturis Sanctis nullum determinatum tempus reperiri; attamen ex praxi Ecclesiæ infertur primo obligare in mortis periculo; tunc enim præsertim necessario muniendus est animus, ut adversus Diaboli tentationes resistere valeat, & sic habemus expressum in pluribus Conciliis. Nicæno 1. can. 13. Carthag.4. can.77., Arelat.2., Agath., Tolet. 11., aliisque: Secundò obligat etiam non semel in vitæ decursu, quia non tantum pro morti proximis, sed etiam pro sanis fuit instituta Eucharistia; quippe qui ex frequenti cum mundo, carne, ac Dæmone conflictu vires extenuari experiantur; proinde cœlesti isto pabulo eas reparare debent, ac adaugere. Quod si in aliquibus Ecclesiis fuit aliquando denegata Eucharistia; hoc non evenit; quia senserint, pœnitentibus in periculo mortis constitutis Eucharistiam concedendam non esse; sed, vel ut cæteri fideles à gravioribus criminibus deterrerentur, ut loquitur S.Augustin.; vel quod justiùs arbitror; quia illi, quibus negabatur Eucharistia, agnoscebantur impænitentes, illamque postulare non peccati timore, ac sincero pœnitentiæ motu, sed solum timore mortis, & ad quamdam apparentiam, ut dixerunt Patres in Concilio Arelatensi 1. can. ultimo.

352. Ultra autem præceptum Divinum; datur etiam præceptum Ecclesiasticum: quod colligitur ex Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. 21. quod incipit: *Omnis utriusque sexus fidelis*, in quo præcipitur, ut ad minùs in Paschate reverenter sumatur, & non sumentibus interdicitur, dum vivunt, in Ecclesiam ingressus, ut dum moriuntur, Christiana sepultura; & Concil. Trident. sess. 13. can. 9. sic statuit. *Si quis negaverit, omnes & singulos fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.*

353. Expediens autem valdè fuit, ut tempus, quo necessariò sumenda foret Eucharistia, ab Ecclesia præciperetur: in hoc enim puncto tanta fuit diversa

versa consuetudo, ut fermè tot fuerint mores, quot tempora. Sub Ecclesiæ primordiis debebant quotidie fideles sacra Eucharistia se reficere; & si secus fecissent, ab ingressu Ecclesiæ prohibebantur; Sic habetur in can. *Episcopus*, de consecrat. dist.1., qui desumptus est ex epist. Anacleti Papæ epist. 1. cap. 2. Istiusmodi consuetudo, seu lex inde cessavit, cujus loco juxta Dominicum Sotum in 4. dist. 12. qu. 1. art. 10. successit osculum pacis, quod in tabella defertur; quanquam hoc dicendum non videatur, cum ex Dionysio de Eccles. Hierarch. cap. 3., & Cyril. Hierosolymit. catac. 6. osculum istud daretur, etiam dum vigebat usus quotidianæ communionis: Potius igitur substitutus fuit panis benedictus, ut habetur in Concil. Nannetensi can. 9., ubi statuitur, ut pro iis, qui die Dominica communionem percipere non possent, benedicti panis pars servaretur.

354. Post hæc Fabianus Papa fideles obligavit, ut saltem ter in anno Christi corpus acciperent, nempe in Domini nativitate, Paschate, & Pentecoste: Ita habetur in can. *Etiamsi non frequentius*, de consecr. dist. 2. nec non tam in Concil. Agath. can.18., & refertur can. *Sæculares*, de consecr. dist. 2. quàm in Concil. Turonen. sub Carolo Magno cap. 50. Tandem fidelium cor adeo carnalibus desideriis, & sæculi legibus obstrictum se fecit; ut debuerit Ecclesia, ad saltem semel in anno eos obligare; ut dictum fuit ex Concil. Lateranen. & Tridentino.

355. Hic verò inquirendum se exhibet. Primò. Utrum qui indignè Paschali tempore Eucharistiam receperit, satisfecerit præcepto.

Responsio est negativa: etenim præceptum Ecclesiasticum determinavit tempus, quo adimpleri deberet præceptum Divinum; sed præceptum Divinum non adimpletur per communionem sacrilegam; *probet enim se ipsum homo, & sic de pane illo edat*. Ergo nec adimpletur præceptum Ecclesiasticum. Præterea; Dum Ecclesia præcipit audiendum esse sacrum die festo, non adimpletur ejus præceptum ab eo, qui absque necessaria devotione, & attentione illud audit: ergo à pari dum Ecclesia præcipit, Eucharistiam sumendam esse tempore Paschatis, non adimpletur hoc præceptum ab eo, qui absque necessaria dispositione illam sumit: & certè quis unquam dicet, præceptum Ecclesiæ servari posse per sacrilegium? Dixerunt tamen aliqui, quorum propositio erat: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Sed hæc damnata fuit ab Innocent. XI. ann. 1679. die 2. Martii.

Dices; Si quis reciperet baptismum in statu peccati, satisfaceret præcepto, quo obligatur ad baptismum recipiendum: ergo à pari. Præterea; dignitas vel indignitas pertinet ad modùm actionis, non ad actionem; modus autem non est sub præcepto.

Sed contra. Paritas non tenet; primo quia Baptismus iterari non potest, & sic si indignè recipiens Baptismum præcepto non satisfaceret, nunquam amplius satisfacere posset: Hoc non valet de Eucharistia; Secundo quia, Baptismus etiam in indigno habet aliquem effectum, propter quem institutus est; imprimit siquidem characterem: at Eucharistia in eo, qui indignè accipit, nullum effectum producit, nisi eum magis condemnando.

Ad 2. dico: modum actionis esse sub præcepto, quando præcepto exprimitur, & est necessarius ad finem actionis; Utrumque autem in re nostra affirmari debet, quia præceptum est, ut antequam edamus de illo pane, nosmetipsos probemus: & finis Eucharistiæ est spiritualis nutritio, quæ obtineri non potest nisi à dignè sumentibus, atque ita habes, præceptum positivum recipiendi Eucharistiam includere aliud præceptum negativum, nempe indignè non sumendi.

356. Quæres 2. Utrum qui ante Pascha communionem acceperit in sua Parochia, adimpleverit præceptum; vel qui non communicaverit in Paschate in sua Parochia teneatur prima data occasione ibi communicare.

Resp. ad primum; adimplevisse, etenim quantùm ad substantiam servata est lex, & Ecclesia præcipiens, utitur illis terminis limitantibus, *saltem*. *Ad minus*. Quibus innuitur quod à nobis dicitur.

Resp. ad 2. teneri; Etenim Ecclesia præcipiens, communionem non esse differendam ultra Pascha, non abstulit obligationem communionis faciendæ post; sicuti si quis intra mensem Januarii esset obligatus ad solvendum centum, non sequeretur elapso Januario non esse ampliùs obligatum: neque existimes præceptum hoc esse alligatum tantùm tempori Paschali, sicut recitatio officii est alligata illi diei. Ampliora dicam, dum de confessione sacramentali in proprio tractatu erit sermo.

ARTICULUS VI.

Utrum Eucharistia necessaria sit ad salutem.

357. Aliam esse necessitatem medii, aliam præcepti alibi dictum est; nec eadem repetemus: necessariam esse necessitate præcepti, superiùs demonstratum fuit: superest, ut pauca dicamus de necessitate medii.

Sentiendum negativè, & quidem nec in re, nec in voto.

Ratio prioris partis est; quia parvuli per sacramentum Baptismi in Dei filios regenerati, quin actu Eucharistiam percipiant, vitam æternam consequuntur: *nihil enim damnationis est iis, qui sunt in Christo*, ad Rom. 8., & ad Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Adulti etiam in ea rerum circumstantia interdum constituuntur, ut Eucharistiam in re nequaquam possint manducare; ut illi, qui inter infideles degunt, qui patiuntur vomitum &c. & quamvis antiqua Ecclesia in quibusdam locis tribuendi infantibus Eucharistiam morem servaverit; attamen, ut loquitur Tridentin. sess. 21. cap. 4. *Ut sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia tenendum est*. Has autem probabiles rationes non alias fuisse existimo; quàm vel ut se opponerent Ethnicis, qui cibos idolis oblatos infantibus porrigebant; vel ne pueri à Dæmonibus & lamiis læderentur: Quod si res aliter esset, sequeretur; quod sicuti, quia baptismus est necessarius necessitate medii ad salutem, voluit Christus, ut quilibet possit baptizare, ita voluisset etiam, ut quilibet posset Eucharistiam conficere.

Ratio posterioris partis est; quia tunc aliqua res est necessaria in voto, quando illa res est necessaria actu, & haberi non potest; Ideo adulti debent desiderare baptismum, ut salvi fiant, si illum in re habere non possunt: atqui ex dictis Eucharistia non est re necessaria; ergo. Hoc ad id revocatur, quia Eucharistia est sacramentum vivorum primam gratiam supponens: igitur sine illa habetur jus ad æternam salutem.

Sunt verò plures, qui asserunt; Eucharistiam necessariam esse in voto implicito, cum eam dicant esse omnium sacramentorum finem, ad quem cætera tanquam media diriguntur; In ipsa siquidem reapse continetur Christus tanquam omnium sacramentorum author, totiusque gratiæ fons & principium: Unde sicuti tota mediorum efficacitas est per ordinem ad finem, & in ipsorum electione involvitur electio finis; ita gratia profluens ab aliis sacramentis est per respectum ad Eucharistiam, & in ipsorum receptione involvitur etiam intentio Eucharistiæ recipiendæ.

Hanc

358. Hinc S. Th. qu. 73. art. 3. inquit. *Per baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam, & ideo ex hoc ipſo, quod pueri baptizantur, ad Euchariſtiam ordinantur per Eccleſiam, & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex fide Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam.* Hoc multò ante pluribus in locis tradidit S. Auguſtinus; præſertim citatur de conſecrat. diſ. 4. cap. *Nulli*, hiſce verbis. *Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis ſanguiniſque Domini participem fieri quando in Euchariſtia corpus Chriſti efficitur. Nec alienari ab illius panis, caliciſque conſortio; etiamſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat &c.* Si in hoc ſenſu neceſſitatem velis Euchariſtiæ; quid opponi poſſit non video.

359. Opp. 1. celebrem illam Chriſti ſententiam Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis*: ergo Euchariſtia neceſſaria eſt vel in re vel in voto neceſſitate medii; Prob. conſ. quia dicitur Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, infertur neceſſitas baptiſmi vel in re vel in voto, & quidem neceſſitate medii: ergo à pari ex quo dicatur; *Niſi manducaveritis &c.* inferri debet neceſſitas Euchariſtiæ vel in re, vel in voto.

Ut vides, ea neceſſitas aſſeritur pro Euchariſtia, quæ affirmari debet de baptiſmo; atque ideo ſicut baptiſmus in re neceſſarius eſt parvulis, ita erit neceſſaria in re Euchariſtia, & ſic falſa erit Concilii Tridentini doctrina ſuperius expoſita: Hoc dico pro Catholicis, ſi fortaſſe forent in oppoſita ſententia cum Simeone Theſſalonicenſi in lib. de ſacrament. & Nicolao Cabaſila in prima oratione de vita in Chriſto. Contra verò Novatores, ut Albertinum, Dallæum, alioſque, explico textum illum, alioſque ſimiles juxta dicta num. 358. ex S. Thom. & Auguſtino; vel ibi exprimi neceſſitatem præcepti, quæ ſola ad adultos referri poteſt; nequaquam medii. Ad prob. diſparitas colligitur ex probatione mea, quia baptiſmus eſt ſacramentum per ſe conferens primam gratiam; è contrario Euchariſtia illam præſupponit: Præterea: Eccleſia, quam omnem veritatem Paraclitus docuit, ita ſentit de baptiſmo, non ita de Euchariſtia: Et obſervandum, diverſum eſſe modum loquendi in illo textu: *Niſi quis renatus fuerit &c.* adhibetur enim terminus univerſalis omnes & ſingulos complectens; in ſecundo verò. *Niſi manducaveritis &c.* loquutio fertur tantùm ad adultos, quales erant, qui aderant; proinde habetur quidem neceſſitas præcepti, quod ſolùm adultos afficere poteſt, non tamen medii. Hoc dixi, ut afferrem rationem, non ita loqui nos debere de Euchariſtia, ſicut de baptiſmo ut contendebat argumentum. Breviùs dici poteſt, in illo textu Joan. 6. ſermonem eſſe de vita ſubſtantiali, qui eſt Chriſtus, non accidentali, quæ eſt gratia.

360. Cæterum me non latet, quod ita reſpondentes latuit, nempe fieri poſſe hujuſmodi argumentum: Dum dictum fuit; *Niſi manducaveritis &c.* datum fuit præceptum adultis; ergo Euchariſtia ſaltem adultis neceſſaria eſt in voto. Probatur conſeq. dum dictum fuit adultis; *Niſi pœnitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis*, pœnitentia ſaltem in voto ipſis eſt neceſſaria; ergo à pari.

Verum ne. ant. ad prob. diſparitas eſt illa, quæ ſuperiùs indicata eſt; quia pœnitentia gratiam non ſupponit, ſed confert; è contrario Euchariſtia per ſe gratiam ſupponit, & tantùm confert augumentum gratiæ. Reſponderent alii, ſufficere votum tam baptiſmi, quàm pœnitentiæ tantùm implicitum, quod etiam fatentur de Euchariſtia. Hoc tamen ego non admitto propter dicta in meo 5. Tomo, ubi de baptiſmi neceſſitate pertractavi.

361. Opp. 2. Sancti Patres ita explicarunt unum textum sicut alium; ergo sicut baptismus est necessarius vel in re, vel in voto, ita Eucharistia. Prob. ant. ex Innocen.I. ex Gelasio, ex Augustino. Innoc.in epistol. ad Concilii Milevitani Patres sic scribit. *Quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ejus sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur, ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum*. Similia affirmat Gelasius in epist. ad Episcopos per Picenum, dicens. *Ipse Dominus Jesus Christus cœlesti voce prenuntiat; Qui non manducaverit carnem &c. ubi utique neminem videmus exceptum, nec opus est, aliquem dicere parvulum sine hoc sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci, sine autem illa vita in perpetua futurum morte, non dubium est*. Augustinus vero quàm plurima profert lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap.10. cap.24.& lib.3. contra Julianum cap. 1. in quibus locis disertè demonstrat, non solis adultis necessariam esse manducationem corporis, & sanguinis Christi sumptionem; igitur sentit, non solum esse necessariam necessitate præcepti sed medii.

Respondemus; hæc omnia probare, Eucharistiam necessariam esse necessitate medii in voto implicito, sicut à nobis dictum fuit num.358. Hæc enim erat illorum argumentatio. Nemo vitam æternam consequitur, nisi manducaverit carnem filii hominis; ergo cum parvuli, qui non sunt baptizati, filii hominis carnem nullo modo, idest nec in re, nec in voto implicito manducent, à vita æterna sunt excludendi, & non solum à Regno Cœlorum, quod Pelagiani à vita æterna perperam distinguebant. Hanc Porro fuisse mentem Augustini ex innummeris locis ostendi posset, lib.3. de peccat. merit. & remiss. cap.4. ex tract.26. in Joan.& ex toto sermone, quem describit S. Fulgentius ejusdem discipulus in epist. ad Ferrandum de baptismo Æthiopis, sed mihi sufficit testimonium allatum pariter num.358.

362. Sunt verò aliqui Theologi, qui arbitrantur, Sanctum Augustinum loquutum fuisse non solùm de manducatione modo à nobis exposito; sed etiam de reali & actuali. Verùm si res ita esset, deserendus foret Augustinus, vel deserenda Ecclesia, quæ realem & actualem manducationem pueris non concedit. Sed revera neque deserendus Augustinus; etenim si velint de illa manducatione sermonem habuisse, loquutus est non ex propria sententia, sed juxta principia Pelagianorum, ut ad hominem ipsos urgeret. Concedebant ipsi infantes non baptizatos habere vitam æternam; negabant vero ingredi in Regnum Cœlorum: sic arguit Sanctus Doctor. Qui non est Particeps corporis Domini, æternam vitam non habet, scriptum est enim; *Nisi manducaveritis &c.* sed qui non est baptizatus non est particeps corporis Domini; ergo nec habet vitam æternam; & ita qui non est baptizatus non solum excludendus est à Regno Cœlorum, sed etiam à vita æterna, quam vos à Regno Cœlorum distinguitis.

363. Opp.3. Cibus corporis est absolutè necessarius ad vitam corporis: ergo cibus animæ est absolutè necessarius ad vitam animæ; sed Eucharistia est cibus animæ; ergo.

Resp. disparitatem esse, quia calor naturalis in omnibus continuè absumit humorem, & ideo debet per cibum reparari, ut corpus vivat; at non consumitur sic gratia in infantibus, nec etiam in adultis; ideo &c. & licet consumeretur, sunt alia remedia per se instituta ad hanc gratiam conferendam.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De Communionis effectu.

ARTICULUS I.

Quinam sit effectus proprius Eucharistiæ.

364. SUB hoc titulo plura inquiremus; & primò certum est Eucharistiam gratiam causare, aliter sacramentum nequaquam esset; atque hoc ex iis omnibus, quæ dicta sunt, satis manifestum apparet.

Quod in controversiam vocari potest, illud nobis se exhibet, quod docuit Lutherus in concione de digna præparatione ad sacramentum Eucharistiæ, nempe sacramentum hoc institutum esse ad delenda peccata mortalia; atque ideo dixit, optimam dispositionem illam esse, qua quis est pessimè dispositus, & è contrario pessimam illam, qua quis est dispositus optimè: De hoc postremo jam à nobis actum est, ubi de subjecto hujusce sacramenti, ac dispositionibus requisitis pertractatum est: Quare superest, ut primum examinemus. Alios Novatores non memoro; sed contra quoscumque dico.

Dico inquam; remissionem peccatorum mortalium non esse per se effectum Eucharistiæ: dixi per se; nam quo pacto Eucharistia, & alia Sacramenta vivorum per accidens, & ex secundaria intentione causent primam gratiam; proinde peccata lethalia deleant, dictum est in nostro quinto Tomo de sacrament. in genere.

Suadetur hoc primò; quia Eucharistia instituta fuit tanquam animarum hominum cibus; juxtà illud Joan. 6. *Caro mea verè est cibus*. Sicut igitur cibus corporeus supponit corporis vitam per animam, ita cibus spiritualis supponit vitam animæ per gratiam.

Secundò: quia accedentes ad Eucharistiam cum peccati lethalis conscientia, maximi sceleris rei evadunt, ut jam dictum fuit; Hoc autem verum non esset, si per se foret remissiva peccati, atque hoc est discrimen inter sacramenta vivorum & mortuorum; quod hæc instituta sint ad vitam dandam, illa verò vitam postulent, ut illam corroborent, foveant, nutriant. Hinc Christus Dominus, antequam suum corpus, & sanguinem suis discipulis porrigeret, eorum lavit pedes; non ut hoc juxta litteram à nobis sumentibus fieri debere præciperet, sed ut innueret, quanta cordis munditiès exigatur, ut quis de pane illo edat, ac de calice bibat; scilicet cum optato fructu, optato inquam non necessario.

365. Plurimos quidem Patres afferre possem, sed cum satis loquatur Paulus contra indignè sumentes, aliquos tantum producam, qui expressiùs id confirment: *Si purè accesseris, ad salutem accessisti, sin prava conscientia, ad pœnam & supplicium*. Inquit Chrysostomus homil. 26. in Joan. *Priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cælestis exuberet*. Ait Ambros. lib. 6. in Luc. cap. 9. *Videte fratres, innocentiam ad altare portate* scribit Augustinus tract. 26. in Joan. *Mors est malis, vita bonis*, canit Ecclesia. Recolantur denique ea, quæ dicta sunt de dispositionibus ex parte animæ.

366. Dico secundo: Eucharistiam per accidens, & secundaria institutione

re-

remittere peccata lethalia; Recole quæ dicta sunt de sacramentis in genere quæst.5. art.6.

Dico 3. remissionem peccatorum venialium causari per se ab Eucharistia: id primò ostenditur paritate cibi corporei, cujus est deperditas vires reparare, & quidquid per caloris naturalis actionem consumptum est: igitur etiam cibi spiritualis erit id tribuere, quod per calorem concupiscentiæ deperditum est charitatis idest fervorem, proinde peccata venialia remittere, qui hujusmodi fervori opponuntur. Hinc Concilium Trident. sess.13. cap.2. ait, Christum sacramentum hoc instituisse, *tanquam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur*. Hoc valet de peccatis venialibus, quæ Eucharistiæ perceptionem præcesserunt, & quorum affectus non servatur; etenim si loquamur de illis, quæ vel dum actu percipitur, committuntur, vel quorum in nobis adhuc viget affectus, hæc Eucharistiæ virtutem, & efficacitatem impediunt, si non quantum ad augmentum gratiæ habitualis; saltem quantum ad fervorem, & dulcedinem illam, quæ in suo fonte gustaretur. Hinc.

367. Dico 4. Eucharistiæ effectum esse quamdam dulcedinem & delectationem consistentem præsertim in actibus ferventioris charitatis erga Deum, & validioris spei de æterna beatitudine obtinenda, cujus pignus in illa præstatur; Juxta hæc Gen.49. legitur: *Pinguis est panis ejus, & præbebit delicias*. Ps.19. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*. Et in Clementina unica. *De reliquiis & veneratione Sanct.* Eucharistia dicitur, *panis habens omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis*. Præter alia, quæ leguntur apud Sanctos Patres, ac pios Scriptores.

368. Sed ne per singulos effectus calamum impendamus, afferre liceat verba Innoc.III. nec non Concilii Florentini: inquit primus 4. de sacro Altaris mysterio: *Remittit venialia, cavet mortalia, reparat quod deperditur per calorem concupiscentiæ, & habitum charitatis augendo, ad ejus actus excitat animum, & tandem uniendo nos Christo per ejusdem passionem, cujus est memoria, æternæ gloriæ nobis est pignus*. Ait secundum in decreto Unionis. *Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis in Christum: Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus dignè, gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quo ad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando; sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem: in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum*. Denique non omittam tria carmina Richardi in 4. dist.8. q.2. art.1., quæ sunt ista.

Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget
Hostia spem, purgat, reficit, vitam dat, & unit,
Confirmatque fidem, munit, fomitemque remittit.

369. Opp. contra primam assertionem. Primo; In calicis consecratione dicitur de sanguine, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; & Ecclesia orat dicens. *Hæc nos communio Domine purget à crimine. Purificent nos sacramenta, quæ sumpsimus. Sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum*. Juxta quæ sunt testimonia illa, quæ adduximus quæst.5. de Sacram. in genere art.6.

Secundò. Sacramentum hoc non tantum cibus est, sed etiam medicina; sed hæc tribuitur tantùm ægrotis, ut etiam mortales morbos depellat, dicente Christo Matth.9. *Non est opus valen-*

lentibus medico, sed male habentibus. Ergo. Additur; Joan. 6. dictum esse; *Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita .... Qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

Resp. ad primum; non dicitur *bibetur* in remissionem peccatorum, sed *effunditur*. Certissimum autem est, per Jesu Christi sanguinem effusum, idest per ejus applicationem deleri peccata lethalia; imò nullo alio modo deleri possunt. Pro Ecclesiæ precibus satis dicerem, si ea quę laudato loco jam dixi, repeterem, nempe ea omnia esse vera per accidens, & juxta finem secundarium; addo tamen ea dicta esse de Eucharistia, ut sacrificium est, quod offertur non solùm pro justis, sed etiam pro pœnitentibus, quibus nondum peccata remissa sunt, & pro peccatoribus, ut eos Deus illuminare dignetur, atque ad veram perducere pœnitentiam: Neque obstat, in illis precibus non dici sacrificium, sed sacramenti nomen usurpari; siquidem sacramentum hoc in sumentibus Sacerdotibus à sacrificio non dividitur, & notum est apud veteres pro eodem sumptum esse; Unde libri Missarum, & liturgiarum dicta sunt *sacramentaria*.

Ad 2. dicam esse medicinam sanantem à venialibus, præservantem à mortalibus; & in eo textu Christus loquitur non de illis, qui invitantur ad sumendam Eucharistiam: etenim si isti peccatores sunt mittuntur in tenebras exteriores, sicut evenit in illo, qui recumbebat non habens vestem nuptialem; sed de illis loquitur, qui vocati sunt ad fidem Evangelicam; propterea dixit, *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Alii etiam textus verissimi sunt, vel quia panis Eucharisticus dat per accidens etiam vitam mortuis; vel quia licet vitam mortuis non det, attamen illam vitam conservat, sicut evenit in pane corporeo per respectum ad corpus.

370. Superest inquiramus, quo instanti gratiæ augmentum causetur ab Eucharistia. Plures sunt Doctorum opiniones, quas referre non placet, cum de hac re valde solliciti esse non debeamus: Accedant homines dignè, & quando gratia producatur, parùm interest; Existimo tamen, tunc produci, quando species stomachum pertingunt, promissa enim est manducantibus, manducatio verò perficitur, dum cibus ad stomachum pervenit, & ideo si species in ore corrumperentur, nulla gratia produceretur.

ARTICULUS II.

An ad percipiendum majorem fructum expediat frequens communio.

371. Frequentem, imò quotidianam fuisse veteris Ecclesiæ tempore fidelium communionem, jam dictum est; Frequentem etiam nostris hisce temporibus esse, summopere exoptat Ecclesia. Manifestum est hoc in Concilio Tridentino, quod sess. 13. cap. 8. paterno affectu fideles admonet, ut tanta animi devotione, & pietate vivant, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint; & sess. 22. cap. 6. habet hæc verba: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistica perceptione communicarent quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret*. Ex quibus breviter adnota, majorem esse fructum à reali perceptione, quàm à tantum spirituali productum, Concilium sentire; cujus ratio est, quia in spirituali perceptione gratia tantùm ex opere operantis conceditur, in reali verò etiam ex opere operato.

372. Id quod de frequenti communione optavit Tridentinum, approbarunt etiam nonnulla alia Concilia posteriora, & in hac re totum est Concilium Rhemense ann. 1583. Tit. de Eu-

Eucharistia; cujus verba referre longum esset; breviora sunt illa Concilii Burdigalensis an.1624. Tit.de Sacram. cap. 3. ubi inquit. *Sæpissimè fideles ad sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem cum omni devotione, & compunctis cordibus accedere peroptamus*. Constat igitur ab Ecclesia communionis frequentiam commendari.

Hoc quidem procul dubio tenendum est, si Eucharistiæ participationem ex parte ipsius sacramenti consideremus: sed si ex parte sumentium perpendamus, satis difficulter res potest resolvi. S. Hieronym. epist. ad Lucinium, quæ est 28. ad quotidianam communionem adhortatur; atque idem fit à S.Cypriano ser. 6. de Oratione Dominica, explicante illa verba, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Sanctus verò Augustinus ep. 118. & Gennadius de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 53. nec laudant nec vituperant eos, qui frequenter ad communionem accedunt: *Quotidiè Eucharistiæ communionem percipere*, inquit posterior, *nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen Dominicis diebus communicare suadeo, & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi sit*.

373. Prudentis igitur Confessarii est rem istam decernere; attendendus est status eorum, qui Eucharistiam percipere velint, & pro singulis statuenda est regula cibi spiritualis, sicut juxta uniuscujusque temperamentum & statum decernitur regula cibi corporalis. Iis, qui in eadem peccata lethalia sæpe prolabuntur, non solum frequenter, sed neque semel, nisi in mortis periculo, permittenda communio est, nisi priùs veræ conversionis, ac pœnitentiæ dederint signa: neganda est etiam facultas iis, qui licet peccatores non sint; attamen sæculi genio nimis indulgent, spiritus paupertatem contemnunt; humanos honores ambiunt; voluptatibus inter epulas, & comœdias indulgent &c. neque dici potest, frequentem communionem & confessionem, etiam in iis, qui gentiliter vivunt, esse notam prædestinationis, hanc enim propositionem damnavit Innoc. XI.

374. Si igitur qui sint non solum à peccati mortalis reatu, sed etiam à venialium affectu liberi; si qui carnis mortificationem & sensuum in suo corpore deferant; si qui charitatem servant, nec in minimo proximum lædunt, si qui pietatis augmentum percipiendo sentiunt; Istis frequens communio concedatur. *Qui se minùs paratos senserint, abscedant à communione, quo per pietatis opera ipsi deinceps se paratos exhibeant*, dixit circa frequentem communionem Innoc. XI. die 12. Februarii ann. 1679. Sed pro omnibus audiatur Sanctissimus ille Præsul Franciscus de Sales, qui lib.2. epist.38. ad quamdam piam fœminam sic scribit. *Nolo filiam tuam ad frequentem adeo communionem adducas, nisi antea, quid sit communio frequens, rectè perpendere noverit. Aliud est communionem ab aliarum rerum perceptione, aliud frequentem communionem à rariori communione secernere. Si tenella illa anima satis perspicit ad hoc mysterium crebriùs adeundum magna mentis puritate, magnaque flagrantia opus esse; si ad eam enitatur, si ea sese ornare studeat, tum verò sæpiùs, hoc est, decimo quinto quoque die eam ad illud admovendam assentior; Sin communionis tantùm percipiendæ, non levium puerilis ætatis macularum eluendarum studio tenetur, confiteri eam octavo quoque die, & una tantùm intra mensem communione uti, commodiùs censeo*. Si hæc Confessarii præ mente haberent, non tam facilè quibusdam fœminis, quæ vix ab Ecclesia egressæ, ac in domum suam se recipientes in easdem ineptias, indignationes, loquacitates incidunt, communionem permitterent.

375. Totum, quod in hoc puncto dici potest, concludat S. Bonaventura in 4. dist.12. qu.1. p. 2., qui sic effatur. Si

Si ergo quæritur, utrum expediat frequentare Eucharistiam alicui; Dicendum, quod si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare; si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpotè frigidum, & tardum, laudandum est, quod rarò. Si autem in medio modo, medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare, ut discat revereri; aliquando accedere, ut inflammetur amore.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Eucharistia, ut Sacrificium est.

POstquam de Eucharistia, prout sacramentum est, pro nostri ingenii tenuitate, ac calami tarditate pertractatum fuit; operæ pretium est, ut illam etiam exponamus, prout sacrificium est, atque appellatur: Ut verò clariùs detur omnia declarare; nonnulla de sacrificio generatim considerato perpendenda sunt.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit sacrificium.

376. MUltifariam sacrificii nomen sumi posse ex Divinis Scripturis evincitur. Aliquando sacrificare tanquam omnibus conveniens existimatur, ut cum dicitur. Psal.4. *Sacrificate sacrificium justitiæ*. 46. *Sacrificium laudis honorificabit me*. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*. Aliquando ad certam personam spectare innuitur; ut ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Et ibidem: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. Unde Paralyp. 26. Sacerdotes restiterunt Oziæ Regi sacrificium offerre volenti. Priori modo consideratum dicitur tale impropriè, & translativè.

377. Si vero in secundo sensu accipiatur, illud definivit Philippus Melancton in apologia confessionis Augustanæ in articulo de Missa, quod sit *cæremonia, vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus*. Calvinus vero lib.4. instit. cap.18. §.13. quod sit, *Quidquid omninò Deo offertur*.

Hæc prorsus falsa sunt; Omnibus operibus Deum honore afficimus, si ad Deum directa sunt; nec tamen omnia sunt sacrificium propriè dictum: alioquin nulla esset distinctio inter opera & opera; nec quidpiam requireretur, ut aliquod discrimen daretur inter sacrificium, & opus bonum; cum tamen hoc admittamus necesse sit, si velimus Scripturam admittere, quæ distinguit: Virtus ac bonum opus est misericordia; hujusmodi etiam est obedientia, & tamen utramque distinguit Deus à sacrificio; legitur enim Oseæ 6. *Misericordiam volui, non sacrificium*, & 1. Reg.15. *Melior est obedientia, quàm victimæ*: Omne quidem sacrificium opus virtutis ac religionis est; non tamen omne opus virtutis ac religionis est sacrificium.

Præterea. Sacrificium ac Sacerdotium adeo connexa sunt, ut sine Sacerdotio sacrificium dari non possit; at si omnia opera, quibus Deo honorem tribuimus, & quæ Deo offeruntur, sacrificium essent; jam omnes Sacerdotes essent: quod quàm falsum sit, jam à nobis est demonstratum; & quamvis illa non essent hic repetenda, patet ex iis,

quæ diximus num. præcedenti ex Apostolo Paulo. Certè plura opera bona obtulit in Dei honorem Abrahamus; & tamen Isaac, dum de sacrificio inquireret, dixit Gen.22. *Ecce ignis, & ligna; ubi est victima holocausti*; ex quo infertur, sine aliqua actione externa & sensibili sacrificium esse non posse.

378. Non me præterit illa Augustini sententia, qua lib. 10. de Civit. cap.6. inquit: *Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut juncta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem, quo veraciter boni esse possimus*: Sed neque illos præterire deberet, ibi loqui Augustinum de sacrificio in ampliori sensu usurpato, cum præmiserit illud Oseæ. *Misericordiam volo, non sacrificium*. Et propriè Sanctus Doctor opponit sacrificiis externis legalibus sacrificium merè internum; hocque dicit, esse Deo gratius & excellentius, quàm illa, neque mirum; cum imò illa dicta sint aliquando Deo abominabilia, propter istius defectum: Videtur aliquid probare verbum illud; *Verum sacrificium*; sed reverà nihil probat, quandoque enim vera dicuntur etiam illa, quæ tantùm per metaphoram dicta sunt; ut habetur ex illo Jo.15. ubi de se ipso dixit Christus. *Ego sum vitis vera*.

379. Sed hæc levissima, & hæreticorum inepta prætereamus, jamque sacrificii propriè dicti definitionem assignemus. Plures quidem afferunt Doctores Catholici, quas omnes, ne diuturnus sim, & prolixior, ad hanc revocare jure merito placet, videlicet: *Esse aliquod oblatum Deo à Sacerdote, quo per aliquam ejus destructionem significetur supremum Dominium Dei ex publica institutione*. Facillima & brevissima est positæ definitionis explicatio; Aliquid destrui debet, ut intelligatur res sensibilis, ac permanens; cum res transeuntes, ut oratio, & laus, & insensibiles propriè non destruantur: significari debet supremum dominium Dei; quia sacrificium est actus religionis, & quidem supremæ speciei, nempe latriæ: Tandem addidi, ex publica institutione, quia, cum sacrificium sit signum, non naturale, sed ad placitum, debet esse institutum à publica, & communiter accepta potestate, ut sunt cætera signa.

380. Quantum ad secundam tituli partem; dividitur sacrificium, primò ratione temporis in sacrificium legis naturæ, Mosaicæ, & Evangelicæ. Secundò ratione materiæ in victimam, quæ erat sacrificium ex animalibus: in immolationem, quæ fiebat ex inanimatis solidis, ut pane, thure &c., in libamen, quod ex inanimatis liquidis, ut oleo, vino &c. Tertiò ratione formæ; in holocaustum, in quo tota res cremabatur; in hostiam pro peccato, in qua pars cremabatur, & pars à Sacerdote in atrio comedebatur; in hostiam pacificam, in qua pars cremabatur, pars à Sacerdote comedebatur, & pars erat pro offerentibus. Denique ratione finis in latreuticum ad Deum colendum; in Eucharisticum ad gratias agendas; impetratorium ad impetrandum beneficium; & propitiatorium ad relaxandam pœnam debitam peccatis. Atque ista pro hac re nobis sufficiant, si non aliis.

ARTICULUS II.

De Sacrificio Missæ.

381. Nomen hoc vetustissimum esse, neque purum Catholicorum inventum, ut calumniantur Sectarii, omnibus manifestum fiet, si legerint præter alios Ambrosium, & Augustinum hujusmodi nomine utentes. *Ego*, inquit Ambrosius lib.5.ep.37. *mansi in munere, Missam facere cœpi*; & Augustinus serm.91. de tempore; *In lectione*, ait, *quæ nobis ad Missam legenda est, audituri sumus &c.* Utrum autem nomen hoc sit Hebraicum, vel Latinum, discrepant Doctores; vel enim con-

contendunt, desumptum esse à verbo Hebræo *Missath*, quod significat voluntariam oblationem, vel à verbo Latino *Mitta* cum populus mittatur, & dimittatur, vel quia hostia sacrosancta, quæ in hostia offertur, ad nos missa est à Deo pro redemptione nostra, & iterum ad Deum mittitur per ministerium Sacerdotum: Hæc tamen omnia ad rei substantiam non pertinent; sed quod juvat inquirere, est, utrum in Missa sacrificium peragatur.

382. Est autem quæstio de vero proprioque sacrificio, non interno, sed externo & visibili, scilicet facto Sacerdotum ministerio: nam si sermo fieret de spirituali, & improprio, fatentur ipsi Novatores hoc in Missa peragi, ut apparet ex Apologia Philippi Melancthonis, ex Wirtembergensi confessione apud Brentium, aliosque. De veteribus, qui negaverint, verum sacrificium in Missa peragi, Deoque offerri nihil proferam; Certè omnes illi, qui vel negarunt incarnationem, vel de incarnatione perperam senserunt, asserentes, Christi carnem fuisse phantasicam: verum etiam sacrificium inficiati sunt: sed eorum error in nostro tertio Tomo fuit profligatus. Nihil etiam dicam de Waldensibus, quos recentiores Hæretici, ut ex duodecimo sæculo sui erroris patronos sibi comparent, adducunt: sed quod certissimum est, Petrobrussiani, Albigenses, Zuingliani, Calvinistæ negantes verum Christi corpus in Eucharistia reperiri, consectariè etiam verum sacrificium non potuerunt admittere; quod magis mirum videri debet, id est, quod idem à Luthero, admittente verum Christi corpus una cum substantia panis, negatum fuerit; imò se sacrificii Missæ præ cæteris hostem infesissimum declaravit; eum & in formula Missæ, quam pro Ecclesia Wirtembergensi edidit ann. 1523., dixerit; omne, quod symboli recitationem sequitur, esse abominationem, & in confessione, quam protulit an. 1528. testatur, *se supra omnes abominationes habere Missam, & nihil magis dolere, quam quod per annos quindecim Missas celebravi Catholicorum more*. Denique in libro de Missa privata ann. 1534. totis viribus incumbens, quo pacto realem Christi præsentiam servare posset, & sacrificium rejicere, scripsit: *Tandem sibi Dæmone suggestum, ac persuasum fuisse, Missæ sacrificium abrogandum esse*. Hoc unum sufficeret, ut ejus doctrinam à Magistro Diabolo descendisse diceremus. Quidquid tamen dixerint isti, aliique Dæmonis discipuli.

383. Dicendum; In Missa verum sacrificium peragi: Hoc dogma expressis verbis pluribus in locis Concilium Tridentinum definivit sess. 22. cap. 1. & 2., & postea in diversis Canonibus anathema iis dixit, qui oppositum tenerent. Can. 1. sic. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit*. Can. 2. sic. *Si quis dixerit, illis verbis*, Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, anathema sit*. Can. 3. sic. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium esse tantùm laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti &c. anathema sit*.

384. Tam multa, & peregregiè, ut semper solet, scripsit in hac re Eminentissimus Bellarminus, ut nobis nihil, quod scriberemus reliquerit, nisi forte plura miracula proferamus, quæ recenset Tournely; quibus reponere possent Lutherani, probari quidem sacramentum, non tamen sacrificium: Nonnulla tamen exponemus, quibus hæreticam pravitatem confundere, minimè dubitamus.

Atque primo loco occurrit sacrificium

cium Melchisedech, qui ex Gen.14. *Protulit, panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi*; quod sacrificium fuit illius figura, quod in Missa peragitur, juxta illud Clementis Alexandrini lib.4.Strom.dicentis. *Melchisedech Rex salem Sacerdos Dei altissimi panem & vinum sanctificatum dedit in nutrimentum, in typum Eucharistiæ*; quemadmodum etiam Melchisedech fuit figura Christi juxta illud psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. De illo Genesis textu plura à nobis dicta sunt in Tomo 3. de Sacerdotio Christi, quæ consule, ut plura resolvas, quæ opponi possent.

385. Porrò in sensu nostro rem hanc intellexerunt, & explicarunt Sancti Patres; quorum nos aliqua expressiora ac breviora testimonia producemus. Cyprian. epist. 3. ad Cæcilium post adducta illa verba. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; ita scribit. *Quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem*. Euseb.Cæsariens. lib.5. demonstrat. Evangelicæ cap.3. inquit: *Quemadmodum ille, qui Sacerdos gentium erat, nunquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo, & pane; ita sane primus ipse Salvator, ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt Sacerdotes spirituale secundum Ecclesiasticas sanctiones Sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane corporis illius & salutaris sanguinis mysteria repræsentant, quæ sanè mysteria Melchisedech tanto ante Spiritu Divino cognoverat, & rerum humanarum imaginibus usus fuerat*. S. Hieronym. in epistola ab Marcellam, eam adhortans, ut Bethleem migraret, ait: *Recurre ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem hujus Principem invenies Civitatis, qui jam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris sanguine, & corpore dedicavit*. Denique S. Augustinus epist. 95. num.177.ad Innocent. Pontificem Maximum hæc habet. *Melchisedech prolato sacramento mensæ Dominicæ novit æternum ejus Sacerdotium figurare*. Igitur juxta Sanctos Patres vera est nostra prima probatio; Præterivi tamen Ambrosium lib.1. de Sacram. cap.1., Epiphan. hæresi 55., Joan. Chrysost. homil.35.in Genes., Theodoret.in ps.109. Leonem.I. serm. 2. de Anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum, Arnobium, Eucherium, Primasium, Cassiodorum, Remigium, Damascenum, Anselmum &c.

386. Secundum argumentum desumo ex immolatione agni Paschalis, in quo procul dubio sacrificium Missæ figurabatur, dicente Paulo 1.ad Corint. 5. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*; quod non tantùm intelligi debet de illa immolatione cruenta in cruce, sed incruenta & mystica in ultima cœna; quemadmodum enim Paschalis agnus apud Hebræos ad duplicem finem immolabatur, nempe in memoriam transitus Angeli exterminatoris, qui omnia Ægypti primogenita interfecit intactè servatis primogenitis Hebræorum; & in memoriam liberationis à Pharaonis servitute; ita præfiguravit transitum Domini nostri Jesu Christi per passionem ex hoc mundo ad Patrem, & nostram liberationem à servitute Dæmonis, & peccati: & certè priùs Christus incruentè fuit immolatus in Eucharistia, quam cruentè in cruce; quia priùs Apostoli ejus corpus manducarunt & sanguinem biberunt, quam mortuus fuerit; necesse autem est aliquid priùs immolari, quàm manducari.

387. Verum etiam pro hoc puncto necesse est, Patrum oracula accipiamus. Statim occurrit Cyprianus in serm. de cœna Domini dicens: *Cœna disposita inter sacramentales epulas obviaverunt sibi instituta antiqua, & nova; & con-*

sum-

ſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum Magiſter apponit diſcipulis. Occurrit Ambroſius in cap. I. Lucæ inquiens. *Quando ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur, etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Leo Papa ſerm. de Paſſione Domini ait: *Ut ergo umbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſervantia novo tollitur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguinem ſanguis excludit, & legalis feſtivitas, dum mutatur, impletur*. Rupertus lib. 2. in Exodum cap. 6. expreſſiùs ſic loquitur. *Quartadecima die ad veſperam, ubi illum veteris Paſchæ agnum comedit cum diſcipulis ſuis, tunc ipſe novi ſacrificii agnus continuò capiendus, & ducendus ad immolandum, jam in anguſtia paſſionis agonizans priùs propriis manibus Deo Patri ſemetipſum immolavit, accipiens panem & vinum, & mira atque ineffabili ſanctificationis potentia, transferens hæc in corporis ſui & ſanguinis ſacramentum*. Prætermiſi Gregor. Nazianzen. orat. 2. de Paſcha Chryſoſtomum hom. de proditione Judæ. Hieronym. in cap. 26. Matth., Auguſtin. lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 37. &c. Igitur juxta Sanctos Patres vera eſt noſtra ſecunda probatio.

388. Tertium momentum propono, præſertim ex Prophetia Malachiæ cap. I., ubi leguntur hæc verba. *Non eſt mihi voluntas in vobis dixit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur mihi, & offertur oblatio munda*. Textus iſte de Judæorum ſacrificiis intelligi non poteſt; eſt enim ſermo de ſacrificio gentium, & apertè dicitur, *non ſuſcipiam de manu veſtra*: non de ſacrificio crucis, cum hoc non ſit in omni loco, ſed ſemel tantùm in Calvariæ Monte oblatus & mortuus ſit Chriſtus; non de ſacrificiis gentilium, quia hæc non ſunt oblatio munda, nec ubique offeruntur; non de ſacrificio impropriè dicto, ſcilicet laudis, & operationis, cum ſermo ſiat de ſacrificio Sacerdotum: unde ibidem legitur. *Ad Vos ò Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum*; ſacrificium autem laudis & operationis omnibus convenit; Præterea; per Lutherum opera noſtra oblatio munda dici non poſſunt, quia per ipſum coram Deo omnia ſunt peccata; intelligi igitur debet de ſacrificio, quod in Miſſa peragitur.

389. At inquies. Si ita eſſet, prophetia Malachiæ eſſet falſa; ſiquidem ſacrificium Miſſæ in omni loco non peragitur, imò in minori mundi parte; cum minor pars ſit catholica, quæ ritus ac ſacramenta ſervet Eccleſiæ.

Si ita non eſſet, reſpondeo, quomodocumque explices, illa prophetia eſſet falſa; nam propter eamdem rationem ſacrificium laudis & operationis non tribuitur Deo; Nunquid Turcæ; Nunquid Gentiles laudant, & glorificant Deum? agnoſcunt, dices, Deum; Eſto; ſed reponit Paulus, quod cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt; Vera autem eſt Malachiæ prophetia; quia aut in omni loco oblatum eſt ſacrificium Euchariſtiæ, aut in omni loco offeretur; Novum autem non eſt, res futuras tanquam præſentes à Prophetis enuntiari; ſicut & ab ipſis cognoſcuntur.

390. Quanquam contentionem nos inter & Hæreticos Sacrorum Patrum dirimant teſtimonia: Porrò Malachiæ prophetiam in ſenſu noſtro uſurparunt Patres; Inter iſtos diſertis verbis loquitur Irenæus lib. 4. cap. 32. ſic. *Eum, qui eſt ex creatura, panem accepit, & gratias egit dicens. Hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter, qui eſt ex creatura, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi teſtamenti novam docuit oblationem; quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, offert Deo in univerſo mundo ei, qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum, de quo & in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignavit; Non eſt mihi volun-*

voluntas in vobis &c. S. Joannes Chrysost. in ps. 95. post adducta verba Malachiæ, subdit; *Vide, quam luculenter, atque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia.* S. Augustin. lib. 18. de Civit. cap. 35. de Eucharistia sic effatur. *Hoc sacrificium per Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech cum in omni loco à solis ortu usque ad occasum Deo jam videant offerri; sacrificium Judæorum, de quibus dictum est, Non est mihi voluntas in vobis, jam cessare, negare non possunt, aut alium Christum expectant.* Denique Damascenus lib. 4. Fidei Orthodoxæ cap. 14. sic ait: *Hoc illud est purum, & incruentum sacrificium, quod à solis ortu usque ad occasum Dominus oblatum iri per Prophetam prædixit.* Omisi Justinum in Dialogo cum Triphone, Tertull. lib. 3. contra Marcion., Cyprian. lib. 1. contra Judæos cap. 16., Hieron. in Comment. Malachiæ &c.

391. Hæc quidem, & alia adeo urgent Sectarios, ut & ipsi fateantur in Missa peragi sacrificium latreuticum, & Eucharisticum, & negent tantummodo propitiatorium; Cognoscunt etenim & ipsi, quod agnovit Arist. 8. Ethic. cap. 9. religionem sine sacrificio non posse subsistere, atque omnes populos, nationesque ex instinctu, & lege naturæ Deo offerre sacrificium. Verum neque propitiatorium negarent, si cognovissent, quod scripsit Luc. cap. 22. *Hic est calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum.* Et illud Apost. ad Hebr. 5. *Omnis Sacerdos constituitur, ut offerat dona, & sacrificia pro peccato*: & adverte, Lucam loquutum fuisse in præsenti, ad innuendum sanguinem cœnæ, non crucis; rursus loquutum fuisse de calice, qui certè in cruce non fuit: quamvis postea alii Evangelistæ dicant in futuro *effundetur*, quod rei veritati non obest; nam reverà sanguis ille etiam effundendus erat semel cruentè in cruce; semper verò incruentè in Eucharistia.

392. Nos tamen nec plura, nec efficaciora proferre possumus iis, quæ à Conciliis prolata sunt, atque à Patribus semper accepta. Inter Concilia expressissimè loquuntur Ephesin. 1., Chalcedonen., & Toletan. 22. Primum in anathematis. XI. omnia præcludens effugia, sic statuit. *Sanctum, & vivificum, incruentumque in Ecclesiis peragimus, corpus, quod proponitur, similiter & pretiosum sanguinem &c.* In Chalcedonen. datus est libellus contra Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, quod frumentum à piissimis Imperatoribus ad Libyæ Ecclesias missum divendisset, atque ita; *Neque terribile & incruentum sacrificium celebratum sit.* Denique in Toletano can. 5. refertur, aliquos Sacerdotes non toties communionem sumere, quoties offerrent sacrificia, *quasi*, hæc sunt verba, *non sit toties illi vero & singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit.* Jam Tridentini statuta produximus. Ex Patribus verò placet unum afferre Augustinum, qui serm. 11. de Sanctis hæc habet. *In altari corpus Domini offertur, sanguisque Christi pro peccatoribus effunditur.* Alios adducere, ipsis adversariis ut respondeamus, opportunum erit.

ARTICULUS III.

Rejiciuntur Hæreticorum argumenta.

393. OPp. 1. In Missa peragitur testamentum Domini, juxta illud, *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*; sed ubi testamentum peragitur, non peragitur sacrificium; ergo. Prob. mi. per testamentum aliquid recipitur à testatore; per sacrificium verò aliquid offertur; sed hæc duo se excludunt; ergo si &c.

Præterea Eucharistia est sacramentum; ergo non est sacrificium; nam sacra-

ſacramentum datur nobis; ſacrificium datur Deo.

Confirm. Chriſtus in ultima cœna ſe diſtribuit diſcipulis, non tamen ſe obtulit Patri; ergo Euchariſtia ſacramentum eſt, non ſacrificium. Ita Luther. in lib. de captivit. Babyl., & de abroganda Miſſa.

394. Reſp. ad primum, conc. maj. ne. mi. ad prob. pariter; nam nihil omninò habemus, quod Deo offeramus, niſi ab illo acceperimus; juxta illud Paralip. 1. cap. 29. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Teſtamentum quidem condidit Chriſtus, relinquens nobis tanquam hæredibus pretioſum corpus, & ſanguinem ſuum: non quomodocumque; ſed ut per illum animas noſtras reficeremus, & pro peccatorum noſtrorum, vel proximi propitiatione Deo offerremus; vel potiùs ut ipſe nobiſcum remanens uſque ad conſummationem ſæculi pro nobis offerret. Verum hoc argumentum proponat Lutherus, non ut in nos, ſed ut in ſe ipſum decertet. In Miſſa eſt teſtamentum Domini; ergo eſt ſacrificium; hæc illatio æquiſſima eſt; ſicut enim teſtamentum vetus conditum fuit per ſanguinem victimæ jam immolatæ, ut Apoſt. inquit ad Hebr. 9. recitans verba Moyſis Exod. 24. *Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus*; ita teſtamentum novum conditum fuit per ſanguinem Chriſti immolatum, qui dixit: *Hic calix novum teſtamentum in meo ſanguine*.

Ad ſecundum jam patet ſolutio: atque obſervandum eſt, eamdem rem ſub diverſo reſpectu eſſe poſſe ſacramentum, & ſacrificium; Euchariſtia, prout primariò & directè tendit ad ſanctificandum hominem, ac in ſpirituali vita nutriendum eſt ſacramentum; prout verò offertur Deo ad cognoſcendum ejus ſupremum in omnes res creatas dominium, & de ſecundariò ad noſtrorum peccatorum remiſſionem, eſt ſacrificium.

Ad Confirm. Utrum Chriſtus in ultima cœna ſe ipſum obtulerit Patri, fuit inter Theologos Concilii Tridentini non levis diſputatio, ut refert Cardinal. Pallavicinus lib. 18. Hiſtoriæ cap. 2. Major pars affirmabat, cui deinde cœteri adhæſerunt; atque ideo ſeſs. 22. cap. 1. Sancta Synodus declarat, *Chriſtum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech in æternum conſtitutum corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtuliſſe*. Ne. igitur ant. nam quamvis Evangeliſtæ non dicant expreſsè, Chriſtum ſe obtuliſſe Deo Patri, attamen neque expreſsè negarunt; & ex alia parte habemus tot argumenta ad affirmandum. Quod Chriſtus in ultima cœna immolaverit agnum Paſchalem, & illum comederit accinctis renibus non refertur ab Evangeliſtis, ſicut & alia plura prætermittuntur; nec tamen poteſt inferri, id à Chriſto factum non eſſe. Afferat igitur Lutherus alia argumenta poſitiva; ſed conſultiùs eſt ſileat; ne ultra mentiatur, ut contingeret, ſi plura vellet opponere.

395. Opp. 2. In lege Evangelica nullum eſt ſacrificium propitiatorium, quod fiat de novo; ergo. Prob. ant. In lege Evangelica nulli ſint Sacerdotes; itaque & nullum ſacrificium: prob. ant. Chriſtus eſt Sacerdos unicus & in æternum; ergo: & ſicuti in lege vetere multiplicabantur Sacerdotes, eò quia morte prohiberentur permanere: ita modo multiplicari non debent, quia Chriſtus manet in æternum, & ſempiternum habet Sacerdotium; ut ait Apoſt. ad Hebr. 7.

Confirm. Unicum ſacrificium crucis eſt admittendum; & ſi aliud admittitur, maxima fit ipſi injuria, cum ſit valoris infiniti, qui applicatur per merita Chriſti, vel per media ab ipſo inſtituta, ideſt per prædicationem Verbi Dei, & ſacræ cœnæ applicationem: Unde Chriſtus in cruce moriens inquiit, *Conſummatum eſt*, ad innuendum, per illud

illud sacrificium omnia, quæ ad nostram salutem pertinent, esse completa.

Confirm.2. Si in Missa sit sacrificium, illud crucis vel non creditur, vel pro nihilo habetur; Prob. Si in Missa sit sacrificium, oportet, toties Christum mori, quoties dicitur Missa, in hac enim fit novum testamentum; testamentum autem à morte testatoris dependet. Ita argumentatur Calvinus lib.4. Instit. cap.18. §.1.

Resp. ne. ant. ad prob. pariter: ad prob. dist. Christus est unicus Sacerdos &c. sub quo tanquam capite sunt cœteri Sacerdotes ejusdem personam agentes conc. è contra, ne. ant. & cons. Sacerdotes, qui nunc ordinantur, non succedunt Christi Sacerdotio, sed ejus sunt suffraganei, quia, ut ait Apost. 2. ad Corint.5. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Et sicuti, licet Christus se dixerit unicum, & æternum Magistrum nostrum, ut patet Matth. 23. attamen, quia ipse per se humano modo, & visibili non docet, plures sunt Magistri, inter quos se numerat Paulus 1. ad Timot.2., ita, licet sit unicus & æternus Sacerdos, plures sunt Sacerdotes; atque hoc est discrimen inter Sacerdotes veteris legis, & novæ, quod illi non adunabantur sub uno capite, cujus essent Vicarii, atque ideo erant ita infirmi, ut si peccatores essent, victima per eos oblata Deo non erat accepta; è contra isti adunentur sub Christo capite, ita ut quamvis sint infirmi, & imbecilles, virtus victimæ non infirmetur, quia principalis offerens Christus est,& idem victima oblata; proinde &c. Totum hoc expressit Concil. Trident. sess. 22. cap.2. dicens. *Una est eademque hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa &c.* Paucis verbis nullus est in Sacerdotio successor, plures sunt Sacerdotii Ministri.

Ad primam confirmationem: ne. ant. Sacrificium enim Missæ idem est cum sacrificio crucis, cujus valor, si infinitus est, applicatur per repetitionem factam in Missa, & sicut, ut ait Apost. ad Rom. 3. per legem non destruimus fidem, sed statuimus, ita per Missam crucem non evertimus, sed stabilimus: Quomodo enim per crucis commemorationem crux destruetur? Si sacrificium crucis fuit valoris infiniti, probatur tantùm, non esse multiplicandum in cruce, ita ut Christus iterum, & sæpiùs moriatur pro nobis, non verò non esse multiplicanda sacrificia repræsentantia sacrificium crucis, ejusdemque fructum nobis applicantia. Quod si argumentum Calvini probaret; etiam sacrificia veteris legis peracta essent in injuriam crucis; Hæc enim habuit vim sanctificandi non tantùm homines futuros,sed etiam preteritos; Hoc non dicet Calvinus; ergo nec illud dicere debuit: Neque supervacaneum est, per sacrificium Missæ applicari; nam placuit Deo varia media invenire, ac instituere, quibus faciliùs, suaviùs, ac abundantiùs ejusdem fructus nobis communicaretur; & si sufficeret sola prædicatio Verbi Dei, & sacræ cœnæ administratio, quare Calvinistæ utuntur Baptismo? Mortuo itaque Christo omnia consummata sunt, quæ ad nostram salutem pertinebant, quia ipse ad nos redimendos ulterius mori non debet; est enim semper vivens ad interpellandum pro nobis, ad Hebr.7., & semel mortuus, jam ulteriùs non moritur; non ita verò omnia consummata sunt, ut ejusdem crucis, & mortis per aliud sacrificium semper ordinem servans ad illud, nobis fructus applicari non debeat.

Ex dictis solvitur secunda confirmatio: In Missa etenim non fit novum testamentum, sed testamenti jam facti repetitio: sicuti cum testamentum jam morte confirmatum inter homines, sæpiùs coram judice exhibetur, ut huic, aut illi applicetur hæreditas; Quod si Apostolus inquit, sine sanguinis effusione

ne non fieri remissionem, loquitur de sacrificiis veteris legis; vel etiam de sacrificio Missæ, non quatenùs debeat effundi sanguis, sed quia in ipso repræsentatur sanguis jam effusus in cruce; Afferantur etiam hic verba Tridentini sess. 22. cap. 1., ubi sic loquitur. Quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem sæculi permaneret; atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ quotidie committuntur, peccatorum, applicaretur; & cap. 2. *Cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam uberrimè percipiuntur*.

396. Hic præterire non possum cujusdam hominis contra me dictum, nempe Apostoli testimonia, per me exposita non servari; Apostoli autem testimonia ista sunt: Ad Hebr. 10. *Una oblatione consummavit* (Christus) *in sempiternum sanctificatos.* Rursùs. *Omnis quidem Sacerdos præstò est quotidiè ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Et rursùs. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum &c. sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*. Sed quàm immeritò hæc mihi objecta sint, Sapiens Lector agnoscat; distinguat solutionem pretii à pretii applicatione; & statim evanescet adversarii mei oppositio; nisi fortasse quis vellet, omnia ad litteram exponi, & ita in unico articulo volumen integrum impleri; aut intelligenti unum ex alio inferre, denegari.

397. Sic arbitror, omnia hæreticorum momenta; quorum expositioni plures paginæ insumuntur, rejecta esse; Superest tantùm, ut quædam Sanctorum Patrum dicta perpendamus; Videtur Tertullianus asseruisse tantùm sacrificium laudis, & benedictionis, siquidem lib. 3. contra Marcionem exponens prophetiam Malachiæ à nobis laudatam, sit ait. *In omni loco offertur sacrificium nomini tuo, & sacrificium purum, gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus &c.* pariter lib. 4. inquit, orationem de conscientia pura esse sacrificium illud, de quo loquitur Malachias, sicut in libro contra Judæos explicat prophetiam hanc de sacrificiis spiritualibus: Eusebius etiam in lib. demonstrat. Evangelicæ 1. cap. 6. illud dicit sacrificium Malachiæ adimplendum esse in toto Mundo per orationis incensum, & sacrificium mundum, quod non per cruorem, sed per pias actiones esset offerendum; Augustin. lib. 1. contra adversarios legis, & Prophet. cap. 20. inquit: *Ecclesia per successiones Apostolorum immolat in corpore Christi sacrificium laudis*. Denique scriptura est in contrarium; Siquidem Christus Joan. 4. sic alloquitur Samaritanam. *Venit hora, & nunc est quando veri Adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*: Ex quo, quidquid sensibile & externum est, removetur, ut sic lex Evangelica secernatur à Mosaica.

Hisce respondendum est, ut & aliis pluribus, quæ similia esse possunt, simul occurramus. Quantùm attinet ad primum Tertulliani dictum; mirari nemo debet, quod ita loquutus sit, nunquid enim ante & post consecrationem, nec non sacrificii oblationem, non laudatur Deus? Nunquid non ipsa consecratio benedictio est? Certè Paulus 1. ad Corinth. 10. sic effatur; *Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ibi explicat Tertullianus primam hujusce sacrificii oblationem factam à Christo Domino, qui in ultima cœna priùs gratias egit; inde benedixit; & postremùm hymnodicto exiit in Montem Olivarum.

Ad secundum in Prophetia Mala-

chiæ utrumque habetur, nempe & quod spectat ad orationem, & quod pertinet ad sacrificium Eucharistiæ; Siquidem in textu Hebræo & græco sic legitur, *incensum offertur nomini meo, & sacrificium Mundum*. igitur pro incenso intellexit Tertullianus orationem de conscientia pura, quod & à pluribus aliis Sanctis Patribus factum est.

Quid mirum etiam, si sacrificium Eucharisticum, quamvis verum sit, appellatum fuerit spirituale?

Certè Tertullianus ipse vocavit etiam sacrificium Abelis spirituale; & tamen erat verum ac proprium sacrificium: Spirituale igitur est sacrificium nostrum, non quia non sit sacrificium verum & proprium, sed quia non ab hominibus inventum fuit, sed à divino Christi Domini spiritu; non constans terrena victima sed cœlesti, non mactanda igne vel gladio, sed consecratione ac fidelium sumptione.

Ut Eusebium intelligas, scias, à pluribus Sanctis Patribus consecrationis verba appellari sanctas orationes, ac mysticas preces; sacrificium igitur nostrum per pias actiones erat offerendum, quia non erat offerendum per cruorem, sed per consecrationem.

Augustini dictum pro nobis manifestè est; perpendantur illa verba per successiones Apostolorum, & statim apparebit, sacrificium nostrum ita esse laudis, ut sit etiam quale nos dicimus; illi enim soli offerunt sacrificium corporis Christi, qui in Sacerdotio succedunt Apostolis.

Ad textum scripturæ; Si hic in sensu hæreticorum admittendus esset, excludendus etiam esset usus sacramentorum, quæ sunt res quædam sensibiles, & externæ: Ibi igitur Christus non quemlibet ritum externum & sensibilem, nec omne proprium sacrificium exclusit à Religione Christiana, sed solùm cœremonias judaicas, & legalia sacrificia; respondit enim mulieri Samaritanæ, quæ de illis eum interrogaverat dicens; *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*. Verè autem sacrificium nostrum est in spiritu & veritate; ut opponatur sacrificiis Judæorum, qui non erant in spiritu, sed in carne & cruore animalium; non in veritate, quia tantùm in typo, & figura.

ARTICULUS IV.

In quanam actione consistat essentia sacrificii Missæ.

398. Plures sunt actiones, quas in sacrificando Minister exercet. Prima est oblatio panis & vini ante consecrationem per illa verba: *Suscipe Sancte Pater &c.* Secunda est ipsa consecratio, per quam fit transmutatio panis in corpus, & vini in sanguinem: Tertia oblatio corporis, & sanguinis Christi post consecrationem per illa verba: *Unde, & memores &c.* Quarta fractio hostiæ in tres partes, & unius in calicem immissio cum sanguinis commixtione: Quinta communio Sacerdotis, seu sumptio utriusque speciei.

399. Dicendum 1. essentiam sacrificii Missæ neque consistere in oblatione priori, neque in posteriori; est contra Gabrielem in 4. quæst. 1. artic. 2. dub. 2. nec non Melchiorem Can. lib. 12. de locis Theologic. cap. 13. ad 4.

Ratio primæ partis est; quia oblatio illa, quæ consecrationem antecedit fuit à Christo prætermissa, & solum præcepto Ecclesiæ, à qua fuit instituta, adhibetur, tanquam præparatoria ad sacrificium, non tanquam pars Sacrificii: constat autem, nihil ad essentiam sacrificii pertinere, quod à Christo factum præceptumque non sit; ergo: imò neque semper adhibita ab Ecclesia fuit, nec in liturgiis primitivæ Ecclesiæ eodem modo reperitur; Quamvis verò ad sacrificii essentiam aliqua oblatio requiratur, attamen satis habetur per rem ipsam,

ipsam, quam Sacerdos offert, & ipsa immolatio oblatio est.

Eodem modo etiam secunda pars assertionis ostenditur: Siquidem neque oblatio post consecrationem facta fuit à Christo, atque illa verba, quibus illa oblatio constituitur, non proferuntur nomine Christi, sed nomine Ecclesiæ; Sacerdotis, & fidelium; Nullo tamen pacto omittenda est, quia per eam exprimitur consensus, & Ecclesiæ protestatio erga oblationem à Christo factam; cui, ut una simul offerat, & ipsa conjungitur.

400. Dicendum secundò. Fractionem & commixtionem non pertinere ad essentiam sacrificii: etenim, ut ait S.Thom. 3.par. quæst.83. ad 3. sine tali fractione & commixtione sacrificium esset perfectum, & si hostia in sanguinem decideret ante fractionem, deberet sumi simul cum calice, dicendo, *Corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi &c.* ut traditur in Rubricis.

Generatim loquendo de omnibus hisce tribus actionibus, quamvis istæ omitterentur, adhuc haberetur integrum sacrificium, jam de fractione dictum est, de oblatione verò tam antecedente consecrationem quam subsequente, id manifestè ex rubricis colligitur. Præcipitur enim, quod si quis casu consecraret aquam pro vino, iterum consecrare deberet, prætermissa quacumque oblatione, sed solum repetendo verba canonis; *Simili modo postquam cœnatum est &c.* consequens igitur est &c.

401. Dicendum 3. Essentiam sacrificii Missæ consistere in consecratione, & consumptione facta à Sacerdote.

Probatur prima pars. Illud est de essentia sacrificii, quod peragitur nomine Christi; & in ejusdem persona, atqui consecratio peragitur nomine Christi, & in ejusdem persona; ergo. Secundo perpendatur definitio sacrificii, hæc necessario involuit consecrationem; probatur; Consecratio ex vi nominis est actio sacra, per quam offertur Deo aliqua res permanens, & sensibilis, idest Corpus & Sanguis Christi; à publica potestate instituta, hoc est ab ipso Christo tanquam capite Ecclesiæ; à legitimo Ministro, idest Sacerdote: igitur essentia, seu definitio Sacrificii necessariò consecrationem involuit.

402. Nec mehercle dici potest, consecrationem esse actionem tantummodo præviam, ac præparatoriam ad Sacrificium, alioquin sequeretur, quod licet Sacerdos sumeret hostiam multò ante vel à se, vel ab alio consecratam, cum intentione cultum offerendi Deo, verum sacrificium perageret; imò cùm etiam laicis sumptio conveniat, etiam laici sacrificium Deo impenderent; quod inauditum est.

Atque hoc, quod de consecratione dicimus, communi Sanctorum suffragio confirmatur. Irenæus lib.4. contra hæres.cap.32.ait de Christo: *Dicens hoc est Corpus meum &c. novam docuit oblationem.* Gregor. Nyssenus orat. 1. de Christi resurrectione asserens, Christum, antequam Pilato traderetur crucifigendus, se ipsum nobis incruento sacrificio præbuisse, sic loquitur. *Quando id præstitit? cum corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem præbuit, tunc apertè declaravit, sacrificium jam esse perfectum. Quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat.* Joannes Chrysostom. hom. de proditione Judæ dicit, *hæc Domini verba: Hoc est corpus meum usque ad consummationem sæculi præstare sacrificio firmitatem.* Similia docent alii.

403. Hæc tamen ita intelligi atque accipi volo, ut essentia hujus sacrificii principalius in consecratione consistat, atque propterea ita loquuti sunt Patres, non tamen in ea sola posita sit: atque

atque ita secundam partem assertionis ostendo: In tota actione Missæ nulla est realis destructio victimæ præter sumptionem factam à Sacerdote; sed realis destructio victimæ spectat ad essentiam sacrificii, ergo: & sicuti in veteri testamento debebat victima à Sacerdote comburi, ut sacrificium esset; Ita in novo debet à Sacerdote consumi, ut sacrificium sit: Prob. maj. si quæ est destructio victimæ, maximè in consecratione; sed non in ista; ergo. Prob. min. nam in primis in consecratione destruitur tantum substantia panis & vini; & ideo sequeretur solum panem & vinum sacrificari. Secundò: in sacrificio nostro debet esse destructio sensibilis & externa; illa autem panis & vini est insensibilis & interna in consecratione etiam ad summum mysticè & incruentè immolatur Christus; at pro vero & reali sacrificio requiritur vera & realis destructio; atque hinc est, præcipi, quod, si Sacerdos ante consumptionem moreretur, vel alio modo à consumptione impediretur, deberet alius Sacerdos accedere, & sacrificium sumere; alia autem strictæ adeo obligationis ratio afferri non potest, nisi quia absque sumptione non est integrum & & perfectum essentialiter sacrificium: Propterea etiam Concilium Tolet. 12. cap.4. eos reprehendit, qui in sacrificio Missæ corpus & sanguinem Christi non sumebant, dicens. *Quale erit sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* refertur cap. *Relatum* de consecr. dist.2.

404. Opp. 1. contra ea, quæ dicta sunt de consecratione. Quod est tantummodo victimæ præparatio, ad essentiam sacrificii pertinere non potest; sed consecratio est tantùm victimæ præparatio; ergo non pertinet ad essentiam sacrificii; & si dici debet, consecrationem esse de essentia sacrificii incruenti; etiam incarnatio dicenda erit de essentia sacrificii cruenti, quia per incarnationem Crucis victima præparata fuit.

Præterea. Productio Agni Paschalis nō erat pars sacrificii; ergo similiter productio, seu adductio Christi, quæ fit per consecrationem pars sacrificii non est:

Præterea. Die parasceves offertur sacrificium, cum etiam illa die dicatur oratio illa; *Sic fiat sacrificium in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus*. Nec tamen ea die fit consecratio, quod in Ecclesia græca per aliquot quadragesimæ dies servatur. Ergo.

Denique. In ea actione sacrificii essentia collocanda est, per quam victima immutatur; atqui non in consecratione; sed in sumptione victima immutatur, ergo.

405. Resp. dis. maj. si ex victimæ præparatione, non resulet victima sacrificanda conc. si resulet ne. maj. sed consecratio est tantùm victimæ præparatio, ex qua resultat victima sacrificanda conc. è contra ne. mi. & Cons. Christus autem in sacrificio, de quo loquimur, non est materia, quæ actioni sacrificandi subjaceat, & supponatur; sed fit talis materia per consecrationem, tanquam ejusdem terminus, cum per consecrationem fiat præsens speciebus Eucharisticis, sub quibus offertur & immolatur. Hoc non valet de incarnatione, & de productione Agni Paschalis; etenim tam Christus ut homo vivus erat materia sacrificii crucis, quam Agnus Paschalis sacrificii Mosaici; neque per actionem vel illius vel istius sacrificii vel Christus, vel Agnus sacrificii fiebat materia.

Ad tertium dis. ant. offertur sacrificium rei pridie oblatæ conc. offertur sacrificium propriè ne. ant. Illo itaq; die Ecclesia sacrificium non conficit, quia non consecrat, sed solùm Sacerdos participat de sacrificio pridie peracto, & de consecratione facta ad finem postridiè sumendi: Quare sacrificium, de quo illa oratio, referendum est ad actionem, quæ pridie facta fuit, non ad eam, quæ tunc fit. Neque obstat, Sanctum Augustinum epist.54. dicere; *Omnibus dic-*

diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia; etenim eodem modo explicandus est Sanctus Doctor. *In die, quo passio Domini recolitur*, inquit S. Th. qu.83. art.2. ad 2. *prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti, ne tamen Ecclesia eo etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum die præcedenti reservatur sumendum in illo die &c.*

Ad ultimum: si tantùm & præcisè loquamur ne. maj. siquidem ad sacrificium requiritur essentialiter & oblatio victimæ,& victimæ immutatio;Hinc est, non omnem oblationem esse sacrificium, omne tamen sacrificium esse essentialiter oblationem:Licet autem per consecrationem immutatio talis non fiat, ut ad sacrificium verum ac reale sufficiat, attamen ita fit oblatio victimæ, ut sine illa nullo modo fieret, proinde &c.

406. Opp. 2. contra ea, quæ dicta sunt de sumptione. In ea actione consistit essentialiter hoc sacrificium, per quam corpus Christi incruentè immolatur, sicut sacrificium cruentum essentialiter consistit in cruenta immolatione: sed per solam consecrationem corpus Christi incruentè immolatur, ergo in sola consecratione consistit essentialiter hoc sacrificium, prob. min. per solam consecrationem corpus Christi ex vi verborum ponitur ut separatum à sanguine, proinde mysticè occiditur, & immolatur, ergo.

Præterea. Per sumptionem destruuntur quidem species, non verò corpus, & sanguis Christi; ergo per sumptionem non sacrificatur corpus.

Rursùs. In sumptione non repræsentatur mors & passio Christi, sed solùm Christi sepultura; sed sacrificium incruentum debet consistere in ea actione, quæ repræsentat mortem & & passionem Christi, non ejus sepulturam: ergo. Min. declaratur, quia sacrificium incruentum sacrificio cruento debet conformari.

407. Resp. ad primum patet quid dicendum ex nostra probat. num. 403. etenim ad immolationem veram & propriam requiritur vera & propria destructio victimæ, quæ nequaquam etiam incruento modo habetur per verba consecratoria, quia etsi vi verborum ponatur corpus separatum à sanguine; attamen re ipsa hujusmodi separatio non habetur; sicut ad sacrificii veri notionem requiritur.

Ad 2.antecedens est rerum de corpore, & sanguine Christi secundum suum esse proprium ac naturale, non tamen secundum esse sacramentale, sicut enim verè manducatur & bibitur, ita etiam verè destruitur.

Ad 3. negaur major: ait enim Apost. *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis*.

408. Dices 1. Per hoc præcisè quod Christus sit sub speciebus, intelligitur quidquid ad rationem sacrificii Missæ requiritur; ergo. Prob. ant. duo requiruntur ad rationem sacrificii Missæ; Unum quod repræsentetur Christi passio; & hoc convenit consecrationi, quia ex vi verborum ponitur corpus separatum à sanguine: alterum, quod destruatur res, quæ offertur; & hoc pariter habetur per consecrationem, nam propter istam Christus ponitur in necessitate desinendi, quando species corrumpentur, & inducitur necessitas in Sacerdote ad illum sumendum; ergo.

409. Secundò. Si admittatur sumptio tanquam essentialis pars sacrificii, potius admittenda foret alteratio specierum in stomacho; non enim destruitur Christus in sacramento, nisi prius contingat alteratio & corruptio specierum; atqui alteratio in stomacho non admittitur tanquam pars essentialis; ergo neque sumptio.

Tertio: Sumptio per accidens omninò se habet ad desitionem Christi sacramentalem; quia etiamsi non sumeretur adhuc desineret; quia aliquando desinerent species. Sed

Sed contra. Ne.ant.cum prob. & dico ad rationem sacrificii veri necessariam esse immediatam & actualem destructionem rei, quæ fiat ab aliquo illi rei extrinseco; hoc autem habetur tantummodò per sumptionem; proinde &c. & si argumentum probaret, sumptio nullo modo pertineret ad sacrificium, neque adinstar partis integrantis; quod adversarii non concedunt. Rursus, quando agnus in lege veteri sacrificabatur, non fuisset necessaria occisio facta à sacrificante; quia naturaliter fuisset mortuus, quamvis non fuisset occisus; non sufficit igitur destructio seu desitio rei utcumque; sed tali modo, & in nostra re per sumptionem.

Ad secundum ne. maj. ad prob. dico illam desitionem rei in sacrificio essentialem admitti, quæ magis sensibilis est, & per illam actionem, qua posita necessariò res desinit; & reverà juxta communem loquendi modum tunc dicitur cibus desinere, quando manducatur; quia licet non desinat in esse rei desinit tamen in esse cibi; Hac ratione refello quod reponit Juenin; nempe, si aliquis Sacerdos species evomeret, tunc sacrificium non esse perfectum, nam hoc vel concedo, sed tunc forent sumendæ ab alio Sacerdote; vel dico species illas non remanere in esse cibi humani.

Ad tertium jam responsum est; nego enim ant.ad prob. desineret quidem, sed non ut requiritur ad sacrificium.

410. Opp.3. Illa actio essentialiter spectat ad sacrificium, quæ fit à Ministro nomine Christi; atqui consecratio non sumptio fit nomine Christi; hæc enim exercetur à Ministro in persona propria; ergo consecratio non sumptio spectat ad essentiam sacrificii.

Præterea. Est de fide, Christum in ultima cœna verum sacrificium obtulisse; nec tamen est de fide sacrificium consummasse, seu seipsum sumpsisse; ergo sacrificium Missæ non potest essentialiter in sumptione consistere, cum id quod de fide certum est, principio incerto inniti non debeat.

Resp.ne. maj.alioquin cum Christi mors & passio non fuerint immediatè ab ipso Christo, mors & passio non fuissent de essentia sacrificii crucis; quod non dicent: Licet igitur consecratio fiat in persona Christi, quia Christus est offerens principalis, non sic sumptio; attamen etiam sumptio spectat ad essentiam, quia sicuti Christus se tradidit Hebræis crucifigendum, ita se tradidit Sacerdotibus sumendum. Et sicuti crucifixio facta à Judæis fuit de essentia sacrificii crucis; ita sumptio facta à Sacerdotibus est de essentia sacrificii Altaris.

Ad secundum transmitto id non esse de fide, quod de sumptione Christi affirmatur. Attamen Patres & Theologi asserunt, Christum suum corpus in ultima cœna accepisse. Inter Patres, audi S. Hieronymum in epist. ad Lesbiam scribentem: *Dominus Jesus Christus ipse conviva, & convivium, ipse comedens, & qui comeditur.* Inter Theologos leges hæc verba S. Th. 3. p. qu.81. art.1. in corp. *Quidam dixerunt, quod Christus in cœna corpus & sanguinem suum discipulis suis tradidit, non tamen ipse sumpsit; sed hoc non videtur convenienter dici, quia Christus ea, quæ ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit; Unde & ipse prius baptizari voluit, quam aliis baptismum imponeret &c. Unde & primò ipse corpus suum & sanguinem sumpsit, & postea discipulis sumendum tradidit*; Hoc etiam habet Gloss. super illud Ruth.3. *Cumque comedisset & bibisset.*

Verùm quid rogo ex illo argumento probari posset? nihil aliud, nisi non esse de fide, sumptionem esse partem essentialem sacrificii; Hoc autem concedo.

A R-

ARTICULUS V.

Utrum consecratio utriusque speciei pertineat ad essentiam sacrificii.

411. Artic. 2. Quæst. 7. num. 324. dictum fuit, debere jure Divino Sacerdotes utramque speciem consecrare; quia, dum sacramentum conficiunt, debent etiam sacrificium offerre; sacrificium autem offerri non potest sine utriusque speciei consecratione. Hoc modo nostra interest demonstrare.

Neque verò quæstionem illam promovebo, utrum sacrificium sub unius tantùm speciei consecratione institui potuisset, ut plerique faciunt; sed tantùm rem pertractabo juxta præsentem Christi Domini institutionem, & prout de facto est sacrificium Missæ. Qua in re.

412. Dicendum, utriusque speciei consecrationem ad essentiam sacrificii pertinere.

Ad hoc probandum attulimus jam quæstione superiùs laudata Conc. Tridentini doctrinam; nunc verò aliqua alia addemus, & brevissimè, quantum fieri poterit.

Missæ sacrificium non est quocumque modo sacrificium, sed tale ac determinatum, ut per illud expresse repræsentetur sacrificium cruentum crucis. *Ut suæ dilectæ sponsæ*, inquit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1., *relinqueret Deus & Dominus noster sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur*. Porrò ad expressam sacrificii cruenti crucis repræsentationem utriusque speciei consecratio requiritur; sacrificium enim crucis ita peractum est, ut sine sanguinis è vulnerato corpore effusione explicari non possit; atque per hoc præcisè cruenti suscipit denominationem: si autem una vel altera species consecretur, sanguinis effusionem, mortemque per eam inductam nequaquam explicare poterimus; consecretur sola species panis, ponitur quidem ex vi verborum corpus, non sanguis, non tamen sanguinem per hoc à corpore separatum expresse indicabis, esse enim potest alicubi corpus sine sanguine, vel quia sic absolutè potest produci, vel quia ob aliquam ægritudinem possit totus sanguis absumi; consecretur sola species vini, ponitur quidem ex vi verborum sanguis, non corpus, non tamen per hoc sanguinem effusum à corpore declarabis; siquidem nec à quacumque sanguinis separatione mors causatur; & rursus sanguis intelligi potest separatus à corpore, per hoc quod fuerit se solo extra corpus productus, quin fuerit à corpore effusus; ergo ad expressam sacrificii cruenti repræsentationem utriusque speciei necessaria est consecratio. Atque hoc est, quod docuit Tridentinum laudata sess. nam postquam dixit, Christum Dominum in ultima cœna corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse, atque Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse; addit *novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem quando per sui sanguinis effusionem nos redemit*.

413. Opp. 1. Ad essentiam sacrificii, ut de facto instituti, necessaria non est explicita repræsentatio sacrificii cruenti, & effusionis sanguinis; ergo sub unica tantùm specie haberi potest sacrificium. Prob. ant. licet non sit explicita repræsentatio sacrificii cruenti; habetur tamen ratio sacrificii repræsentativi, & commemorativi; ergo. Prob. ant. ratio sacrificii repræsentativi, & commemorativi ad Christi mortem refertur; hæc autem, sicut formaliter consistit in separatione animæ à corpore; ita sufficienter repræsentatur per hoc, quod formaliter ex vi verborum ponatur corpus sine anima.

Resp.

Resp. ne. ant. & prob. ad cujus prob. dico quod refertur ad Christi mortem, non utcumque, sed cruentam, non tantùm formaliter, sed etiam causativè, quamvis autem mors absolutè & utcumq; repręsentetur per animæ separationem non repręsentatur tamen modo posteriori, sicut ad sacrificium juxta præsentem institutionem requiritur.

Dices. Repręsentatio implicita & explicita differunt tantùm secundum modum & accidentaliter; sed accidentalis diversitas & secundum modum sacrificii essentiam non afficit, sicut nec afficit essentiam sacramenti; ergo.

Sed contra: ant. est verum loquendo absolutè; non ita, si repręsentatio explicita sit alicui affixa essentialiter, sicuti in re nostra contendimus. Manifestum est hoc in Baptismo, in quo, quia necessariò affixa est invocatio explicita Trinitatis, implicita non sufficit; & tamen invocatio implicita & explicita secundum se non differunt, nisi in modo, & accidentaliter.

414. Opp.2. In Missa offertur idem essentialiter sacrificium, quod oblatum fuit à Christo Domino in ultima cœna: sed non esset idem essentialiter, si in sacrificio Missæ esset necessaria explicita repręsentatio sanguinis effusi ergo. Prob. mi. Sacrificium oblatum à Christo Domino sanguinem effusum non repręsentavit; alioquin falsò repręsentasset, quia nondum sanguis effusus erat: dicamus igitur, quod sicuti repręsentatio corporis & sanguinis, sacrificio essentialis, communis est sacrificio crucis & cœnæ; ita implicita necessariò debet esse: Quod si contrarium asserere velimus, jam erunt essentialia in consecratione calicis illa verba. *Qui pro vobis effundetur*. Oppositum autem à nobis dictum est.

Resp. conc. maj. ne. mi. ad prob. licet non repręsentaverit sanguinem effusum, repræsentavit tamen sanguinem effundendum; Id autem quod repręsentat rem præteritam, non differt essentialiter ab eo, quod repræsentat rem futuram, cum repræsentatio essentialis non consistat in verbis, sed in rebus; res autem repræsentatur eadem abstrahendo à circumstantiis temporis; ut manifestum est in imagine repręsentante hominem, abstrahendo ab homine vel præterito, vel futuro, vel existente; Parum igitur interest, quod in cœna fuerit repręsentatus sanguis, ut effundendus, in Missa verò repræsentetur ut effusus; quamvis revera repræsentetur in Missa tanquam semper effundendus, idest tanquam ejus fructus semper nobis applicandus.

Ex his patet, quid dicendum postremò; nempe sine illis verbis adhuc haberi, non quidem in verbis, sed in rebus ipsis separationem sanguinis à corpore.

415. Opp.3. In consecratione unius tantùm speciei haberi potest explicita repræsentatio sacrificii cruenti; ergo non est essentialis utriusque speciei consecratio. Prob. ant. per consecrationem unius tantum speciei habetur verum sacramentum; sed ad sacramentum pertinet esse repræsentativum mortis & passionis Christi: unde Paulus 1. ad Corint.11. dicit; *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*. Et Ecclesia canit: *O sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus &c.* ergo. Idem declarari potest etiam exemplo; Ad repræsentandum ver.gr. in pictura corpus separatum à capite, satis est si pingatur corpus sine capite, quin in alio loco pingatur caput sine corpore; ergo ad repræsentandam separationem corporis à sanguine, satis est ponere in hostia ex vi verborum corpus sine sanguine, quin ponatur in alio loco sanguis sine corpore; sed id habetur per consecrationem tantùm unius speciei; ergo.

Resp. tam in Eucharistia, ut sacramentum est, quam ut sacrificium est, Christi passionis fieri commemorationem,

nem, ac repræsentationem, diverso tamen modo; ideo in primo sensu fit commemoratio tantùm implicita; in secundo vero explicita: & certè quod dixit Concilium Tridentinum sessione toties laudata, valet de Sacerdotibus offerentibus; non verò de aliis, qui sacramentum accipiunt, non tamen conficiunt. Exemplum adductum vel non est ad rem, quia nos loquimur juxta Christi institutionem nobis declaratam à Concilio Tridentino, & juxta id, quod ab ipso Christo peractum est; proinde non utcumque debet poni corpus sine sanguine; sed debet poni corpus ut separatum à sanguine, cui prius erat conjunctum; quod non valet de corpore, quod pingeretur sine capite, à quo non esset separatum, quia nunquam fuisset illi unitum: vel etiam deficit in antecedente; nam pictura exprimens in uno loco corpus, in alio caput, expressè explicat separationem seu abscissionem corporis à capite; & sic revera pingi solent martyres, qui pro Christi fide suum caput dederunt.

416. Ex his inferas, sacrificium Missæ unicum esse sacrificium, partialiter constans ex corpore sub speciebus panis, & ex sanguine Christi sub speciebus vini: atque in singulari semper loquitur Tridentinum, & ante Tridentinum loquuti sunt Sancti Patres, inter quos S. Augustin. lib. 10. de Civit. c. 20. ubi ait. *Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis eadem res diceretur*. Et Ecclesia offerendo panem &c. dicit, *sic fiat sacrificium nostrum*; nec non in quadam collecta: *Deus, qui legalium differentiam victimarum unius sacrificii perfectione sanxisti &c.* Unde si quandoque legis sacrificia, intellige partialia.

ARTICULUS VI.

Quid sentiendum de valore sacrificii Missæ.

417. Obscurissima æquè ac celeberrima apparuit proposita difficultas; ita ut Coninch. qu. 83. art. 1. dub. 10. omnes Doctores nimis confusè in hac re loquutos fuisse, asserere non dubitaverit. Mihi tamen clarissima videtur; sed primo adnotabo: Valorem sacrificii Missæ sumi posse, vel ut attenditur opus operantis, vel ut spectatur opus operatum; scilicet prout habet annexam Christi institutionem: Rursus hujusce sacrificii valor considerari potest, vel per respectum ad offerentes; vel ad eos, pro quibus offertur. Porrò offerentes sunt plures. Principalis offerens est Christus Dominus: Secundus est Sacerdos: Tertius est Ecclesia, quæ cum utatur Sacerdote, dicitur per Sacerdotem offerre: Et tandem offerentes etiam sunt illi qui Sacerdoti ministrant; vel qui ipsi stipem suppeditant, ut celebret; vel etiam circumstantes, qui sacrificio intersunt. Si Sacerdotem, Ecclesiam, aliosque præfatos offerentes inspicias, procul dubio ejusdem valor finitus est, cum horum omnium dignitas, & meritum sit finitum.

418. Itaque super est resolvendum de valore ex opere operato, qui proveniat à Christo principali offerente; atque ex ejusdem meritis, ac institutione.

Distinguunt omnes Theologi infinitatem intensivam & extensivam: rursus illam, quantùm ad sufficientiam, seu in actu primo, & quantùm ad efficaciam, seu in actu secundo. Ut moris sui est, valde divisi sunt.

Verùm, si de valore ad intensivam seu intrinsecam sui rationem pertinente, fit sermo, quæstionis decisio prorsus ab alio pendet principio; nimirum ab eo, quod Christi merita fuerint

rint infiniti valoris, nec ne. Quamobrem unusquisque secundum sua fundamenta debet in hac re concludere. Videantur propterea ea, quæ diximus in nostro tertio Tomo ubi punctnm hoc pertractatum est.

419. Deveniendum est igitur ad illum valorem, quem in actu secundo & efficacem appellarunt; atque de hoc sentio, infinitum nequaquam fuisse: siquidem de hoc valore loqui debemus juxta ideam, quam nobis exhibent effectus, quos sacrificium hoc profert; quilibet autem effectus procul dubio finitus est. Quod ut ostendatur.

Observandum est; effectum provenientem ex hoc sacrificio esse posse; vel ab ipso ut satisfactorium, propitiatorium, & expiatorium est; vel ut est meritorium & impetratorium: in prima consideratione non est per se directè & immediatè institutum ad delendum peccatum lethale, vel veniale; sed tantum ad remissionem pœnæ temporalis: Primum porrò declaratur ex Concilio Trident. sess. 22. cap. 2. dicente: *Per hoc sacrificium misericordiam Dei consequimur, & gratiam invenimus in tempore opportuno; hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pænitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*. Ratio hujus desumitur ex definitione & essentia sacrificii: hoc enim non est institutum ad hominem immediatè sanctificandum; sed ad Deum colendum, ejusdemque supremum dominium protestandum: secundum ex eo constat: quia si per jejunia, eleemosynas, & alia opera bona, peccata, idest peccatorum pœnæ rediminuntur; majori ratione per Christi sanguinem, qui factus est propitiatio pro peccatis: In secunda verò consideratione est per se directum ad nobis obtinenda plura bona sive spiritualia, sive temporalia; & ad plura mala præcavenda.

420. Quibus expositis, jam manifestum fit, neque ut propitiatorium, neque ut impetratorium in actu secundo esse infinitum: etenim finita est temporalis pœna quam remittit; finita sunt illa bona, quæ impetrat; præsertim cum dispositiones illorum pro quibus offertur, vel qui offerunt possint esse majores & majores, nunquam infinitæ: & quamvis etiam immediatè remitteret peccata lethalia; adhuc infinitum non esset; sicuti per me infinitum non est peccatum lethale: quod rursus dicendum foret, quamvis ejusdem valor in actu primo concederetur infinitus; sicut omnipotentia Divina in actu primo infinita est; nec tamen ex parte alicujus effectus infinitatem præsefert, nisi in modo quo producit: atque ex hoc rectè infertur, posse pro eodem plura sacrificia applicari, quia fortasse quando primum, secundum, & tertium sacrificium oblatum fuit, non erat ille dispositus ad totius pœnæ remissionem: quod idem valet pro defunctis, quia in istis vel considerantur dispositiones, quas habuerunt in via, ut docet Cajetanus, vel Sacerdotis devotio, veluti substituta.

421. Multò magis dicendum est, non esse infinitum extensivè pro iis, pro quibus offertur; ita ut quo sunt plures, pro quibus offertur, eò minorem fructum ipsi percipiant: quod tradit Scot. in 4. quodl. 20. S. Th. dis. 45. q. 2. art. 4. Si enim sacrificium pro pluribus speciatim oblatum esset infiniti valoris extensivè; ita ut omnibus prodesset, sicut si pro uno tantùm offerretur; deberet semper offerri pro pluribus, & non satis justè Ecclesia se gessisset, statuens orationem pro aliquo singulari; melius enim est pluribus prodesse, quàm uni, si adjumentum pluribus datum uni non officit. Additur: Frustra tot Capellanias multiplicari in talis animæ bonum, vel talis familiæ; frustra etiam Urbanus VIII. in decreto de celebratione Missarum diceret: illos Sacerdotes non satisfacere, atque ad restitutionem teneri, qui non celebrant tot Missas, quot

ad

ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerunt; ergo.

422. Si autem hujuſce rei rationem à me quæſieris; aliam certè afferre non poſſum præter Divinam voluntatem, quam ex pluribus capitibus licet colligere. 1. Ut ſic ad Divinum dominium continuò proteſtandum, ac religionis officium ſervandum, ſacrificium hoc frequentius offerretur. 2. Ut verum ſit, Chriſtum aſſiduè vivere ad interpellandum pro nobis: & tandem ut pretium illud, quod habuit in cruce, certo tempore, & certa menſura applicaretur, non utcumque ſed juxta hominum pietatem, religionem, cæteraſque diſpoſitiones: Qua in re præclarè, ut ſolet, inquit S. Th. q.79. art.5. *Quamvis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen ſit ſatisfactoria pro illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundum quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna.* Et art. 7. ad 2. *Sicut paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus, quantùm ad ſufficientiam, ſed effectum non habet, niſi in illis, qui paſſioni Chriſti conjunguntur per fidem, & charitatem; ita & hoc ſacrificium &c.*

423. Collige, quæ à nobis dicta ſunt, intelligenda eſſe de valore ſeu fructu, quem vocant ſpecialem, quive ab eo recipitur, pro quo ſacrificium offertur; non verò vel de fructu generali recepto à tota Eccleſia; vel de perſonali recepto ab ipſo Sacerdote offerente, aliiſque, qui ſimul offerre dicuntur: atque hac poſita diſtinctione plura ſervabis, quæ opponi poſſe videntur: nempe quod plus prodeſſet ſi tantùm unus eſſet Sacerdos conſecrans, quam ſi plures; plus ſi eſſent in minori numero adſtantes, quàm ſi in minori; & ideo expediret potiùs audire Miſſam privatam in Oratorio, quam in publica Eccleſia; quæ videntur abſurda.

424. Opp. tamen 1. Res oblata in ſacrificio Miſſæ eſt infinita; ſiquidem eſt ipſe Chriſtus; ergo ſacrificium Miſſæ eſt infiniti valoris: Certè dignitas rei oblatæ conferre debet ad valorem oblationis; igitur major dignitas magis conferet, & infinita dignitas conferet infinitè.

Præterea. Sacrificium Miſſæ in ſubſtantia non differt à ſacrificio crucis, ſed tantùm in modo; ergo ſicuti unicum ſacrificium crucis ſuperabundans fuit pro noſtra redemptione, & ſatisfactione pro peccatis totius mundi, ita ſacrificium unicum Miſſæ ſuperabundans erit pro ſatisfactione cujuſcumque pœnæ.

Reſp. tranſmitto ant. nam ipſe Chriſtus oblatus infinitus non eſt; non enim offertur, ut Deus, quod repugnat; ſed ut homo, in quo ſenſu finitus eſt; quamvis unitus perſonæ infinitæ, ex qua quidem unione deſumi potuiſſet dignitas & valor infinitus, ſed hujuſmodi valoris incapax erat humanitas: ne. conſ. neque enim ex re oblata deſumi debet qualitas, ſeu quantitas oblationis; alioquin eum Virgo Maria obtulerit Chriſtum in templo, oblatio Virginis infinito valore non caruiſſet: repetenda eſt igitur à voluntate Dei, quæ talem eſſe noluit, uti dictum, & ſimul à Chriſti applicatione, quæ fuit certis terminis obſtricta. Quod verò dicatur, dignitatem rei oblatæ ad valorem oblationis conferre; hoc in primis falſum eſt, cum in oblationis valore ſpectanda potiſſimùm ſit offerentis fides, devotio, animique promptitudo: Manifeſtum eſt hoc in illa vidua, quæ minùs obtulit præ aliis; ejus tamen oblatio cœteris quibuſcumque grata fuit Deo: conſtat etiam in Chriſto Domino, cujus operationum valor æqualis erat in omnibus objectis; licet hæc eſſent inæqualia: Secundò; quamvis dicamus, rem oblatam in ſacrificio noſtro eſſe infinitam; attamen nec illam Deus acceptare vult, nec Chriſtus vult offerri tanquam infinitam; præſertim quod Chriſtus eſt quidem præcipuus offerens, ſed non immediatus; hujuſmodi enim eſt

est Sacerdos: dicitur autem Christus præcipuus offerens, quia potestatem Sacerdotibus fecit, ut ipsius vice offerrent; proinde &c. confert igitur dignitas rei oblatæ ad valorem oblationis de materiali & passivè, non activè & formaliter.

Ad 2. omitto ant. dispar autem est ratio inter sacrificium crucis & Missæ; siquidem in illo unica oblatione Christus omnia perfecit ac consummavit, ut loquitur Paulus; solvens omne pretium redemptionis nostræ, & satisfaciens pro peccatis nostris etiam superabundanter, ut dictum fuit in nostro tertio tomo: Et rursus sacrificium illud iterari repetique non potest; Christus enim semel mortuus, ampliùs non moritur; sacrificium autem Missę est applicativum fructus illius, qui modo tantùm finito applicatur; & cum sit repręsentatio passionis Christi, sæpiùs repręsentare potest: ut patet in aliis rebus, quæ licet unica tantùm vice peragi possint, frequenter tamen possunt representativè exhiberi: & denique in sacrificio crucis Christus fuit immediatus & unicus offerens; non ita in sacrificio Missæ.

425. Dices, valor essentialis sacrificii Missæ minui non potest per Ministrum offerentem, sed desumi debet à præcipuo offerente, qui est Christus, quamvis solum mediatè; ergo. Prob. ant. donum, & mandatum Regis non minuitur per Ministrum exhibentem, ac promulgantem, sed utriusque valor desumitur à Rege, quamvis tantùm mediatè exhibeat, & præcipiat; ergo à pari: Idem patet etiam in eleemosyna, quæ licet fiat per alium etiam malum; attamen ejusdem est valoris, ac si fieret immediatè.

Sed contra. Verum est ant. per se, non autem spectata Dei voluntate, & Christi institutione, ut manifestum est etiam in omnibus sacramentis, in quibus passionis Christi merita nobis applicantur modo tantum finito, ac certis limitibus coarctato: Præterea: prima duo exempla falsa sunt; Quis enim negat, donum ac mandatum Regis majorem vim moraliter habere, si ab ipso Rege immediatè illud exhibeatur, & hoc promulgetur? Ultimo exemplo eodem modo respondemus, nempè per Ministrum etiam malum non impediri valorem sacrificii ex opere operato; sed juxta vim suæ institutionis.

426. Opp. 2. Sacrificium Missæ ex opere operato tam prodest omnibus, quam prosit singulis, ergo. Prob. ant. Sacrificium Missæ est bonum spirituale, quod communicatur, sed bonum spirituale, quod communicatur, tam prodest omnibus, quàm prosit singulis; ergo. Prob. mi. bonum spirituale, quod communicatur, ita se habet per respectum ad illos, quibus communicatur, sicut spiritus se habet ad locum, sed spiritus ita se habet ad locum, ut ita sit in singulis partibus loci, sicut in toto loco; ergo. Atque hoc ostendi potest etiam plurium rerum corporearum exemplo; sic lumen æqualiter simul ad omnes diffunditur sicut ad singulos, & eadem vox æquali modo plurium afficit auditum, sicut unius.

Resp. ne. ant. ad prob. ne. mi. ad prob. argumentum pro nobis conficitur: nam sicuti spiritus, v. g. anima rationalis ita communicatur uni, ut non communicetur alteri; ita sacrificium Missæ, quod est bonum spirituale, ita communicatur uni, ut alteri tamen non communicetur, & ita servetur inter sacrificia distinctio numerica, & fructus diversus juxta eorum, pro quibus offertur, meritum ac dispositiones: neque plures, pro quibus offertur, sunt partes unius, sicuti partes, in quibus spiritus existit, unius loci sunt partes; ex quo dispar colligitur ratio pro exemplis adductis; omnes enim per respectum ad lumen & vocem supponuntur partes contentæ intra eandem sphæram; neque unus est susceptivum adæquatum luminis & vocis, sicut quilibet

per

per se est susceptivum adæquatum fructus sacrificii. Verùm in re nostra paritates istæ, aliæque perperam producuntur: Valor enim sacrificii Missæ non est desumendus ex natura rei; sed à Divina voluntate, & Christi institutione.

427. Opp.3. Idem Sacerdos unica actione plures baptizare potest, & ita, ut omnibus æqualis gratia conferatur ex opere operato; ergo etiam idem Sacerdos unico sacrificio omnibus æqualiter prodesse poterit ex opere operato.

Resp. ne. conf. etenim in primo casu tot erunt Baptismata, quot erunt abluti per illam unicam actionem: mirum igitur non est, si omnibus æqualis gratia conferatur ex opere operato; at sacrificium pro pluribus oblatum unum est sacrificium, proinde &c.

Nonnulla alia opponi possunt, sed facillimè dissolvuntur.

ARTICULUS VII.

Pro quibus sacrificium Missæ applicari possit.

428. Distinguendi sunt hic viventes & defuncti: item distinguendi baptizati à non baptizatis: & rursus inter baptizatos illi, qui veram fidem servant, & Ecclesiæ sunt membra ab illis, qui sunt manifestè hæretici, ac publicè excommunicati: Inter defunctos verò, aliqui sunt æterna felicitate donati; alii in pænis Purgatorii constituti; alii æternis suppliciis addicti.

Dico 1. Pro omnibus viventibus aliquo modo sacrificium Missæ applicari & offerri posse.

Et primò quantum ad eos attinet, qui in Sanctæ Ecclesiæ gremio continentur, nulla controversia potest excitari: siquidem in Missæ canone, post illa verba. *Te igitur clementissime Pater*: statim adduntur ista: *Pro Ecclesia tua Sancta Catholica &c. & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus*; quod quidem etiam ad parvulos extendi debet, cum licet illis nullus reatus pœnæ remitti possit, aliis tamen donis adimpleri possunt, & quo pacto etiam de peccatoribus id intelligendum sit, dictum est ex Concil. Trident. num.419.

429. Utrum autem offerri possit pro Cathecumenis, non levis difficultas excitari posset, atque pars negativa mihi magis probabilior apparet: non enim potest Eucharistia iis prodesse ut sacrificium, quibus nec potest, nec potuit prodesse ut Sacramentum; hujusmodi autem sunt Cathecumeni, quibus cum nondum sit permissum Baptisma, quod omnium Sacramentorum est janua; alia etiam sacramenta concessa non sunt: atque hinc fit, quod ipsa Ecclesię preces pro Cathecumenis, nonnisi parasceves die, adhibeat; eo scilicet die, quo Christus Redemptor noster omnium mortem sua morte superavit, atque in hoc sensu dixit Augustinus lib. de Anima cap. 9. *Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui sunt membra Christi?* Cathecumeni autem membra Christi non sunt; sicuti non sunt Ecclesię membra: & quamvis per fidem, & charitatem ad Christum pertineant; cum revera eos salvari, existimem cum S. Ambrosio in orat. de obitu Valentiniani; attamen ad Christum non spectant, ut est caput Ecclesiæ visibilis, cui sacrificium offerendi munus ac potestas ab ipso Christo commissa sunt. Novi tamen plures alios Doctores in opposita esse sententia, plurésque etiam ex Patribus proferre sententias, quas, si placet, explicare poteris in eo sensu, quo dicam inferiùs.

430. Dico 2. pro hæreticis manifestis, atque peccatoribus excommunicatis sacrificium offerre non licet; Hoc manifestè colligitur ex cap. *Nobis*, de sententia excommunicationis; & ratio id exposcit, sicut enim isti ab Ecclesiæ communione præcisi sunt; ita etiam segre-

gregati intelliguntur ab iis pro quibus Ecclesiæ preces ac sacramenta diriguntur; Hæc justissima pœna est, non quidem in ultionem inventa, sed ad pietatem instituta; ut nimirum tanto bono (si tamen bonum percipiunt) se destitutos intuentes, se Ecclesiæ restituant, ejusdemque communionis se participes reddant: atque ideo hoc à te intelligi volo, ut id sacrificii naturæ non tribuas, sed tantùm Ecclesiasticæ prohibitioni: Si enim Christus pro omnibus se obtulit sacrificium in cruce, etiam pro omnibus se obtulit sacrificium in Missa; imò priscis temporibus fieri consuevit, ut etiam pro Regibus infidelibus, aliisque erroribus variis detentis sacrificium offerretur, ut habetur ex Tertulliano in lib. ad Scapulam, necnon aliis Patribus, imo ex S. Paulo 1. ad Timot. 2.

431. Dico 3. Sacrificium Missæ indirectè pro omnibus omninò viventibus offerri posse. Quis enim inficias ibit, offerri sacrificium, ut Ecclesia Catholica propagetur, uniatur, atque purgetur? Hæc autem omnia id ad reducuntur, ut omnes omnino convertantur, eamque Ecclesiam agnoscant, quam sibi Christus sponsam effecit, & extra quam salus æterna obtineri non potest; Patet etiam hoc, quia peculiaris Missa ad tollendum schisma est instituta; in qua, dum oramus pro Ecclesiæ pace; etiam pro Ecclesiæ hostibus nostras preces effundere sit consectarium: Qua propter ubicumque legeris in Sanctis Patribus oppositum dici; id intellige directè, non indirectè. Patrum autem sententias non profero, cum plures sint, eisdemque explicationibus declarentur.

432. Dico 4. Pro iis, qui æternis cruciatibus in inferno sunt addicti, nullo modo sacrificium hoc potest offerri. Rationes nullas produco, satis constat ex iis, quæ in nostro secundo Tomo dicta sunt de pœna debita peccato mortali in hac vita nequaquam remisso.

Quod præcipuum in hoc puncto est, revocatur ad animas in Purgatorio existentes; atque etiam in hac re pauca hic à nobis dicenda forent, cum jam demonstratum sit in nostro secundo Tomo pag. 342. fidelium orationes defunctis prodesse; nihilo tamen minus alia nonnulla subdemus, sacrificium hoc pro mortuis offerri posse declaraturi.

Jam notum est, quod legitur 2. Machab. cap. 12., nempe Judam Jerosolymas misisse magnam auri copiam, ut pro mortuis sacrificium offerretur; deinde concluditur: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*. Neminem latet, quid hæretici respondeant, sed quam perperam nobis reponant, diximus in Tomo primo. Licet autem liber iste tanquam canonicus admittendus non esset; ejus tamen authoritas saltem tanquam antiquissimæ historiæ foret habenda.

433. Primum argumentum desumam ex Apostolica traditione admissa à Sanctis Patribus; Isidoro lib. 1. de Officiis Divinis cap. 14. Gregorio Nysseno, quem citat Damascenus in oratione pro Defunctis; & præsertim à S. Jo: Chrysost. hom. 29. ad populum Antioch. cujus verba sunt ista: *Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, multam utilitatem*.

Dices, hoc gratis à Chrysostomo dici, cum hæc Apostolica traditio in nulla Scriptura reperiatur; & alii Sancti Patres oppositum doceant: Hieronymus enim & Gregorius dicunt, sola oratione Dominica Apostolos usos esse; & Tertullianus de corona Militis affirmat, hunc ritum à consuetudine derivasse; ergo non ex Apostolica traditione.

Frustra primum dictum est; Nunquid nos assertionem nostram ex Scripturis probare contendimus? Adduximus quidem testimonium illud ex Macha-

chabæorum libris; fatemur tamen in teſtamento novo id nequaquam reperiri, ſatis nobis eſt ex verbo non ſcripto ſed tradito colligi, quod amplius infra oſtendemus. Quidquid autem dicitur ex Hieronymo, & Gregorio concedi poteſt, etenim etiam ſine oratione Dominica, & quacumque alia prece poterat pro defunctis offerri ſacrificium; Quis ex nobis hoc negat? Sed revera Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos dicit tantummodo, Chriſtum Apoſtolos orationem Dominicam docuiſſe; ut etiam poſt conſecrationem eam recitarent; alias tamen orationes non excludit, quas Eccleſia cenſuit addendas. Fruſtra etiam in oppoſitum adducitur Tertullianus; ait enim ibidem. *Traditio eſt auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix*, & infra. *Oblationes pro defunctis annua die facimus*. Quamvis annuam diem dicere poſſumus à conſuetudine derivaſſe, nequaquam ex Apoſtolica traditione; verùm hoc ipſum magis dictum noſtrum confirmat.

Hanc Apoſtolicam traditionem magis etiam declarat perpetua praxis Eccleſiæ, ex qua ſecundum propono argumentum: Legantur quæſo omnes Liturgiæ Jacobi, Clementis, Baſilii, Chryſoſtomi, Ambroſii, invenientur Eccleſiæ preces pro defunctis. Legantur Concilia; Carthagin. 3. in Africa, Wormatien. in Germania, Brac. 1. pro Hiſpania; Concil. 6. ſub Symmacho pro Italia, Cabilonen. pro Gallia, quod refertur c. *Viſum eſt* De conſecrat. diſt. 1. Tridentin. poſtremo loco memorabo.

434. Quod Liturgiæ, quod Concilia, docuerunt & Sancti Patres, & quidem Eccleſiæ veteris, quam veram fuiſſe, ipſi teſtantur Hæretici; Inter eos non deeſt S. Cyprian. qui lib. 1. epiſt. 9. inquit. *Anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſueverunt &c. Si quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec pro dormitione ipſius ſacrificium celebraretur*. Cyril. Hieroſolymit. catec. 5. ait, *Maximum eſſe credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio Sancti illius; & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificii*. Omitto Ambroſ. Theophylac. & alios, & totum confirmo ex facto S. Auguſtini, qui in morte Matris ſuæ Monicæ pluries pro ipſius anima Miſſam habuit, ut eam pareret Eccleſiæ triumphanti; quæ lacrymis & orationibus ſuis illum pepererat militanti. Legantur opera hujuſce præclariſſimi Doctoris, fermè nullum eſt, in quo de hac re ſermonem non habeat, præſertim in Enchir. cap. 110. in lib. de cura pro mortuis, cap. 18. &c.

435. Kemnitius contendit, authoritatum robur effugere dicendo, in celebratione commemorari mortuos, non ut fiat propitiatio pro peccatis mortuorum, ſed ut fiat confeſſio & teſtificatio illius articuli, *communionem Sanctorum*; ut ſcilicet confiteamur, tam vivos quam mortuos ad corpus Chriſti, & Eccleſiæ pertinere: ſed quis non videt hoc eſſe purum, & fabuloſum inventum? Quis non videt, per laudatos textus plus aliquid explicari, præſertim cum dicat Auguſtin. in Enchir. cap. 110. *Pro non valde malis propitiatio eſt*.

436. Quæ generatim opponi poſſunt, ut probetur, viventes pro mortuis orare non poſſe, nec ipſorum preces quidpiam iis prodeſſe, rejecta ſunt tom. 2. loco laudato; nunc unicum ſubdam in hac peculiari re argumentum, quod leviſſimum eſt; nempe Chriſtum, dum Euchariſtiam inſtituit, dixiſſe; *Accipite, & manducate*. Unde cum defuncti nequeant accipere & manducare, inferunt, pro illis ſacrificium hoc offerri non poſſe; leviſſimum inquam eſt, ſiquidem ex eo tantum probatur, mortuos, qui accipere & manducare non poſſunt, non eſſe participes carnis & ſanguinis ſacrificii, non vero non eſſe participes fructus. Quod ſi Job pro abſentibus filiis ſacrificium offerebat; cur nos pro noſtris abſentibus in Chriſto fra-

fratribus non offeremus? Tunc Christus Dominus iis tantùm loquebatur, quibus suam carnem & suum sanguinem porrigebat; non verò reliquis omnibus, pro quibus sacrificium offerebat: ideo dixit de suo sanguine, *qui pro vobis & pro multis effundetur*.

437. Omnibus dictis addamus Canones Concilii Tridentini, quos justissimè proditos esse, satis apparet: sed sufficiat id, quod legitur sess. 22. c. 2., ubi sunt ista. *Non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem, offertur*. Et can. 3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationim sacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit*.

438. Superest modo, ut aliquid dicamus, quid sentiendum sit de sacrificio, quod pro Sanctis offertur: Qua in re breviter respondeo. 1. Pro ipsis offerri non posse ad culpæ, vel pœnæ remissionem, cum sint sicut cujuscumque culpæ, ita & cujuscumque pœnæ expertes. 2. Sacrificium Missæ non esse per se institutum ad Sanctos colendos, & invocandos, sed ad colendum Deum, & in ejusdem supremi dominii protestationem; ita ut licet nulla fieret Sanctorum memoria, adhuc esset verum sacrificium: Unde solum secundariò, & de consequenti Sanctorum cultus & invocatio sacrificio tribuitur; nam agendo gratias Deo ob Sanctorum victorias & gloriam Sanctorum honor resultat, & cum nos ipsorum memores sumus in terris, fiunt ipsi memores nostrum in cœlis. Hoc in pietatis, nostræque utilitatis officio non video cur nos possint hæretici calumniari, nisi calumnientur omnes tam Græcorum, quam Latinorum liturgias, nec non Sanctos Patres. *Cum hoc sacrificium offerimus* inquit S. Cyril. Hierosolymit. catec. 5. *mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum &c. ut Deus orationibus illorum & deprecationibus, suscipiat preces*. Et S. August. tract. 84. in Joan. ait; *Non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro iis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis*. Huc revocanda sunt ea, quæ in nostro tertio Tomo dicta sunt de cultu, & invocatione Sanctorum.

ARTICULUS VIII.

Quid sentiendum de Missis privatis.

439. Missam appellari posse privatam multifariam contingere potest. 1. Propter locum, puta Oratorium seu Sacellum. 2. Propter tempus, prout distinguuntur dies festi à ferialibus. 3. Propter finem, quatenus pro aliquo particulari homine, vel negotio celebretur. 4. Propter paucitatem eorum, qui intersunt, quique, ut intersint non expectantur. 5. Propter Altaria, quæ sint in eodem Templo sejuncta ab Altari summo, in quo solet unica tantum Missa publica celebrari. Tandem privata dicitur, quia in ea solus Sacerdos communicat.

440. De Missis privatis sub priori triplici consideratione fermè nulla est Catholicos inter & Hæreticos controversia; noverant enim & isti plura esse monumenta, ex quibus hasce Missas privatas in usu fuisse, palàm evincitur; Quare quod Lutherus, Brentius, & Melanct. adversùs privatam Missam impiè scripserunt, ad Missas privatas in quarto sensu, & potissimùm in quinto revocatur.

Dico 1. Missas privatas, quæ tales dicuntur, quia eadem die celebrantur in minoribus Altaribus, licitas esse. Si enim

enim in testamento veteri plura eodem die offerebantur sacrificia, cur licitum non erit in novo? Hoc profectò aliis temporibus peractum est: Dum esset Summus Pontifex Cornelius, Romæ erant quadraginta quatuor Presbyteri, ut ipse scribit ad Fabium Antiochenum; dicere autem non debemus, aut omnes aut plures ex istis quotidie non celebrasse; etenim de aliis singulis diebus sacrificium obtulisse, monumenta habemus in Chrysost. homil. 3. in epist. ad Ephes., ex Hieronymo in c. 1. ad Tit., ex Augustino epist. 23., aliisque; igitur eodem die & loco sacra faciebant; De Episcopis, quos ad templi dedicationem invitavit Constantinus, scribit Euseb. lib. 4. cap. 45. de vita ejusdem; priùs incruenta sacrificia Deo obtulisse; deinde diem festum celebrasse. Quod si verum esset, quod Novatores contendunt, utquid in eadem Ecclesia plura Altaria fuissent erecta? & tamen Ambrosius epist. 33. plura commemorat; & Gregor. lib. 5. epist. 50. tredecim Altaria fuisse in una Ecclesia testatur. Sed deveniendum est ad præcipuum punctum, quod est de Missa privata sub ultima consideratione; Pro quo

441. Dico 2. Missam privatam, in qua solus Sacerdos sacramentum recipit, licitam esse.

Hoc in primis suadere placet ex Conciliorum statutis & doctrina. In Concilio Agathensi can. 18. præcipitur, ut fideles omnibus diebus Dominicis Missæ sacrificio intersint; ter autem in anno communionem percipiant, nempe in Nativitate Domini, Paschate, & Pentecoste: igitur licitum erat Missam celebrare, quin aliquis communicaret. In Concilio Nannatensi cap. 30. prohibetur, Sacerdotem Missam celebrare, nisi saltem sit unus, qui respondeat; supponit igitur ad licitam celebrationem sufficere unum, qui respondeat. In Concilio Toletano 12. can. 5. graviter reprehenduntur Sacerdotes quidam, qui sacrificium offerebant, nec tamen communicabant, *Quale erit*, ait Concilium, *illud sacrificium, cui nec ipse sarrificans participasse dignoscitur?* Supponitur igitur, in ejusmodi sacrificio neminem fuisse, qui communicaret; & tamen aliud à Concilio non requiritur, nisi ut Sacerdos communicet.

442. Secundo affero alia momenta. 1. Sacrificium ex natura sua non postulat, ut plures intersint, & sacramenti participes fiant; siquidem sacrificium refertur ad Deum, & illius fructus participes esse possunt non solùm præsentes sed etiam absentes; sicut contingit in oratione, quæ prodest illi, pro quo fit, etiamsi iste quid agatur, prorsus ignoret. 2. Plurimi Sacerdotes quotidie celebrabant, ut superiùs dictum est; & tamen populus raro communionem percipiebat; unde Chrysost. homil. 3. in epist. ad Ephes. illis verbis conqueritur. *Frustra habetur quotidianum sacrificium, frustra adstamus Altari. Nemo est, qui participet.* Supponit igitur Sanctus Doctor quotidianum offerri sacrificium; frustra tamen offerri respectu fidelium, qui specialem fructum ex Eucharistiæ perceptione non colligebant. 3. Vetustissima consuetudo fuit, quæ adhuc perseverat, ut quilibet Sacerdos in Natali Domini ter Missas celebraret, ut indicat S. Gregor. homil. de Nat. Dom., at dicendum ne est, fideles in singulis Missis communionem percepisse? Denique pluries sacrificium oblatum est pro aliqua peculiari causa, puta, ad obtinendam terræ fæcunditatem; ad arcendas grandines; ad tollenda schismata &c. at tunc verisimile est, nulli communionem datam esse; Duo exempla habemus in S. Augustino. Unum lib. 9. Confess. cap. 12., ubi ait oblatum fuisse sacrificium pro Matre sua præsente cadavere; alterum lib. 22. de Civit. cap. 8. ubi refert, unum ex suis Presbyteris sacrum fecisse in quadam domo, ut eam à Dæmonum vexatione liberaret.

443. Nunc quid senserit, atque statuerit Concilium Tridentinum, in medium afferamus; sess.22. cap.6. ejus verba sunt ista. *Optaret quidem Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent; quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat; atque adeo commendat: Siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent; partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim verò, quod à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur*. Ex qua doctrina infertur, quod cum hęretici Missas privatas, quas angulares dicunt, exprobrant, falsò supponunt; quia nulla datur Missa, quę privata dici possit quantùm ad fructum.

Adversùs hanc Concilii rationem plures ineptias affert Kemnitius; inter cæteras, ex quo Minister sit publicus, sacrificium, inquit, commune dici non posse; nam etiam concionator est Minister publicus, & qui baptizat; nec tamen ille concionari potest, nisi præsens sit populus, qui verbum percipiat, nec iste baptizare, nisi adsit, qui baptizandus sit; sed non ne videt, Ministrum diverso modo esse publicum in concione & baptismo, & diverso modo in sacrificando? in priori enim consideratione diriguntur actiones Ministri ad populum; in posteriori vero ad Deum: Unde probatur tantum, quod sicuti si non esset populus, aut homo baptizandus, nec posset concionari, nec baptismum conferre; ita si non esset Deus, non posset sacrificare. Verum alia hæreticorum argumenta rejiciamus.

444. Opp. 1. Consecrare corpus Christi, & illud non distribuere, est cœnam Dominicam profanare; ergo Missæ privatæ, in quibus populus non communicat, illicitæ sunt: prob. ant. Christus, dum cœnam instituit, non solum consecravit, sed etiam distribuit, deinde jussit, id ab aliis faciendum esse per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo. Neque certè actiones istas Christi dividere possumus; alioquin si licitè consecrare possemus, quin distribueremus, possemus etiam consecrare, & non sumere.

Resp. ne. ant. ad prob. conc. Christum consecrasse, & Eucharistiam distribuisse, præcepisse etiam, ut Sacerdotes aliis distribuerent; sed præcepto affirmativo pro loco, tempore, & personis juxta Ecclesiæ determinationem, non scilicet quocumque loco, quocumque tempore, quibuscumque personis; & si factum Christi probaret, sequeretur, quod cum Christus, juxta communiorem sententiam, communionem dederit Judæ, etiam nos eam dare deberemus cuicumque homini perdito; Si igitur sint, qui velint ac possint communionem sumere, illis ministrare debemus, necesse autem non est, ut sint qui semper velint, ac possint; atque ita intellige alia, quæ juxta S. Paulum afferri possent. Quamobrem actiones istas dividere possumus, cum sacrificio essentiales non sint; hujusmodi autem non est sumptio per respectum ad Sacerdotem consecrantem; sicut probatum fuit.

445. Opp. 2. Apostolorum tempore nunquam offerebatur sacrificium sine communionis distributione; ergo Missæ privatæ, de quibus loquimur, illicitæ sunt: Et profectò assistere Missæ sine Eucharistiæ perceptione toti antiquitati ignotissima res fuit; imo à Sanctis Patribus improbata: Clara sunt Chrysostomi testimonia: ait enim laudata hom. 3. *Frustra est quotidianum sacrificium; frustra adstamus Altari: Nemo est qui participet*. Addit infra. *Quicumque est, qui mysteriorum non est particeps, is impudenter stat, & nimis audacter*.

Et

Et tandem affert exemplum his verbis. *Si quis ad convivium invitatus manus laverit, & accubuerit, & ad mensam paratus fuerit; deinde non fuerit ejus particeps, an non contumelia afficit eum, qui invitavit? An non esset meliùs eum nec adfuisse quidem?*

Resp. id factum esse ex fidelium devotione, & charitatis ardore; non quia ad licitè sacrificandum necessarium esset; Optare quidem possumus, sicut optat Sancta Synodus, ut in singulis Missis communio distribuatur; attamen quod optari debet, necessarium non est existimandum. Quam falsum sit, Missarum privatarum usum toti antiquitati ignotum fuisse, habes ex dictis num. 441. & 442., sicut neque à Sanctis Patribus improbatum fuisse.

Quantùm verò ad Sanctum Joannem Chrysost. attinet, jam priorem textum exposuimus, imò pro nobis adduximus. Reliquos nunc expendemus; quæ quidem dicta esse existimamus, ut concionatoris more timorem incuteret; non quia reverà ita sentiret: volebat enim fidelium animos accendere, ut Eucharistiam persæpe perciperent; illamque iguaviam, ac spiritus torporem excutere, quo fiebat, ut nunquam vel rarò Eucharistiæ fructum sacramentaliter in se haberent, fortasse dicentes, se indignos esse, atque imparatos: Minatur igitur Joannes Chrysostomus, & per excessum loquitur, ipsos quodammodo sic convincens; indignos vos judicatis, ut mensæ Domini participes sacramenti perceptione efficiamini; itaque & indignos vos judicate, ut cum reliquis mysteriorum stetis celebrationi: Cæterum; Chrysostomum in hæreticorum errore non fuisse, manifestum est; quia existimavit semper, sacrificium hoc prodesse vivis, atque defunctis; & hom.3. de incomprehensibili natura Dei reprehendit eos, qui statim fine dato concioni recedebant; quamvis sciret, eos non communicare: sic explica quæcumque alia opponi possunt ex Patribus; in istis enim neque natura sacrificii, neque Sacerdotum cura redarguitur; sed tantùm populi negligentia, atque tepiditas.

446. Opp. 3. ex S. Basilio, qui in psal. 115. de se dicit: *Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium*. Asserens etiam, unum esse Altare Ecclesiæ, quod & confirmat Hieronym. in cap.3. Amos.

Resp. omnia Altaria esse unum Altare; quia idem in omnibus offertur: si verò pro unitate Altaris sumatur unitas materialis; contrarium demonstratum est num.440. in fine. Basilius id rectissimè dixit; agebatur tunc de schismaticis, qui se ab Ecclesia segregabant, & in conventiculis suis sacrificia offerebant, atque neque unum Altare, neque unum sacrificium agnoscebant; ut itaque horum sacrificia detestaretur, ita loquebatur; & sic intellige Hieronymum, atque quoscumque alios, qui simili modo loquuntur.

447. Opp. 4. Si Missæ privatæ in sensu nostro licitæ essent, immeritò in decimo canone Apostolorum illi fuissent excommunicati, qui usque ad Missæ finem in Ecclesia non permansissent, & sanctam non accepissent communionem; qui canon tanti faciendus est, quanti can.2. Concilii Antiocheni, in quo fuit renovatus; imò in epist.1. Anacleti apud Gratianum can. *Peracta*, de consecr. dis.2. sic legitur. *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; Sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia*. Igitur &c.

Resp. si admittantur isti canones, non aliud præseferunt, quam jus Ecclesiasticum, quod afficiebat quidem laicos adstantes, non tamen impediebat Sacerdotes à sacrificio, si vel laici non adessent, vel nollent communicare: jus autem hoc Ecclesiasticum abrogatum fuisse, patet ex dictis superiùs. Reverа tamen Canon Apostolicus in Concilio Antiocheno explicatus ad eos re-

refertur, qui ob aliquam superstitionem, opinionemque pravam sacræ communioni se hostes præbebant; Anacleti verò epistola ad illos clericos, qui Episcopo solemniter celebranti ministrabant; ut patet legenti non solum fragmentum epistolæ, quod à Gratiano citatur, sed totam epistolam.

448. Plura alia præteribo; quæ, si attendantur à nobis dicta præsertim juxta Concilium Tridentinum, facili negotio persolvuntur; Unum tantùm proponam ex Melanct. in apol. confess. Augustanæ in art. de Missa. Producit iste epistolam quamdam S. Francisci ad Fratres suos, in qua jubet, ut tantùm una Missa in uno loco celebretur, quamvis sint plures Sacerdotes.

Patres Sancti Francisci calumniam hanc procul arcete; arcetis quidem experimento contrario, quod satis esset: Mea tamen interest amicitiæ ac venerationis causa communem veritatem magis defendere. Mendacium hoc maximum est Melanctonis, cujus præsidio in pluribus, ne dicam in omnibus, se muniunt hæretici: Epistola hæc Franciscum protectorem meum non agnovit authorem; & si quid probat, in ea sermo est de feria 5. cœnæ Domini; Ex eo autem magis falsitatis evincitur, quod afferatur in ea epistola, hanc esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem; quod quam alienum sit, nemo non viderit: Novi certè tunc Honorium III. in Petri Cathedra sedisse; at iste jussit cap. *Cum creatura* de celebr. Miss., quod si aliquod festum incideret, anniversarium pro defunctis non omitteretur, sed celebraretur utrumque.

ARTICULUS IX.

Quo præcepto teneantur Sacerdotes Missam celebrare, & Laici interesse.

449. Sermo non est de Sacerdotibus in vago & indeterminate sumptis: certissimum enim est, aliquem Sacerdotem non solum jure Divino & Ecclesiastico, sed etiam naturali teneri ad sacrificandum; quemadmodum non solum jure Divino & Ecclesiastico, sed etiam naturali est sacrificium; unde in omni naturæ statu fuit aliquod sacrificium ad contestandum supremum Dei in omnes res dominium, & ad gratias pro acceptis beneficiis reddendas, tum ad nova petenda quibus in dies homines indigent: Rursus sermo non est de Sacerdotibus illis, quibus animarum cura commissa est; vel qui beneficio aliquo gaudent cum onere celebrandi; vel eleemosynam acceperunt, ut celebrarent; sed difficultas revocatur ad Sacerdotes consideratos absolutè tanquam charactere Sacerdotali insignitos.

450. Fuit aliquorum Theologorum sententia, mortaliter non peccare Sacerdotem, si nunquam pro vitæ suæ tempore celebraret; Pro hac citantur Alexander de Ales par. 4. qu. 11. mem. 2. art. 4., nec non Sanctus Bonaventura in 4. dist. 12. p. 2. art. 2.

Communiùs tamen Doctores affirmant sine lethalis peccati reatu Missæ celebrationem Sacerdotem omninò omittere non posse; Pro hac sunt S. Th. q. 83. art. 10., Rich., Duran., Palud., Sot. &c. & verissimam censeo; & quia Cajetan. oppositum opinatus fuerat, Pius V. Pontifex Maximus jussit in hac parte ejus commentaria expungi; Quin pro hac re plura momenta afferamus: sufficere posset Concilii Tridentini doctrina, quod sess. 22. cap. 2. inquit, Christum Apostolos constituisse Sacerdotes, *& eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit*

per

per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem. Mitto authoritatem Ambrosii, quam S.Th. in 4. dis.13. q.1. art. adducit, nempe; *Grave est, quod ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; sed gravius est, si dum peccatum metuimus, etiam sacrificium non reddamus*. Existimo enim in Ambrosio hoc nequaquam reperiri testimonivm; non mitto tamen cap. *Dolentes* de cel.Miss. ubi Inn. III. hujusmodi Sacerdotes suspensos declarat. Adderem etiam libenter, Sacerdotem nunquam celebrantem, aut rarissimè pigritiæ ac socordiæ reum se constituere; Deum maximo honore defraudare; peccatoribus ad conversionem auxilia adimere; justis uberiora dona impedire; quæ omnia haudquaquam levis momenti censenda sunt.

451. Quoties autem in anno teneatur sub lethali ad sacrificium offerendum, non ita facile decerni potest: S. Th. in laudata quæst. docet, teneri in præcipuis festis, & maximè in illis, quibus fideles communicare consueverunt; quales sunt, Christi Nativitas, resurrectio, & Ascensio, Pentecoste, corporis Christi festivitas, nec non aliæ ad Beatissimam Virginem præsertim spectantes.

Navarrus nullum festum speciale determinat; sed dicit teneri iis diebus, quibus laici religiosiores communicare solent; proinde sequeretur præcepto obstringi non solum omnibus diebus solemnioribus; sed etiam singulis Dominicis, quod quidem videtur etiam colligi ex Concilio Tridentino dicente sess.23. cap.14. *Curet Episcopus, ut saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus Missas celebrent*.

Dominicus Sotus arbitratur, ter solùm aut quater in anno præceptum celebrandi obligare; quod probat ex capite superiùs laudato, *Dolentes* de celebratione Missarum, & ita explicat S. Thomam de quo supra, nempe cum dixerit, obligare in præcipuis anni solemnitatibus, respexisse ad antiquum morem Ecclesiæ, juxta quem laici ex præcepto in die Natalis, Paschatis, & Pentecostes communionem recipiebant, atque hoc præceptum pro Sacerdotibus adhuc vigere, quamvis pro laicis sublatum sit.

452. Ego verò existimo, dies definiri non posse, quibus ad sacrificium offerendum quilibet Sacerdos adstringatur, cum neque ex Jure Divino neque Ecclesiastico id determinatum habeamus. Jam de jure Divino manifestum est: Si verò jus aliquod Ecclesiasticum afferri potest, præsertim, vel ex illo cap. *Dolentes*; vel ex Concilio Tridentino sess. laudata; vel ex cap. *Omnis utriusque sexus*, De pœnitentiis & remissionibus: at in primo sermo quidem est de reverentia in Divinis Officiis servanda: nulla autem fit sacrificiorum determinatio: in secunda nullum continetur præceptum, sed solum dicitur, ut curet Episcopus, ut singulis Dominicis &c. quod spectat ad id, quod magis decet, non ad id, quod fieri necessariò debeat: non in tertio, quia ibi statuitur tantùm tempus pro communione laicorum, & si deberet etiam intelligi determinatio pro celebratione, sequeretur tantùm semel in anno teneri Sacerdotem ad celebrandum, sicut semel in anno tenetur laicus ad communicandum.

453. Restat igitur, ut juxta prudentum virorum judicium res determinetur: Valdè tamen consentaneum est, ut attento gradu Sacerdotali ter vel quater in anno saltem celebrare debeat unusquisque, nulla tamen habita diei determinatione; Hæc valent per se loquendo; nam si ex rara celebratione aliquam infamiæ notam Sacerdos incurreret, aut pravum aliis præberet exemplum; frequentius celebrare deberet.

454. Quantùm ad laicos attinet: jure Ecclesiastico tenentur omnes laici omnibus diebus festivis, & singulis Dominicis Missæ sacrificio interesse; Quid, mihi

mihi quispiam reponet, scribis Theologe? nunquid Christianæ doctrinæ rudimenta pueris aut rudibus proponis? Hæc omnibus nota sunt. Non inficior; Noverit tamen, me sapientibus & insipientibus debitorem esse; & non omnibus quibus hæc nota sunt, momenta aliqua fortasse comperta sunt. Permittar igitur hæc exponere: Consuetudinem audiendi singulis diebus Dominicis Missam fuisse in Christi Ecclesia etiam tempore Apostolorum, testatur Justinus Martyr in secunda Apologia pro Christianis dicens. *Solis qui dicitur die, omnium, qui in oppido vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit; precibus peractis panis offertur & vinum & aqua*: reddit deinde rationem inquiens: *Solis autem die communiter omnes conventum agimus, quandoquidem is primus dies est, quo Deus mundum effecit, & Jesus Christus servator noster eo ipso die à mortis resurrexit*. In Agathensi Concilio can.47. hæc reperimus. *Missas die Dominico à sæcularibus teneri speciali ordinatione præcipimus*: quod & in Concilio Carthagin. 4. statutum fuit; deinde ab omnibus Ecclesiis receptum.

455. Hoc autem, quod dicimus præceptum Ecclesiasticum, fundamentum habet in jure Divino; scriptum est enim, *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*. Requiruntur igitur ad hujusmodi sanctificationem opera pietatis, ac devotionis officia; quæ cum Deus ipse non determinaverit, illa prudenti Ecclesiæ suæ judicio determinanda reliquit. Alia non dicam, ne nimis nota à me dici, iterum reponas.

ARTICULUS X.

Utrum Sacerdotes licite possint honorarium, seu stipendium pro Missa recipere, & quo titulo.

456. PRimum, quod proponimus, inconsultò videtur propositum: ut quid enim inquirere de eo, quod servari, continuo experimento videmus? Videmus equidem; sed utrum hoc licitè fiat, posset quispiam extra Catholicos in controversiam adducere, atque Catholicos reprehendere, tanquam si apud ipsos res sacra, qualis est Missa, venderetur, atque in ea aliqua pacta conventaque conficerent: quod omninò nos reprobamus, atque reprobavit Concil. Tridentin. sess. 22. decreto *De observandis &c.* Attamen licita esse hujusmodi honoraria, seu stipendia, inficiari nemo jure merito potest, nisi etiam Evangelium, & Pauli neget Epistolas. In Evangelio legimus, Christum discipulos suos misisse ad prædicandum, illisque dixisse: *In eadem autem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua*. Paulus verò 1. ad Corint.9. inquit. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant?* Honorarium igitur, seu stipendium, quod licitè possunt Sacerdotes pro Missa recipere non ex aliquo pacto, seu conventione progredi debet, tanquam ex motivo & fine; sed solum tanquam ex naturali jure propriæ sustentationis; unde ait S. Th. 2. 2. qu. 110. art. 2. in corp. *non tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis*.

457. Si ita est, inquies; qui ex bonis paternis, vel pingui aliquo beneficio divites sunt, quique ad vitæ sustentationem aliquo alio non indigent; nullum stipendium pro Missa recipere poterunt.

Con-

Contrarium tenendum est; quamvis in 4. dis.25. art.2. q.3. quæstiunc. 1. ad 4. illud S. Th. judicasse videatur; etenim idem Doctor in quodlib. 6. artic. 10. disertè asserit, decimas deberi Sacerdotibus, sive divites sint, sive pauperes, non alia ratione, nisi quia ministrant spiritualia: ratio autem est, quia stipendia pro spiritualium administratione non dantur ad supplendam paupertatem ministrorum; sed quia, dum in eo ministerio occupantur propter alios, digni sunt, ut de Altari vivant, qui Altari inserviunt, & per accidens est, quod ex bonis paternis, aut alio ex fonte divites sint; proinde &c.

458. Ut autem omnia, de quibus circa Missæ stipendium Scholastici inquirebant, ac diversimode opinabantur, habeas resoluta; plures propositiones retinendæ sunt. Urbanus VIII. an.1625. die 21. Julii illorum Sacerdotum praxim condemnavit, *qui cum Missam susceperunt celebrandam cum certa eleemosyna, eandem Missam alteri, parte eleemosynæ sibi retenta, celebrandam commiserint*. Idem confirmavit decretum Sacræ Congregationis Concilii an.1626. quod fuit hisce verbis expressum: *Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu Capellæ, legati aut salarii; si eleemosynas etiam pro aliis Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere*. Aliud ejusdem Congregationis decretum est hujusmodi. *Deinde pro pluribus Missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcumque incongrua & exigua sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, vel conferentur in futurum, Sacerdotibus Sacra Congregatio sub obtestatione Divini judicii mandat ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; alioqui graviter peccant, & ad restitutionem tenentur*.

459. Et quia non obstantibus hisce sententiis ac declarationibus, aliqui in conscientiæ foro adhuc licitum esse oppositum contendebant; ideo Alexander VII. an.1665. sequentes damnavit propositiones 1. num. 8. est. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem*. Alia num.9. *Potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*. Postrema num.10. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem; etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium quod pro nullo alio offeram*.

460. Dixi superiùs, de quibus circa Missæ stipendium Scholastici inquirebant: etenim non latet aliquos fuisse, qui oppositum docuerunt, & inter istos citantur Canus lib. 12. de locis cap. 13. ad 10., Dominicus Sotus lib. 9. de just. & jure q.3. art.1. aliique, quorum utrum hæc mens fuerit ad examen revocare non placet; Id tamen apertè tradidit Cajetan. in tertiam partem qu. 79. art. 5. cujus verba non refero, aliisque legenda relinquo, neque momenta examino pro horum opinione, cum propositionum damnatio nobis esse debeat regula certior.

461. Insuper observa, applicationem, quæ est dispositio facta de fructu Missæ, & sacrificii, fieri debere ante consecrationem, in qua sacrificium peragitur, cum fructus sacrificii nequeat suspendi: ideo non potest pro sacrificio peracto accipi stipendium, neque potest applicari pro daturo eleemosynam; Qua in re à Sacra Cardinalium Congregatione approbante Paulo V. die 5. Novembris an. 1605. ita statutum fuit. *Citiùs quoque celebrando peccatur, anticipata scilicet applicatione sacrificii, nempe incerta, pro eo, qui postea*

postea eleemosynam dederit, cum suspensione effectus sacrificii.

462. Si autem quæras, quodnam justum pro Missa debeat esse stipendium: breviter dico, id non dependere ab uniuscujusque Sacerdotis arbitrio, seu potiùs cupiditate; sed determinationem sumendam esse vel ab Episcopo, vel ab usu in Provincia, seu Civitate recepto; Quod tamen ita intelligas, ut si vellet Sacerdos pro minori stipendio sacrificium offerre, licitè posset, sicut licitè posset pro nullo.

ARTICULUS ULTIMUS.

De convenientia eorum, quæ dicuntur, vel fiunt in Missa.

463. Cæremonias, quæ vel ante Missam, vel in Missa peraguntur, excludunt hæretici; vel tanquam superfluas; vel tanquam superstitiosas, & malas: atque inter omnes Lutherus in lib. de captivit. Babylon. cap. de Eucharistia duo de Missæ cœremoniis animadvertit. Primo asserit; Missam eò magis christianam appellandam esse, quo est simplicior, & Christi Missæ similior, in qua nullus fuit vestium apparatus, nullus cantuum fastus, nulla in Altaribus pompa: Secundo inquit, cæremonias, quas adhibent Catholici, factas sine fide, non esse pietatis ac devotionis officia, sed impietatis testimonia: fidem autem intelligit illam, qua vult, nos certò credere remissa esse peccata; non illam, qua credimus præsentiam realem Corporis, & Sanguinis Domini; nam si in hoc sensu loqueretur, nobiscum conveniret. Plura addit Kemnitius in secunda parte Examin. pag. 853.

464. Ut contra omnes sentiamus; observandum est; alias cæremonias se tenere ex parte personæ, ut vestes sacræ; alias ex parte loci, ut templa, Altaria, Vasa sacra, calix &c. alias ex parte temporis, ut ante vesperas, & servato jejunio; alias consistere in actione, adhibitas inter sacrificandum, alias erga Deum, alias erga populum & alias extra sacrificium. Has omnes jure merito sancteque fieri breviter per singulas percurrendo demonstrabo; quamvis pro hac re sufficeret can. 13. sess. 7. Concil. Trident.

465. Et primò quantùm ad sacras vestes; ritum hunc antiquissimum esse, & æquè pium constat ex vetere testamento, in quo Sacerdos sacrificium immolaturus certis à Deo præscriptis vestibus induebatur: Illarum etiam, quibus nos utimur, mentionem faciunt Innoc. III. lib. 1. de mysteriis Missæ; Rupert. lib. 1. de Divin. Offic. Raban. Hieron. aliique; præsertim vero Greg. Magnus, qui misit ad novam Britaniæ Ecclesiam sacra Vasa, Sanctorum Reliquias, & indumenta Sacerdotalia; Idem leges etiam in Concil. Carthaginen. IV. can. 41. Brac. IV. can. 4. Tolet. IV. cap. 40. &c. Quod si Reges & Principes in publicis actionibus insignioribus vestibus, eorumque majestatem dignitatemque declarantibus utuntur; quanto magis Sacerdotes in publica totius Ecclesiæ actione peculiari quodam habitu utentur, quo tum mysteriis reverentiam concilient tum Christi passionem possint aptius indicare.

466. Quantùm ad aras & templa, quid potest excitari difficultatis? An non plena sunt Patrum, & Conciliorum monumenta, in quibus templi, & Altaris mentio frequens occurrit? & si velint sectarii mysticas horum consecrationes respuere; legant Conc. Agath. can. 14. Carth. V. can. 6. Eusebium lib. 4. de vita Constantini, Athan. in apol. ad Constantin. Basilium in psalm. 114. Chrysost. tom. 28. ad populum, August. lib. 20. contra Faustum cap. 21. in quibus sermo fit de locis Statutis ad sacrificandum Deo, & sic appellantur templa; Statutis ad orandum, & sic dicuntur orato-

oratoria; Statutis ad reliquias Martyrum honorificè servandas, & sic vocantur Basilicæ, Statutis ad populum instruendum, & reficiendum sacramentis, & sic nuncupantur Ecclesiæ. Inter Summos Pontifices affero tantum Felicem IV. in epist. decretali de Ecclesiarum & Altarium consecratione; ubi non solum Altaria consecranda esse demonstratur; sed etiam antiqua canonum lege prohibitum esse, ne sacra Mysteria fiant præter quàm in locis sacratis.

467. Quantum ad vasa sacra; hæc adhibita fuerunt in Ecclesia sub ipsis ejusdem primordiis. Notum est, quod de Sancto Laurentio narrat historia, nimirùm ante passionem suam omnia pauperibus distribuisse, ne à Tyranno surriperentur: nota sunt amplissima munera facta à Constantino Magno: notum est, Athanasio fuisse objectum, quod calicem fregisset: sed notum fiat etiam, quod ait Augustinus in psalm. 113. *Nos pleraque instrumenta & vasa ex auro, & argento habemus in usum celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur*. Quod si Ambrosius, cujus authoritate utitur Calvinus, lib. 2. de officiis cap. 28. inquit: *Aurum sacramenta non quærunt*; & Acacius, ut refert Socrates lib. 7. hist. cap. 21. *Deus noster neque disco, neque calicibus eget, quia non comedit, neque bibit*. Intelligendus est uterque Doctor, quod urgente maxima pauperum necessitate, in qua circumstantia loquitur Ambrosius, vendi possunt instrumenta sacra ad eorumdem adjumentum; quia certè vasa sacra ex auro non sunt necessaria ad ministrandum; imo displicerent, si per eorundem asservationem pauperes perirent; Quid vero de calicum materia, ex qua conflentur, sentiendum sit; accipe ex jure Canonico, Cap. *Vasa* De consecrat. dis. 1. ubi leguntur hoc verba. *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus... Ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur, & amplificetur, statuimus, ut deinceps nullus Sacerdotum sacrum ministerium corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi in ligneis vasculis nullo modo conficere præsumat*, cap. verò *Ut calix*; De consecrat. dist. 1. Sic statuitur: *Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omninò ex argento fiat; Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. De ære, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem cum ligneo aut vitreo calice præsumat Missam cantare*.

468. Quantùm ad lumina, lege Hieronymum in lib. contra Vigilantium dicentem: In Ecclesia Catholica sole rutilante accendi cereos, dum legitur Evangelium ad signum lętitiæ demonstrandum: lege Chrysostom. in sua liturgia scribentem: Sacerdotem procedere ad Altare ministro præcedente cum lumine: lege Concil. IV. Carthag. docens can. 6. Acolyto in sua ordinatione tradi cereum, ut sciat, ad suum ministerium pertinere lumina accendere in Ecclesia, consequenter &c. sed de hoc plura diximus tom. 3.

469. Rectè etiam statutis horis sacrificium offertur, & à Sacerdote jejuno contra id, quod scribit Lutherus in libro contra Regem Angliæ, nimirum: *Nos fatuos & stolidos* (Catholicos) *appellamus, & communionem liberam habemus, sive per diem, sive per noctem, sive mane, sive vespere. Apud nos non peccat, qui ederit & biberit ante Communionem*. Fatuus enim, & omnium stolidissimus Lutherus fuit, qui contra antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem ausus est ista proferre: Quid de jejunio ante communionem dixerimus, leges in quæst. 6. art. 4.

470. Nunc progrediendum ad actiones, quæ fiunt in Missa, & primò elevatio manuum desumitur ab exemplo Moysis, qui elevatis manibus, ut legitur Exodi 17. orans victoriam obtinuit, & Da-

& David psalm.141. inquit; *Elevatio manuum mearum sacrificium respertinum*. Necnon Apost. 1. ad Timot. 2. *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus*. Pluries etiam Christum manus elevasse in Evangelio legitur, Idem etiam dicendum de elevatione oculorum. Inclinationem corporis, & genuflexiones quis improbabit? improbetur priùs quod Paralip. 6. dicitur de Salomone, quod Act. 20. narratur de Apostolo Paulo, quod Luc.22. de Christo Domino scribitur.

471. Meritò etiam fieri elevationem hostiæ consecrandæ in offertorio quisque concedet, qui leget Levit.8. 9. & 10. Sacerdotem coram Deo elevare id quod offerebat, tum hostiæ jam consecratæ, quæ est sacramenti ad populum ostensio, quem usum vetustissimum esse testantur veteres Liturgiæ, & frequenter colligitur ex scriptis Basilii, & Chrysostomi. Hoc idem traditur de fractione & commixtione: Unde Chrysostom. hom,24.in 1.ad Corinth.inquit, Christum in Altari confractionem pati, quam in cruce noluit.

472. Sequuntur cœremoniæ factæ à Sacerdote erga se ipsum, quales sunt percussio pectoris ad illam precem. *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi. Domine non sum dignus &c.* Tum lotio manuum ante consecrationem. Primum fundamentum habet in Evangelio exemplo desumpto à publicano orante, & percutiente pectus suum, & à Judæis, qui post Christi mortem revertebantur, percutientes pectora sua. Secundùm verò, cujus mentionem faciunt Sancti Patres præsertim Dionys. cap. 3. Eccles. Hierarch.& Clem.lib.8. constit. non est ad manus abluendas, sed ad indicandam animi puritatem, qua debent exornari, qui ad tantum sacrificium peragendum accedunt.

Ampliora dicerem, si ad omnia vellem sermonem protrahere, harumque cęremoniarum misticas etiam significationes exponere, sed de hac re fusè Bellarminus, aliique, qui ex Bellarmino transcripserunt. Hæc propterea mihi scribenti, tibique legenti sufficiant; omnia tamen summæ ac infallibili Ecclesiæ auctoritati subjecta.

LAUS DEO.

Errata.	*Corrige.*
In Lit. Dedic. longoſſimas	longiſſimas
PAg. 52. intentione	iteratione
73. merito	marito.
103. Barnabæ	Barſabæ
116. impoſitum	impoſitam.
188. incidit	indicit.
263. præcipiandam	percipiendam
270. conſervari	conſecrari.
276 qui	quæ

Reliqua facillimè tu ipſe corriges.